

G. H. Schyflen Sc. Aug. Vind.

amicis notis se
[...]xcibus domini amici
sui recommendat
1743

FORT HILL

LURLEY MANOR


In prin
cipio
creavit
Deus
Cælum
et Ter
ram
PARADISVS
ANIMÆ
CHRISTIANÆ,
Lectiſsimis omnigenæ
Pietatis delitiis
amœnus.
Studio et operâ
Iacobi Merlo Horſtii
Ecclæ. B. Mariæ Virg.
in Paſculo Paſtoris.
Col. Agrippinæ,
Sumpt. Balth. ab Egmond
et Sociorum A°. 1670.
Poſuit Devs homin
in Paradiſo voluptati
operaretur et custodire
III. Adam ubi es?
Lignum Vitæ in
medio. Paradiſi.
IV. Fecit Devs tunicas
pelliceas et induit eos
EVA
AVE
Ponam inimicitias inter te
et ſemen mulieris.
VII. Duæ Matres;
Mortis et Vitæ.


PARADISVS ANIMÆ CHRISTIANÆ,

Lectiſſimis omnigenæ Pietatis delitiis amœnus:

Studio & operâ

IACOBI MERLO HORSTII,
Eccleſiæ B. Mariæ Virginis in Paſculo
PASTORIS.

Ex noviſſima Auctoris recognitione.



COL. AGRIPPINÆ,
Sumpt. BALTH. ab EGMONDT,
& Sociorum, MDCLXX.

EXPLICATIO TITVLI,

& Argumentum PARADISI.

Septem Cellulæ Tituli reſpondent totidem Sectionibus PARADISI.

I. DEVS OPT. MAX. *principem locum obtinet, qui Hortum voluptatis ſeu Paradiſum, imo cœlum & terram, & omnia quæ in eis ſunt, condidit ab initio, idque ſolius hominis cauſſa. Vide, quam humili, pia, & grata mente nobis Auctor tam Potens, Sapiens, & Bonus colendus eſt?*

II. *Status innocentiæ primorum Parentum, in Paradiſo typus erat ejus felicitatis & gloriæ, qua* BEATI *nunc fruuntur in cœlo, quo vitæ innocentia pervenerunt. Nos ergo terreſtri Paradiſo exules, ad cœleſtem Sanctorum exemplo & Patrocinio aſpiremus.*

III. *Adam poſt admiſſum crimen fugiens latebras quærit. Sed quo fugies miſer, ut effugias oculos Dei, qui videt omnia? Ejus vox eſt:* Adam ubi es? *quæ agnitionem culpæ,* POENITENTIAM *& reſipiſcentiam Adamo ſuadet: Quid ni & nobis? ſed abſint verba malitiæ ad excuſandas excuſationes in peccatis;* Mulier quam dediſti mihi, *&c.*

IV. *Veſtes Adamo & Evæ à* DEO *factæ* VIRTVTES *indicant: ut illis corpus, ſic his ornatur animus. Veſtibus calor Naturæ, Virtutibus calor Animæ fovetur. Ne & nos nudi ſimus & fœdi in oculis* DEI, *ornemur virtutibus. Ne tepidi fiamus & frigidi, Caritate & Iuſtitia indui ſtudeamus.*

V. Lignum Vitæ *eſt in medio Paradiſi, cujus eſu reſtauranda erat vita Hominis, & immortalitas paranda. Nobis in medio Eccleſiæ exponitur* PANIS VIVVS *& cœleſtis, ex quo,* Qui manducat, non morietur in æternum.

VI. *Serpens aſtu ſuo ſeduxit hominem in mortem. Chriſtus, in quo dolus non eſt, Paſſus & mortuus in Cruce vitam nobis reddidit. O magnum Pietatis opus, pia ſemper & grata mente recolendum!*

VII. *Die ſeptima requievit* DEVS *ab opere ſuo. Et homo per* MORTEM *requieſcit à laboribus ſuis. Quod vero* MORS *ſit homini pœnalis & acerba, per* EVAM *eſt: Quod vero ſit janua Salutis & Vitæ beatæ, per* MARIAM *eſt. Illa cum Serpente; Hæc cum Angelo Gabriele loquitur. O diſpar colloquium! Inde Mors, hinc Vita profluxit. Colamus Mariam; & non cademus in Mortem, niſi quæ ducat ad Vitam.*

Sereniſſimo & Reverendiſſimo

PRINCIPI

FERDINANDO,

ARCHIEPISCOPO COLONIENSI,

BAVARIÆ DVCI, &c.

SEPTEM VIRORVM,

PRÆSVLVM, PRINCIPVM SYDERI;

IMPERII GERMANIÆ,

PATRIÆ DELICIO.

Sereniſsime Princeps, Clementiſsime Domine,

PARADISVM plantavi, conquiſitis undique plantis lectiſſimis, non ad Voluptatem, ſed ad Pietatem, (quanquam delicias jungere pietati, quid vetat, cum ſola mens pia conſcia ſit liquidæ & ſinceræ voluptatis?) Tutor itaque ſeu Cuſtos quærendus mihi fuit: (an Cherubin, aut Angelus quiſpiam?) qui prophanum vulgus arceat, aditumque cuſtodiat, ne temerario cujuſquam in-

curſu violetur. Deo quidem haud difficile fuit, plantatum à ſe Paradiſum valido munire præſidio; utpote, cui ad nutum parent Adminiſtratorii illi Spiritus: Sed cum ego tuo, Clementiſſ. Princeps, ſubſim imperio, qua fronte Te Paradiſo meo cuſtodem ſtatuam? Verumtamen ſolicite quærenti Tu ſolus voto meo par occurriſti; utpote, qui tanquam alter Cherubin ad urbis hujus tutelam poſitus hoſtes incurſu prohibes, & indigenas ab omni clade feliciter tueris. Neque huc gladio flammeo atque verſatili opus habes: ſuaviter enim diſponis omnia, & ſubditorum quieti ac tranquillitati, Prudentia, Benignitate, & quacunque potius ratione quam violenta manu conſulis. Atque ut propius & convenientius inſtituto meo loquar; Moyſis potius, quam Ioſue arma capeſſis, imo & ita hunc contra Amalecitas, id eſt Imperii ac Religionis hoſtes præliantem, dignis Sacro Præſule ſuppetiis adjuvas.

Teſtis inclyta COLONIA tua, in qua hactenus inter ipſos quaſi bellorum furores & incendia, PACE fruimur: & circumſtrepentibus undique armis, nec non frementibus Hoſtibus, tanquam ſecuri vivimus, non ſine peculiari Numinis ope, quam utique nobis rara tanti PRINCIPIS PIETAS, & ORANDI aſſiduitas, juſſu tuo, & piiſſimo inſtituto, jam hic à multis annis hucuſque per omnes Eccleſias ſine intermiſſione continuata conciliant. Tantum valet apud DEUM deprecatio juſti aſſidua. Nempe vana

ſine

ſine DEO eſt omnis vis & poteſtas; Vna VTILIS EST AD OMNIA PIETAS. Huic ego pro modulo meo adminiculum quoddam hoc labore conferre ſtudui. Si conatum pro inſita Clementia Celſitudo Tua probaverit, ſat hoc beneficii erit. Cætera PROVIDEBIT DEVS; qui Te nobis (hoc unum eſt ſubditorum omnium votum) ſoſpitet ſervetque diu, & ſit tandem tua, & Gregis tui merces magna nimis. Coloniæ, in loco Paſcuæ,

Sereniſſimæ & Reverendiſſimæ C. S.

humilis Sacellanus

IACOBVS MERLO HORSTIVS,

B. Mariæ in Paſculo Paſtor.

PIO LECTORI.

EN *habes, pie* LECTOR, Paradiſum *non minore nunc denuo cura & labore renovatum, quam initio plantatum. Nam quod induſtriis hortorum cultoribus ſolemne eſt, ut novis ſemper rariſque floribus, plantis, herbis colligendis ſtudeant; quin & veteres exſtirpent, ubi palcriores nacti fuerint; idem & mihi accidit. Quamvis enim priorem Editionem, benignior ac pronior ſpe mea, favor exceperit; ſecundis tamen curis, id eſt, ſapientioribus, locum relictum expertus ſum; ita quidem, ut quem nunc vides Paradiſum, pæne alterum, novumque tibi ſpondere auſim: Sed an proinde gratum prorſus aptumque palatis omnium? Vereor ſane (nam quid unum unquam placuit omnibus?) Forte, qui Scripturæ & rerum ſpiritualium exiguum, vel nullum guſtum habent, nec in* Paradiſo *delitias invenient. Forte & prolixitas alicubi faſtidio erit.*

Sed habeant ſua illi Officiola, *ſuas* preculas *vulgares, aliaque ſimilia, ſuæ devotioni congrua; utantur illis & fruantur.* PARADISVM *interim permittant minus occupatis, aut magis exercitatis. Sunt quibus lacte opus eſt; quando alii ſolido cibo felicius aluntur. Spero tamen utriſque non defuturum, quo ſe reficiant; modo palatum faſtidii expers attulerint.*

Ex aliorum Hortis & Viridariis, veluti S. Auguſtini, & Thomæ de Kempis, *&c. non pauca in* Paradiſum *transplantari poterant (uti factum prima Edit.) ſed uterque teritur manibus omnium. Poſterior quidem à nobis etiam novis nuper curis editus, &*

Notis

Notis illuſtratus; *inſuper & novis* Ejuſdem *Auth. longè pulcherrimis auctus* Opuſculis *ſub tit.* VIATORIS Chriſtiani.

Simile quid in Aſceticis S. AVGVSTINI, S. BERNARDI, *Aliorumque* Opuſculis *novo ſchemate propediem cultius auctiuſque edendis molimur. Vnde non videbatur operæ pretium, quidquam excerpere.*

Denique, ſi quid in hoc PARADISO *vel per me, vel per operas erratum; humanum id eſſe memento. Ecce nec ille Dei* Paradiſus *expers erroris fuit: Immo primus & graviſsimus ibi commiſſus eſt. Sed errorem correxit Deus; non extinxit errantes. Sic & tu, mi* LECTOR, *vel errorem benigne corrige; vel nos mone, paratos corrigere, ubicunque deprehendemur erraſſe. Irrepſiſſe nonnulla video menda, ſed & alia quædam quæ nollem, per noſtram à prælo abſentiam, tertiis demum curis emaculanda. Interim ſic utere hoc* Paradiſo, *ut ad illum Supernum tibi viam ſternas; & ſi dignum cenſes, vel unico ad Deum ſuſpirio, bene preceris Auctori.*

OFFICIVM *B Virg.* VII *Pſalmi, Litaniæ* magis uſitatæ; & *Alia quædam* ſeparatim nunc eduntur, ut cujuſvis arbitrio vel addi vel demi poſſint.

Quæ præterea ſcire tua refert, vide ſis *præfat.* ſeq. & *introductione in Parad.* poſt Calendarium.

CHRISTIANO
LECTORI,
De Scopo, Methodo, & Ordine
PARADISI.

VArios hæc Ætas, (ut eſt ſcriptorum ferax) libros protulit Chriſtianæ Pietati utiles. Alii Spiritualis vitæ Documenta & monita tradunt. Alii ſacras meditationes, & piorum Adfectuum argumenta ſuggerunt. Alii denique Orationes, Officia, Litanias & formata pietatis Exercitia continent. Vix eſt, ut queramur deeſſe, unde pietatem hauriamus; Varietate & mole tantum non obruimur.

Itaque Operæ pretium facturus videbar, ſi ſingulorum luſtrarem Hortos & Viridaria: Plantas, flores, fruticeſque melioris notæ ſeligerem, & novum quendam PARADISVM voluptatis, ſeu potius Pietatis plantarem; adeoque ſuccum, & medullam eorum omnium, quæ Pietatis cultum ſpectant, unico Libello, ad uſum quotidianum commodo, complecterer. Hæc mens & intentio mea, quam ex libri methodo plenius cognoſces, quam ſubjicio.

I. Cum Oratio ſit deſiderium alicujus boni, & Hominis ſit agere propter finem; quis oranti finis propoſitus? DEVS utique, qui eſt ſupremus Finis, & ſummum hominis bonum. Itaque principio & *prima* Sect. ut par eſt, colenda proponitur ſanctiſſima Trinitas, ſeu DEVS Trinus & Vnus, in cujus clara viſione & fruitione conſiſtit finis hominis, DEVS *enim cultus ſui ipſe merces eſt.*

II. Arduus hic finis & impoſſibilis nobis videri poſſet; niſi videremus jam alios attigiſſe. Ne ergo ſegnius ad illum tendamus; oportet nos eorum exemplo excitari. Cur enim deſperemus nos poſſe, quod alios novimus potuiſſe? Potuerunt ſane Beati jam cum DEO regnantes in cœlis; & ut nos quoque poſſimus, patrocinio ſuo nos adjuvant. Itaque de eorum cultu & Veneratione agetur *Sectione* 2.

III. Porro Sanctos imitari non poſſumus, nec Patronos habere, niſi à vitiis reſipiſcentes, ipſorum exemplo Pœnitentiam agamus, & veterem hominem exuentes, novum induamus; hinc ergo de Pœnitentia & peccatorum confeſſione rite inſtituenda agetur *Sectione* 3.

IV. Verum *declinare à malo* non ſufficit, niſi & *bonum faciamus*, & officiis Iuſtitiæ Chriſtianæ ex æquo ſtudeamus. Hinc de vita Spirituali & Religioſa, Virtutibus quoque & mediis ad eam idoneis tractabit *Sectio* 4.

V. Ne vero hæc vita debilitetur & deficiat, ſed magis magiſque roboretur & creſcat, alimento indiget; at quonam illo? *Panis confirmat cor hominis*, is utique *qui de Cœlo deſcendit, & dat vitam mundo, Caro enim Chriſti vere eſt cibus, & Sanguis ejus vere eſt potus.* Hic vires

animæ

animæ reparat ac roborat, ne deficiamus in via. Itaque de ſacra Communione, ac ſacrificio Miſſæ agetur *Sectione 5*.

VI. Cæterum, quia tentationibus & miſeriis multis ſemper obnoxia eſt hominis vita, nihil eſt, quod nos ad præſentis vitæ labores, & dura quævis fortiter perferenda, potentius excitet, aut etiam in adverſis ſoletur, quam Exemplum, ſeu Vita, Mors, & Paſſio Salvatoris: *Chriſto enim paſſo in Carne, & nos eadem cogitatione armemur*; hac ſpe freti, quia, *ſi compatimur, & conregnabimus*. Hinc de Vita & Paſſione Chriſti meditanda, imitanda, aget *Sect. 5*.

VII. Dum ergo his Exercitiis & piis ſtudiis continuo dediti vivimus, identidem ad Vitæ metam properamus. Sed tanto ſecurius, ſi vivamus mortis ubique memores, & Matrem Vitæ ac Mortis Dominam, id eſt Virginem Deiparam, ſemper, & in mortem uſque ſedulo colamus. Itaque cole eam, ut fidelis cliens in vita; & ipſa monſtrabit ſe eſſe Matrem in morte. Ad hoc cultus Virginis Matris, & cura Mortis ſeptima Sectione proponitur: Vt quemadmodum DEVS *requievit die ſeptimo ab omni opere quod patrarat*; ſic & homo per illam, in *cujus tabernaculo requievit Dominus*, tandem feliciter requieſcat à laboribus ſuis, & DEO, qui ipſe laborantium merces, æternum fruatur.

Hoc modo, & hac methodo videor percommode complexus omnia, quæcunque ad uſum & Exercitium Chriſtianæ Pietatis deſiderari poſſunt. Hoc enim ſingulariter mihi propoſitum, ut medullam & ſummam totius Pietatis, tum quoad theoriam, tum quoad Praxin brevi & commodo libello colligerem, & hoc labore omnibus tam Laicis, quam Eccleſiaſticis ſervirem. Velim autem Meditationes ſeu Exercitia initio cujuſque Sectionis poſita attentius legi, & expendi, in quibus præcipua Spiritualis Vitæ documenta, Verbis & Sententiis ut plurimum ſacris expreſſi; idque forma Colloquii inter Chriſtum & Hominem, quia compertum habeo, tanto acrius & vehementius ſtimulari hominis Animum, quo major eſt docentis & monentis auctoritas; Sic altius, inquam, verba penetrant cor, quia non tam ab homine, quam à DEO profecta creduntur.

Vivus eſt enim ſermo DEI, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, &c. Heb. 4.

APPROBATIO
Cenſoris.

Paradiſum hunc animæ Chriſtianæ, à Iacobo Merlo Horſtio SS. Theologiæ Licentiato plantatum, & raris omnigenæ Pietatis delitiis amœnum, ut multorum devotioni ſerviat, luce & typis dignum cenſeo. Coloniæ, IV Aprilis, M DC XLIV.

Henricus Francken Sierſtorphius, SS. Theol. D. Eccl Metrop. Colon. Presb. Can. Gymnaſii Laurent. Regens, Libror. cenſor.

T A-

Anni Dñi.	Litt. Dom.	Aur. num.	Epactæ.	Septuageſima.	Dies Cinerum.	Paſcha.
1670	e	18	viij	2 Febr.	19 Febr.	6 April.
1671	d	19	xix	25 Ian.	11 Febr.	29 Mart.
1672	cb	1	j	14 Febr.	2 Mart.	17 April.
1673	A	2	xij	29 Ian.	15 Febr.	2 April.
1674	g	3	xxiij	21 Ian.	7 Febr.	25 Mart.
1675	f	4	iiij	10 Febr.	27 Febr.	14 April.
1676	e d	5	xv	2 Febr.	19 Febr.	5 April.
1677	c	6	xxvj	14 Febr.	3 Mart.	18 April.
1678	b	7	vij	6 Febr.	23 Febr.	10 April.
1679	A	8	xviij	29 Ian.	15 Febr.	2 April.
1680	g f	9	xxix	18 Febr.	6 Mart.	21 April.
1681	e	10	x	2 Febr.	19 Febr.	6 April.
1682	d	11	xxj	25 Ian.	11 Febr.	29 Mart.
1683	c	12	ij	14 Febr.	3 Mart.	18 April.
1684	b A	13	xiij	30 Ian.	16 Febr.	2 April.
1685	g	14	xxiiij	18 Febr.	7 Mart.	22 April.
1686	f	15	v	10 Febr.	27 Febr.	14 April.
1687	e	16	xvj	26 Ian.	12 Febr.	30 Mart.
1688	d c	17	xxvij	15 Febr.	3 Mart.	18 April.
1689	b	18	viij	6 Febr.	23 Febr.	10 April.
1690	A	19	xix	22 Ian.	8 Febr.	26 Mart.
1691	g	1	j	11 Febr.	28 Febr.	15 April.
1692	f e	2	xij	3 Febr.	20 Febr.	6 April.
1693	d	3	xxiij	18 Ian.	4 Febr.	22 Mart.
1694	c	4	iiij	7 Febr.	24 Febr.	11 April.
1695	b	5	xv	30 Ian.	16 Febr.	3 April.
1696	A g	6	xxvj	19 Febr.	7 Mart.	22 April.
1697	f	7	vij	3 Febr.	20 Febr.	7 April.
1698	e	8	xviij	26 Ian.	12 Febr.	30 Mart.
1699	d	9	xxix	15 Febr.	4 Mart.	9 April.

Anni Dñi.	Aſcenſio.	Pentecoſtes.	Corpus Chriſti.	Indictio.	Dñicę poſt Pent.	Dñica j. Advent.
1670	15 Maji.	25 Maji.	5 Iunii.	8	26	30 Nov.
1671	7 Maji.	17 Maji.	28 Maji.	9	27	29 Nov.
1672	26 Maji.	5 Iunii.	16 Iunii.	10	24	27 Nov.
1673	11 Maji.	21 Maji.	1 Iunii.	11	27	3 Dec.
1674	3 Maji.	13 Maji.	24 Maji.	12	28	2 Dec.
1675	23 Maji.	2 Iunii.	13 Iunii.	13	25	1 Dec.
1676	14 Maji.	24 Maji.	4 Iunii.	14	26	29 Nov.
1677	27 Maji.	6 Iunii.	17 Iunii.	15	24	28 Nov.
1678	19 Maji.	29 Maji.	9 Iunii.	1	25	27 Nov.
1679	11 Maji.	21 Maji.	1 Iunii.	2	27	3 Dec.
1680	30 Maji.	9 Iunii.	20 Iunii.	3	24	1 Dec.
1681	15 Maji.	25 Maji.	5 Iunii.	4	26	30 Nov.
1682	7 Maji.	17 Maji.	28 Maji.	5	27	29 Nov.
1683	27 Maji.	6 Iunii.	17 Iunii.	6	24	28 Nov.
1684	11 Maji.	21 Maji.	1 Iunii.	7	27	3 Dec.
1685	31 Maji.	10 Iunii.	21 Iunii.	8	24	2 Dec.
1686	23 Maji.	2 Iunii.	13 Iunii.	9	25	1 Dec.
1687	8 Maji.	18 Maji.	29 Maji.	10	27	30 Nov.
1688	27 Maji.	6 Iunii.	17 Iunii.	11	24	28 Nov.
1689	19 Maji.	29 Maji.	9 Iunii.	12	25	27 Nov.
1690	4 Maji.	14 Maji.	25 Maji.	13	28	3 Dec.
1691	24 Maji.	3 Iunii.	14 Iunii.	14	25	2 Dec.
1692	15 Maji.	25 Maji.	5 Iunii.	15	26	30 Nov.
1693	30 April.	10 Maji.	21 Maji.	1	28	29 Nov.
1694	20 Maji.	30 Maji.	10 Iunii.	2	25	28 Nov.
1695	12 Maji.	22 Maji.	2 Iunii.	3	26	27 Nov.
1696	31 Maji.	10 Iunii.	21 Iunii.	4	24	2 Dec.
1697	16 Maji.	26 Maji.	6 Iunii.	5	26	1 Dec.
1698	8 Maji.	18 Maji.	29 Maji.	6	27	30 Nov.
1699	28 Maji.	7 Iunii.	18 Iunii.	7	24	29 Nov.

IANVARIVS

Habet dies xxxj.

1	*A*	*Circumciſio Domini.*
2	b	
3	c	
4	d	
5	e	Vigilia.
6	f	*Epiphania Domini.*
7	g	
8	*A*	
9	b	
10	c	
11	d	Hygini Papæ & martyris.
12	e	
13	f	
14	g	Hilarii epiſcopi & confeſſoris.
15	*A*	Pauli primi Eremitæ.
16	b	Marcelli Papæ & Martyris.
17	c	*Antonii Abbatis.*
18	d	*Cathed. S. Petri Rom.*
19	e	Mariæ, Marthæ, *&c.*
20	f	*Fab. & Sebaſt. martt.*
21	g	Agnet. virg. & mart.
22	*A*	Vincentii & Anaſtaſii martyris.
23	b	Emerentianæ virginis & martyris.
24	c	Timothei epiſcopi & martyris.
25	d	*Converſ. S. Pauli Apoſt.*
26	e	Polycarpi Epiſcopi & martyris.
27	f	Ioannis Chryſ. epiſc.
28	g	Agnetis ſecundo.
29	*A*	Franciſci Saleſii Epiſcopi.
30	b	
31	c	Petri de Nolaſco Confeſſoris.

FEBRVARIVS

Habet dies xxviij.

1	d	Ignatii epiſc. & mart.
2	e	*Purificatio B. Mariæ.*
3	f	Blaſii epiſc. & mart.
4	g	Andreæ Epiſc. & Conf.
5	*A*	Agathæ virg. & mart.
6	b	Dorotheæ virginis & martyris.
7	c	Romualdi Abbatis.
8	d	
9	e	Apolloniæ virginis & martyrum.
10	f	
11	g	
12	*A*	
13	b	
14	c	Valentini presbyteri & martyris.
15	d	Fauſtini & Iovitæ martyrum.
16	e	
17	f	
18	g	Simeonis epiſcopi & martyrum.
19	*A*	
20	b	
21	c	*Cathedra ſancti Petri Antiochiæ.*
22	d	
23	e	Vigilia.
24	f	*Matthiæ Apoſtoli.*
25	g	
26	*A*	
27	b	
28	c	

In anno biſſextili Februarius eſt dierum 29, & feſtum S. Matthiæ celebratur die 25. & bis dicitur *Sexto Kalend.* hoc eſt, die 24 & die 25, & littera Dominicalis, quæ adſumpta fuit in menſe Ianuario, mutatur in præcedentem: ut ſi in Ianuario littera Dominicalis fuit *A*, mutatur in præcedentem quæ eſt g, *&c.*

MAR-

MARTIVS

Habet dies xxxj.

1	d	
2	e	
3	f	
4	g	Lucii Papæ & martyris.
5	A	
6	b	
7	c	*Thomæ de Aquino Confeſſoris.*
8	d	
9	e	Franciſcæ Romanæ.
10	f	Quadraginta martyr.
11	g	
12	A	*Gregor. Papæ & Conf. & Eccleſ. Doct.*
13	b	
14	c	
15	d	
16	e	
17	f	
18	g	
19	A	*Ioſeph Confeſſoris.*
20	b	*Ioachimi Confeſſoris.*
21	c	*Benedicti Abbatis.*
22	d	
23	e	
24	f	
25	g	*Annuntiat. B. Mariæ.*
26	A	
27	b	
28	c	
29	d	
30	e	
31	f	

APRILIS

Habet dies xxx.

1	g	
2	A	Franciſci de Paula Confeſſ.
3	b	
4	c	
5	d	
6	e	
7	f	
8	g	
9	A	
10	b	
11	c	Leonis Papæ & Confeſſoris.
12	d	
13	e	
14	f	Tiburtii, Valer. & Maximi martyr.
15	g	
16	A	
17	b	Aniceti Papæ & martyris.
18	c	
19	d	
20	e	
21	f	
22	g	Soteris & Caji Pontificum & martyrum.
23	A	Georgii martyris.
24	b	
25	c	*Marci Euangeliſtæ.*
26	d	Cleti & Marcel. Pontificum & martyrum.
27	e	
28	f	Vitalis martyris.
29	g	Petri martyris.
30	A	

MAIVS

Habet dies xxxj.

1	b	*Philippi & Iacobi Apoſtolorum.*
2	c	Athanaſii Epiſcopi & Confeſſoris.
3	d	*Inventio S. Crucis.*
4	e	Monicæ viduæ.
5	f	
6	g	*Ioannis ante portam Latinam.*
7	A	Staniſlai epiſc. martyr.
8	b	*Apparitio S. Michaëlis.*
9	c	S. Gregorii Nazianzeni Epiſcopi.
10	d	Gordiani & Epimachi martyrum.
11	e	
12	f	Nerei, Achillei, Domitillæ Virginis, & Pancratii martyrum.
13	g	
14	A	Bonifacii martyris.
15	b	
16	c	Vbaldi epiſcopi & confeſſoris.
17	d	
18	e	
19	f	Pudentianæ virginis.
20	g	Bernardini confeſſ.
21	A	
22	b	
23	c	
24	d	
25	e	Vrbani Papæ & martyris.
26	f	Philippi confeſſoris cum commemoratione S. Eleuth. Papæ & martyris.
27	g	Ioann. Papæ & martyr.
28	A	
29	b	
30	c	Felicis Papæ & martyris.
31	d	Petronillæ virginis.

IVNIVS

Habet dies xxx.

1	e	
2	f	Marcelli, Petri, atque Eraſmi martyrum.
3	g	
4	A	
5	b	
6	c	
7	d	
8	e	
9	f	Primi & Feliciani martt.
10	g	
11	A	*Barnabæ Apoſtoli.*
12	b	Baſil. Cyril. Nab. & Nazaræi martyr.
13	c	Antonii de Padua Confeſſoris.
14	d	Baſilii epiſc. & conf.
15	e	Viti, Modeſti, & Creſcentiæ martyr.
16	f	
17	g	
18	A	Marci & Marcel. martyr.
19	b	Gervaſii & Protaſii martyrum.
20	c	Silverii Papæ & mart.
21	d	
22	e	Paulini epiſc. & conf.
23	f	Vigilia.
24	g	*Nativitas S. Ioannis Baptiſtæ.*
25	A	
26	b	Ioannis & Pauli martyr.
27	c	
28	d	Leonis Papæ & confeſſoris & Vigilia.
29	e	*Petri & Pauli Apoſtol.*
30	f	*Commemoratio S. Pauli Apoſtoli.*

IVLIVS
Habet dies xxxj.

1	g	
2	A	*Viſitatio S. Mariæ.*
3	b	
4	c	
5	d	
6	e	
7	f	
8	g	
9	A	
10	b	Septem frat. & SS. Ruf. ac Secun.
11	c	Pii Papæ & mart.
12	d	Naboris & Fel. martt.
13	e	Anacleti Papæ & martyris.
14	f	Bonaventuræ Epiſcop. & confeſſoris.
15	g	
16	A	
17	b	Alexii Confeſſoris.
18	c	Symphoroſæ cum ſeptem filiis martt.
19	d	
20	e	Margaritæ virginis & martyris.
21	f	Praxedis virginis.
22	g	*Mariæ Magdalenæ.*
23	A	Apollinaris epiſc. & mart.
24	b	Vigilia.
25	c	*Iacobi Apoſtoli.*
26	d	Annæ Matris B. Mariæ.
27	e	Pantaleonis martyris.
28	f	Nazarii, Celſi, & Vict.
29	g	Marthæ Virginis.
30	A	Abdon & Sennen martyrum.
31	b	Ignatii confeſſoris.

AVGVSTVS
Habet dies xxxj.

1	c	*Petri ad Vincula.*
2	d	Stephani Papæ & martyris.
3	e	Inventio S. Stephani.
4	f	*Dominici confeſſoris.*
5	g	*Dedicatio S. Mariæ ad Nives.*
6	A	*Transfigurat. Domini.*
7	b	Donati epiſcopi & martyris.
8	c	Cyriaci, Largi & Smaragdi.
9	d	Vigilia.
10	e	*Laurentii martyris.*
11	f	SS. Tiburtii & Suſan.
12	g	Claræ virginis.
13	A	SS. Hippol. & Caſſ. martyrum.
14	b	Vigilia.
15	c	*Aſſumptio B. Mariæ.*
16	d	
17	e	
18	f	Agapiti martyris.
19	g	
20	A	Bernardi Abbatis.
21	b	
22	c	SS. Timoth. & ſoc. martyrum.
23	d	Vigilia.
24	e	*Bartholomæi Apoſt.*
25	f	Ludovici confeſſ.
26	g	Zephyrini Papæ & mart.
27	A	*Auguſt. epiſc. confeſſ. & Eccl. Doctor.*
28	b	
29	c	*Decollatio S. Ioannis Baptiſtæ.*
30	d	Felicis & Adaucti martyrum.
31	e	

SEPTEMBER

Habet dies xxx.

1	f	Ægidii Abbatis.
2	g	
3	A	
4	b	
5	c	
6	d	
7	e	
8	f	*Natiuitas B. Mariæ.*
9	g	Gorgonii martyris.
10	A	Nicolai Tolent. Confeſſ.
11	b	SS. Proti & Hyacinthi martyrum.
12	c	
13	d	
14	e	*Exaltatio S. Crucis.*
15	f	Nicomedis martyris.
16	g	Cornelii & Cyprian. Pontif. martyrum.
17	A	
18	b	Thomæ Epiſc. & conf.
19	c	Ianuarii epiſcopi & ſociorum martyrum.
20	d	Vigilia.
21	e	*Matthæi Apoſt. & Euangel.*
22	f	Mauritii & ſoc. martt.
23	g	Lini Papæ & martt.
24	A	
25	b	
26	c	Cypr. & Iuſt. martyrum.
27	d	Coſmæ & Damiani martt.
28	e	
29	f	*Dedic. S. Mich. Archan.*
30	g	*Hieron. Presbyt. Conf.*

OCTOBER

Habet dies xxxj.

1	A	Remigii Epiſc. & confeſſ.
2	b	
3	c	
4	d	*Franciſci Confeſſoris.*
5	e	Placidi & ſoc. martt.
6	f	
7	g	Marci Papæ & confeſſ.
8	A	
9	b	Dionyſii, Ruſtici, & Eleuth. martt.
10	c	
11	d	
12	e	
13	f	
14	g	Calliſti Papæ & martt.
15	A	
16	b	
17	c	
18	d	*Lucæ Euangeliſtæ.*
19	e	
20	f	
21	g	Hilarionis Abbatis.
22	A	
23	b	
24	c	
25	d	Chryſanthi & Dariæ martyrum.
26	e	Euariſti Papæ & martyris.
27	f	Vigilia.
28	g	*Simonis & Iudæ Apoſt.*
29	A	
30	b	
31	c	Vigilia.

NOVEMBER

Habet dies xxx.

1	d	*Feſtum omnium Sanctorum.*
2	e	*Commemoratio omnium fidelium defunctorum.*
3	f	
4	g	Caroli Epiſcopi & Confeſſ. cum commemoratione oct. omnium Sanctorum & Vital. & Agric. martt.
5	A	
6	b	
7	c	
8	d	Quatuor Coronatorum martyrum.
9	e	*Dedicatio Baſilicæ Salvatoris.*
10	f	
11	g	*Martini Epiſc. & conf.*
12	A	Martini Papæ & mart.
13	b	
14	c	
15	d	
16	e	
17	f	Gregorii Thaum. Epiſc.
18	g	*Dedicatio Baſilicarum Petri & Pauli.*
19	A	
20	b	Pontiani Papæ & mart.
21	c	*Præſentatio B. Mariæ.*
22	d	Cæciliæ virginis & mart.
23	e	Clementis Papæ & mart.
24	f	Chryſogoni martyris.
25	g	*Catharinæ virginis & mart.*
26	A	Petri Alexandrini Epiſcopi & martyris.
27	b	
28	c	
29	d	Vigilia.
30	e	*Andreæ Apoſtoli.*

DECEMBER

Habet dies xxxj.

1	f	
2	g	Bibianæ virginis & mart.
3	A	Franciſci Xaverii Confeſſoris.
4	b	Barbaræ virginis & mart.
5	c	Sabbæ Abbatis.
6	d	*Nicolai Epiſcopi & confeſſ.*
7	e	*Ambroſii Epiſcopi & confeſſ.*
8	f	*Conceptio B. Mariæ.*
9	g	
10	A	Melchiadis Papæ & mart.
11	b	Damaſi Papæ & confeſſ.
12	c	
13	d	*Luciæ virginis & mart.*
14	e	
15	f	Euſebii Vercell. Epiſcopi & martyris.
16	g	
17	A	
18	b	
19	c	
20	d	Vigilia.
21	e	*Thomæ Apoſtoli.*
22	f	
23	g	
24	A	Vigilia.
25	b	*Nativitas Domini.*
26	c	*Stephani Protomartyris.*
27	d	*Ioan. Apoſt. & Euang.*
28	e	*SS. Innocentium martt.*
29	f	Thomæ Cantuar. Epiſcopi & martyris.
30	g	
31	A	Silveſtri Papæ & confeſſ.

Hæc Epact. 19. *nunquam eſt in uſu, niſi quando eodem anno concurrit cum aureo numero* 19.

INTRODVCTIO
IN PARADISVM.

PARADISVM vides, pie LECTOR, apertum omnibus: nolim tamen quenquam temerè huc pedem inferre. Quin paucis in aditu te præmonitum volo.

Vulgaris admodum error eſt; devotionem in libris ponere, vel habere: quæ magis in anima quærenda eſt. Multi ſe devotos putant, aut tales putantur, ſi benè multas, ac prolixas quotidie ex piis libellis, Preces, velut penſum quotidianum, certa quadam ac ſtabili lege perſolvant.

Eſto, habeat hoc aliquam pietatis ſpeciem: Nec id ego quidem prorſus damnaverim: At ſi tales interim non mutent & emendent mores, nec internæ pietatis, aut ſolidæ virtutis rationem habeant, ſed identidem in ſuis preculis hæreant & acquieſcant; cui non meritio ſuſpecta ſit hujuſmodi Devotio? Caret quippe radice ac ſucco, unde pendet omnis ſinceræ pietatis vigor.

Nam hoc potiſſimum nomine commendatur orandi ſtudium, quod profectus, ac ſanctioris vitæ præſidia comparet. *Benè novit vivere*, ait Auguſtinus, *qui rectè novit orare*. Ita eſt; Mutua ſunt bonæ Vitæ, & bonæ Orationis auxilia: nec alterum ſine altero conſiſtere poteſt. Orationem bona vita commendat; Oratio bonam vitam conſervat ac promovet.

Quis ergo cenſendus *Devotus*, quæris? Is utique, qui erga res divinas, Orationem, & pietatis officia prompto affectu ducitur: Sed & vitam quoque divino dignam obſequio ducere nititur. Vis ergo, mi Chriſtiane, pius eſſe, aut certè fieri? Hoc non fit verbis quantumvis piis ſanctiſque, ſed factis. Dum itaque legis pias, ſanctas, devotaſque preces, parem junge pietatis affectum, & ſerium ad pios ſenſus in temet exprimendos ſtudium adhibe.

Nam

Nam *pia* legere, facilè quivis, etiam impius, poteſt. Sed *piè* legere (curare, ſcilicet, ut ſanctis verbis reſpondeant mores) hoc non niſi piorum eſt. Paucis, quod ore verſas, hoc fac in corde ſentias; ne audias & tu: *Hic populus labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt à me*: aut illud: *Quare tu enarras juſtitias meas?* &c.

Quid enim eſt ORATIO, niſi mentis in Deum elevatio? Quomodo autem mens erit in cœlo, ſi mores in cœno jaceant?

Porro ſolet ORATIO in *Mentalem* & *Vocalem* dividi; quod cave ſic accipias, quaſi *Vocalis* ſolius vocis aut oris officio conſtet: Nam & in ea mentem requirimus, ſi non actu, ſaltem habitu & virtute præſentem.

Quid enim Oratio ſine mente, niſi palea ſine grano, cortex ſine medulla, lampas ſine oleo, flores ſine fructu, corpus ſine anima? Falluntur prorſus qui Deum ſpecioſis, excultis, vel etiam ſanctis verbis flecti putant. Spiritus eſt Deus, & in ſpiritu adorandus eſt.

Quorſum ergo verba, ritus, ceremoniæ? dicat aliquis: Nempe ad ſolum hominis animum excitandum: Is unus eſt, quem reſpicit, & quo movetur Deus. Ecce Cain & Abel fratres; utrumque quidem offerentem Deus vidit: ſed diſpar offerentium animus utriuſque apud Deum munera & merita diſcrevit, ut ſolius Abelis ſacrificium reſpexiſſe dicatur.

De triplici Attentione Orationis vocalis, nempe ad Deum; ad verba; & ad ſenſum verborum; nota res eſt; nec eſt præſentis inſtituti, Doctrinam orandi prolixius tradere. Peculiarem id Tractatum requirit; Quæ verò magis neceſſaria viſa ſunt, in *Colloquio* I *Sect.* pius LECTOR inveniet. Sed quia vocalis Oratio malè nimium apud pleroſque audit, pauca non abs re ante Paradiſi ingreſſum prænotanda duximus.

Duplex itaque eſt *Vocalis* ORATIO; *Publica* & *Privata*: *ad illam* Pſalmodia Eccleſiaſtica, ſeu Horæ Canon.

 perti-

pertinent: ad *hanc* Preces arbitrariæ, quas quiſque vel ſibi ipſi format, vel ab aliis formatas aſſumit. De *poſteriore* nunc agimus, & ut benè fructuoſeque fiat, REGVLAS quaſdam huc neceſſarias paulo poſt trademus: quæ tamen *priori* quoque non minus convenient.

Duo autem ſunt MODI cæteris perfectiores, quibus inſtitui poteſt *Oratio vocalis.*

I. Cum orans attente & perfecte recitat ſingula: ut etiam intelligat, quæ legit, ſed progreditur continuo; ita ut nuſquam mens inhæreat, & lecta ruminet.

Eſt quidem hic vulgaris Modus orandi: ſed ſic vix aliquo pio guſtu paſcitur animus orantis. Nam ſi quem forte pium ſenſum vel affectum verbum vel ſententia quæpiam ſuggerat, is in progreſſu ad alia protinus elabitur & evaneſcit.

Vnde ſimilis eſt hic modus pluviæ, ſeu imbri, cum impetu, & copioſe cadenti, qui ſuperficiem terræ tantum lambit, non perfundit, aut irrigat. Nam priuſquam imbibi poſſit, defluit. Sic, inquam, illa *Vocalis oratio* feſtina ſenſibiliter tantum afficit orantem; ſed nullo ſolido affectu mentem imbuit; dum nullibi pes figitur, & continuo ad alia pergitur.

II. Inſtituitur *Vocalis* ORATIO, quando oras non modo cum intellectu verborum, ſed & in ſingulis quaſi verbis, aut ſaltem ſententiis, pium aliquem ſenſum conficientibus, mens pauliſper inſiſtit, eas expendit ac ruminat; ſeſeque, quaſi gratum nacta pabulum reficit.

Sic verbi gratia recitando *Orationem Dominicam*, aut *Pſalmos*, in vocibus, aut ſententiis nonnihil immorari licet, & expendere quid cœleſtis illic mellis, quid ſpiritualis guſtus, ſolatii, & doctrinæ lateat, ad congruos ex ſingulis affectus, verbi gratia fidei, ſpei, amoris, &c. eliciendos.

Hoc genus orationis eſt inſtar continuatæ Pluviæ, minutis quidem, ſed denſis guttis decidentis; quæ proinde terram ſubit, & ad interiora penetrat, eamque copio-

ſius

ſius irrigat ac fœcundat. Talis quippe Oratio, certum habet ſcopum & finem; adeoque certos poſt ſe affectus menti impreſſos relinquit, unde deinceps reficitur, paſcitur, irrigatur uberius.

Hujus orationis modum & praxin nos paſſim per ſingulas Paradiſi Sect. in *Orationem Dominicam* ſat luculenter oſtendimus.

Ita ſolitum orare illuſtrem ſanctimonia & doctrina Virum *P. Leonardum Leſſium*, refert Auctor Vitæ *cap.* 10. Exemplum ſit, inquit, Dominica precatio (idem judicium eſto de aliis) quam non curſim, ut multi malè ſolent, percurrebat; ſed ſingulos verſiculos bis, ter, vel ſæpius repetebat: nec ad ſequentem tranſibat prius, quam prioris ſingula verba moroſè excuſſiſſet, & ſapido cordis affectu pariter deguſtaſſet. Satius ſiquidem, ajebat, eſſe, ſemel duntaxat *Orationem Dominicam* ſic repetitis & deguſtatis verſiculis recitare, quam centies exigua attentione eam curſim percurrere. Sed age, pauca in hanc rem tradamus.

MONITA
in omni ORATIONE *perutilia.*

I. Præparandus eſt animus. *Ante orationem præpara animam tuam, & noli eſſe quaſi homo tentans Deum.* Nempè cogita ſeriò, quid facturus ſis; Nam loquêris & ages cum Deo, Creatore tuo; Cœli Terræque Domino; laudes illi dices; tuas illi neceſſitates & infirmitates expones; opem ejus & beneficia poſces: At quam attentè, reverenter, religioſe, piè, humiliter in tantæ Majeſtatis conſpectu hæc fieri neceſſe eſt!

II. Præmitte *actum Contritionis.* Nam *Deus peccatores non audit,* imo odit; nempè qua tales; ſeu, quos peccaſſe non pœnitet. Et quomodo audet reus impœnitens ingerere ſe conſpectui offenſi Iudicis?

III. Præfige tibi bonam *Intentionem*; imò non unam, ſed plures. Nimirum, quod orationem ad ſolius Dei

gloriam, tuam, & proximi ſalutem inſtituas, hac vel illâ virtute, donari; hoc vel illo vitio liberari deſideres, *&c.*

IV. *Pete gratiam* ad piè, attentè, & utiliter orandum. Interim tu ipſe firmiter propone, nullas alienas ab oratione cogitationes, quantumvis importunè, quacunque ſpecie, aut utilitatis prætextu ſe ingerentes, ſcienter admittere; Ideoque ſenſibus, præſertim oculis, & auribus diligentem cuſtodiam adhibe. Quam facile per has portas intrat, quod pacem animi turbat? Locus devotioni magis idoneus, diſtractioni minus obnoxius eligatur. Compoſitio corporis ea ſit, quæ pietati ſerviat.

V. In ipſo decurſu Orationis ſæpius *recollige mentem.* Memoriam divinæ præſentiæ frequentius renova. Adſpergenda ſubinde Oratio (nempe vocalis, præſertim ab alio formata) & quaſi condienda propria aliqua mentis allocutione, ut & ipſa ex ſe Deum compellet, ac per ſe, quaſi ſine adminiculo alterius cum Deo agat; quod fiet eliciendo congruentes verbis aut ſententiis lectis affectus, nempe *Fidei, Spei, Charitatis, Contritionis, Gratitudinis, Humilitatis, &c.*

VI. Denique ab Oratione *reverenter diſcedere* memento. Admiſſus à Principe ad Colloquium negotii tui cauſſa, ſi eo expoſito, confeſtim obverſo dorſo diſcederes; non exhibito ullo reverentiæ, aut gratæ mentis indicio; quam id eſſet indecorum ac ruſticum!

Itaque Orationis tuæ ſucceſſum paucis examina; Dole de commiſſis defectibus; ac veniam pete, obſequium licet imperfectum Deo ſupplex offer & commenda, ut per merita Filii I. C. B. Mar. Virg. & omn. SS. gratum habeat; idque ad intentionem ſeu finem initio præfixum Hæc omnia breviter ac facile fieri poſſunt. Formulas infra dabimus.

Hic eſt modus rectè & utiliter orandi, ſeu formulis Precum in *Paradiſo* alibive præſcriptis utendi: quem ſi non obſerves, bone LECTOR; libens & ego fatebor, vocalem Orationem aridam eſſe, omnis ſucci, & ſpiritualis

tualis

tualis guſtus fructuſque expertem: fieri, quod Propheta queritur; ut *comedas & non ſatieris; bibas & non inebrieris; ſemines multum, & inferas parum,* &c.

Habent ſanè, non inficior, hoc incommodi orationes, quæ recitantur ex libris, (ſed quid mirum, ubi deficit illa, quam diximus, orandi induſtria?) quod ſæpe affectibus propriis, aut neceſſitatibus ejus qui recitat, minus reſpondeant; ita ſcilicet, ut verba ſæpè ſonent compunctionem, amorem Dei, & proximi; ſtudium divinæ Legis, deteſtationem cupiditatis, *&c.* (verbi gratia cum dicit; *Domine non eſt exaltatum cor meum; neque elati ſunt oculi mei.* Idem, *quomodo dilexi legem tuam Domine, tota die meditatio mea eſt. Propterea dilexi mandata tua ſuper aurum & topazium,* &c. *Inclina cor meum in teſtimonia tua, & non in avaritiam,* &c.) Cum tamen recitans nihil eorum guſtet in animo, imò affectus his virtutibus contrarios ſentiat; nec reflectat ſeſe, ut vel ſemel de iis exſtirpandis cogitet. Adeò non convertitur Oratio ejus in ſinu ejus. Nimirum dum alienos cibos, quaſi præmanſos, & ad alterius palatum guſtumque præparatos, ſine maſticatione confertim ingerit, fraudatur jucundo ſapore; nec eos ſat probè in ſuum ſuccum & ſanguinem convertit.

Quid hic porrò remedii, niſi ut pios illos conceptus in libris precariis expreſſos, quaſi apud ſe natos ex intimo animi ſui ſenſu pronuntiet; iiſque inter legendum affectum ſuum conformet; & quos in ſeſe deprehendit contrarios naturæ rebellis affectus, coram Deo abneget; ejuſque gratia vincere & corrigere ſtudeat.

Securiſſima autem in hoc genere eſt ORATIO DOMINICA, quæ cuivis hominum generi, ſtatui, & neceſſitatibus omnium accommodata, nemini non convenientem & neceſſariam orandi materiam ſuggerit: Vt non mireris, pie Lector, ſi in Paradiſo hoc novo per ſingulas Sectiones tot, & tam varia in *Orationem Dominicam* Exercitia videas. Quin potius mecum mirare, quod tam

ſit fœcunda piorum ſenſuum, & tam varium ac multiplicem orandi uſum una,atque adeò brevis Oratio præbeat.

Sed quid mirum,quando ipſe Magnus in ſuprema Curia *Libellorum ſupplicum* Magiſter, eam nobis concinnavit & dictavit? Elogia ejuſdem plura & pulchra ſane petat LECTOR ex S. Cypriano, S. Auguſtino, &c. nobis id per has anguſtias non licuit.

Complures,& novas quidem hîc LITANIAS damus; ſed ne quenquam offendat novitas: ex meris Scripturæ verbis & ſententiis conſtant. Et præcipua, tum divinæ naturæ, tum & Perſonarum in SS. Trinitate attributa, perfectiones, officia, beneficia, laudes & elogia repræſentant: Et reipſa quid ſunt, niſi Aſpirationes devotæ, quales ex verbis Scripturæ ſano ſenſu acceptis firmare cuivis liceat?

In his ceteriſque pius LECTOR, ni fallor, ſat uberem habebit piorum affectuum, & ſanctarum meditationum materiam. Si cui forte prolixitas alicubi pariat nauſeam, is ſtudeat eam vincere, vel condire Amore Dei: Sin minus; prolixiora in partes dividi nihil vetat. Alioqui,ſicut in lauta menſa, ſic & in *Paradiſo* varia vides apponi fercula; ut quiſque ſeligat, quod magis ad guſtum. Præſtat enim & hîc multum potius, quam multa. Sed verbis S. Auguſtini claudamus Introductionem:

Neque enim, inquit, *ut nonnulli putant, hoc eſt orare in multiloquio,ſi diutius oretur. Aliud eſt ſermo multus,aliud eſt diuturnus affectus. Nam & de ipſo Domino ſcriptum eſt, quod pernoctaverit in orando, & quod prolixius oraverit: ubi quid aliud,quam nobis præbebat exemplum, in tempore precator opportunus, cum Patre exauditor æternus? Abſit enim ab oratione multa locutio, ſed non deſit multa precatio,ſi fervens perſeverat intentio.Nam multum loqui eſt in orando rem neceſſariam ſuperfluis agere verbis. Multum autem precari,eſt ad eum, quem precamur, diuturna, & pia cordis excitatione pulſare. Nam plerumque hoc negotium plus gemitibus, quam ſermonibus agitur; plus fletu, quam affatu,* Ep. 121.

ORA-

ORATIO PRÆPARATORIA,

Ante quamlibet Orationem utiliter præmittenda.

OMnipotens æterne Deus, ego peccator indignus, attamen opus manuum tuarum, venio coram te, ut laudem te, quia tu es Deus, Dominus, Creator, Salvator ac Conſervator meus! quem ſolum mihi, proximiſque dona ad ſalutem utilia præſtare poſſe ſcio, quia ſumme potens es; & velle non dubito, quia ſumme bonus es. Quem omnes creaturæ in cœlo & in terra laudare debent, & nunquam pro merito laudare ſufficiunt.

Verum miſer ego ad orandum Te, heu, quam indignus, & imparatus venio ob innumera peccata mea! Doleo ex intimo corde meo, quod unquam offenderim Te Deum meum, ſumme bonum, quem laudare & amare ſuper omnia debueram.

Sed tu me fac dignum per miſericordiam tuam: & munda me pretioſo Sanguine Ieſu Chriſti Filii tui Salvatoris mei, ab omnibus iniquitatibus meis. Quin & ab omnibus vanis, noxiis, & alienis cogitationibus libera cor meum, ut in ſpiritu, & veritate Te adorare & laudare valeam; & quæ ſupplex ab immenſa bonitate tua petiturus ſum, obtineam; idque ſecundum beneplacitum clementiſſimæ voluntatis tuæ, cui per omnia me libens, ſubjicio. At quomodo ſervus inutilis inveniet gratiam in conſpectu tuo? Reſpice ô Pater in faciem *Chriſti* tui, in quo tibi bene complacuit: in cujus Nomine ſupplex rogo, ut clementer exaudias me.

Ecce ardentiſſimas ejus orationes, pios affectus, & ſancta deſideria, ſanctiſſimas ejus cogitationes, verba & opera; omniaque Vitæ, Paſſionis ac Mortis illius merita offero Tibi, ut ex illorum perfectione, & unione ſuppleantur omnes defectus mei, & per Illum velut Mediatorem & advocatum noſtrum, placeat Tibi, ô Pater æterne, obſequium hoc ſervitutis meæ.

Et utinam affectu, zelo & fervore beatiſſimæ Matris & Virginis *Mariæ*, ſanctorum Angelorum, & omnium Beatorum, præſertim Patronorum meorum, N. & N. Te colere, amare & laudare valeam.

Idque eo fine, ut auferas à me, quidquid Tibi diſplicet in me, imprimis N. & N. Imperfectum meum vident oculi tui, ô Scrutator cordium. Gratiam quoque, & virtutes mihi magis neceſſarias, ut in vocatione mea dignius ſerviam Tibi, velut has N. & N. benigne largiaris. omnia *Ad majorem nominis tui gloriam*, meam & proximorum ſalutem, & defunctorum ſolatium, maxime quibus ſingulariter obligatus ſum.

Hoc *unum* Domine vehementer deſiderat anima mea, nimirum, ſervire, placere, & adhærere Tibi; nunc & in æternum. Tu enim es Deus meus & *omnia*. Amen.

APeri Domine os meum ad benedicendum ſanctum nomen tuum: cupio enim tibi attente & fideliter pſallere, teque pure laudare, in unione illius perfectiſſimæ attentionis, qua tu Patrem rogaſti & laudaſti in terris; & præſertim, qua cum ardore cordis tui & in ſudore ſanguineo vultus tui orabas ad montem Oliveti.

Adjuva me gratia tua, ſine qua nihil poſſum. & vis immenſæ charitatis tuæ ſuppleat omnem defectum meum, ut placeat tibi obſequium ſervitutis meæ, quod offero ad gloriam nominis tui, & meam, proximique ſalutem. Amen.

Alia.

ACtiones noſtras, quæſumus Domine, aſpirando præveni, & adjuvando proſequere, ut cuncta noſtra oratio & operatio à Te ſemper incipiat, & per Te cæpta finiatur. Per Dominum noſtrum.

Alia.

DEus cui omne cor patet, & omnis voluntas loquitur, & quem nullum latet ſecretum; purifica per infuſionem ſancti Spiritus cogitationes cordis noſtri, ut te perfecte diligere & digne laudare mereamur. Per Dominum noſtrum.

O R A T I O.

Officium, aut Orationem claudens.

DIrigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo, ô Rex Regum, optime, potentiſſime & ſapientiſſime. Defectus & errores ejuſdem ignoſcat quæſo, paterna clementia tua, & ſuſcipe eam in unione omnium orationum Dilecti Filii tui Ieſu Chriſti, & Electorum tuorum in cœlo & in terra; ex omni affectu Triumphantis & Militantis Eccleſiæ:

Ad gloriam tuam, & laudem B. Virginis, & Sanctorum omnium; eorum præcipue, quos hodie, vel ex decreto Eccleſiæ, vel tamquam Patronos ſponte mea colendos ſuſcepi:

Ad memoriam Paſſionis Ieſu Chriſti Salvatoris mei; in gratiarum actionem pro omnibus beneficiis tuis: Ad ſalutem omnium, qui ſe mihi commendarunt: in ſatisfactionem pro peccatis meis, & gratia tua impetranda, & hac virtute N. & concede, ut benedicam Te in omni tempore; & ſicut laus tua ſemper eſt in ore meo, ſic etiam corde & opere Te prædicem, ut ſobrietate, modeſtia, zelo, devotione, puritate, obedientia, manſuetudine, & patientia tibi placeam: ut omnes Te ament, & glorificent, qui es benedictus in ſæcula. Amen.

Alia.

CLementiſſime Deus, qui me peccatorem ex infinita bonitate tua non dedignatus es ſtare in conſpectu tuo, ut laudarem te; ignoſce mihi precor, omnes errores meos, quos vel ex ariditate vel negligentia, vel infirmitate naturæ, inter orandum admiſi; ne oratio mea fiat mihi in peccatum; & glorietur adverſum me inimicus meus quod iis ipſe vulneret armis, quibus ille feriendus erat.


Vide Domine humilitatem meam, & laborem meum, & dimitte univerſa delicta mea, per Vnigenitum Filium tuum, in quo Tibi bene complacuit. Placeat Tibi oratio, & operatio mea, quæ heu, in multis deficit. Sed non deſpicies, ſancte Pater, ſi reſpexeris in faciem Chriſti tui: illum enim cumulaſti omnibus bonis & gratiarum theſauris, ut illius abundantia nos divites eſſemus.

Confirma hoc Deus, quod operatus es in me, juravi enim & ſtatui cuſtodire judicia juſtitiæ tuæ. Fac ut diligam mandata tua ſuper aurum & topazion, amer à Te, & amem Te in æternum. Amen.

Alia breviter.

SVſcipe, clementiſſime Deus, intervenientibus meritis unigeniti tui Chriſti Ieſu, precibus quoque beatiſſimæ Mariæ Virginis, & omnium Sanctorum tuorum, officium ſervitutis meæ.

Et ſi quid egi laude dignum, propitius reſpice: & quod negligenter actum eſt, clementer ignoſce. Qui in Trinitate perfecta vivis & regnas Deus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.


Sanctus. Sanct. S. Dns Deus ex rcitu um
Sanctus. Sanct: S. Dns Deus exercituum

ÆTERNO
TOTIVS VNIVERSITATIS
AVCTORI, RECTORI,
IVDICI,

DEO TRINO, & VNI,

Potenti, Sapienti, Bonoque,

IVSTITIÆ, & PROVIDENTIÆ
ABYSSO:

MISERICORDIÆ PARENTI,

TER OPT. MAXIMO.

Qui Cœlum GLORIA,
Mare POTENTIA,
Terras SAPIENTIA;

Omnia BONITATE, imo TEIPSO reples.

Altiſſimo ſuper omnem terram.

Cujus oculi lucidiores ſuper ſolem, circumſpicientes omnes vias hominum.

REGI

REGI MAGNO

ſuper omnes DEOS.

Qui ſolus habes immortalitatem, & lucem inhabitas inacceſſibilem.

Qui omnia in menſura, & numero, & pondere diſpoſuiſti.

In quo Vivimus, Movemur, & Sumus.

Qui aperis manum tuam; & imples omne animal benedictione.

Qui es PRINCIPIVM & FINIS;

Et SVMMVM Rationalis Creaturæ BONVM.

Tuus ſum ego: Tua ſunt OMNIA.

EX QVO, PER QVEM, & IN QVO ſunt omnia.

Quid enim mihi eſt in cælo?
Et à TE quid volui ſuper terram?

O DEVS MEVS & OMNIA.

PARADISI ANIMÆ CHRISTIANÆ SECTIO I.

PRO DOMINICA.

Complectitur hæc Sectio Litanias, Orationes, Gratiarum actiones, varias Meditationes, & expoſitiones Orationis Dominicæ, aliaque exercitia pietatis ad SS. TRINITATEM. *Præmiſſo tamen ante omnia* Colloquio inter Chriſtum & Hominem; *quo modus diligenter, piè & utiliter orandi traditur; & mens piis in Deum affectibus excitatur.*

CAP. I.

Colloquium Chriſti & Hominis de modo recte & utiliter orandi.

§. I. *Orandi neceſſitas & utilitas.*

CHRISTUS.

HOMO natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miſeriis: ſed tanto miſerior, ſi poſitus inter ipſas miſerias neſcit, quia miſer eſt, & pauper, & nudus, & debilis; adeoque nec curet remedia, quibus poterat conſulere ſibi, & non ponat Deum adjutorem ſuum. Si ignoras, ô homo, veni, ſecede pauliſper mecum extra turbas, & ducam te in ſolitudinem, & ibi loquar tibi ad cor, ſi forte ſic agnoſcas miſeriam & nuditatem tuam.

Memento itaque, mi homo, quia ego feci te, & tu non ipſe te. & quidem creavi te ad imaginem meam cum non eſſes: cum vero perditus eſſes, ego ipſe redemi te,

non corruptibilibus auro vel argento, aut gemmis pretioſis, ſed ſanguine meo pro te effuſo. At quo fine, niſi ut laudes nomen meum, & ſervias mihi in hac vita, & poſtea mecum regnes in omni æternitate?

Tu vero vide jam, quantis periculis & malis obnoxius ſis in via hac, qua ambulas, priuſquam ad metam illam pervenias. Nonne in tenebris, & in umbra mortis ſedes? nonne in medio laqueorum perambulas? Quocunque vertis te, ſive ad dexteram, ſive ad ſiniſtram, ubique hoſtes, & inſidiæ: foris pugnæ, intus timores. Diabolus, tanquam leo rugiens, circuit quærens quem devoret. Mundus totus in maligno poſitus, allicit ut decipiat; caro, hoſtis tuus domeſticus, & inter omnes periculoſior, blanditur, ut inficiat. Creaturæ, quæ tibi ſcalæ eſſe debebant ad Creatorem, in muſcipulam fiunt pedibus inſipientium. Ipſi ſenſus tui portæ ſunt, & feneſtræ, per quas ingreditur mors in animam tuam.

HOMO. Verum eſſe quod dicis, ô Domine, ego nimis frequenter experior; ut nihil mirum ſi exclamem & ego, Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Aut quo me vertam in tot periculis? quid faciam, ut dirigantur pedes mei in viam pacis, & ſalutis? ut non peream, ſed ſecurus ad metam, id eſt, ad te, DEUS meus, & ſummum bonum, ſalvus perveniam? Anguſtiæ mihi ſunt undique; cum vero ignorem quid agere debeam, hoc ſolum habeo reſidui, ut levem oculos meos ad te in cælum, unde veniat auxilium mihi.

CHRISTUS. Hoc eſt, quod perſuaſum tibi ante omnia cupio, nimirum ut intelligas, quam neceſſaria tibi ſit ſeria & frequens ORATIO. Invoca me ergo in die tribulationis; eruam te, & honorificabis me. Fruſtra enim jacitur rete ante oculos pennatorum; eorum ſcilicet, qui ponunt in cælis nidum ſuum; qui relicta terra ſæpius mente in cælum evolant. Nam qui habitant in adjutorio Altiſſimi, illi demum ſecure in protectione

Dei

Dei cæli commorantur. An ſecurum te putas, dum inniteris prudentiæ tuæ, & ponis carnem brachium tuum? at cogitationes mortalium timidæ, & incertæ omnes providentiæ veſtræ. Sine me nihil poteſtis facere; quia ego do velle, poſſe, & perficere.

Qui ſine oratione præſumpſerunt ardua; aut aggreſſi ſunt perficere conſilia & cogitationes cordis ſui, ad nihilum redacti ſunt & confuſi; telas araneæ texuerunt: fuerunt velut hortus abſque aqua, & omnis fortitudo eorum, ut favilla ſtuppæ. At vide hominem orationi deditum: hic erit, tanquam lignum plantatum ſecus decurſus aquarum: & omnia quæcunque faciet, proſperabuntur. Scrutare ſcripturas, quia ipſæ perhibent teſtimonium de his, quæ virtute orationis ab omni ſæculo patrata ſunt mira & ſupra omnes naturæ vires majora; nempe, invocato nomine Domini, qui facit mirabilia magna ſolus.

HOMO. Miſerere mei Domine, quoniam inops & pauper ſum ego; & ſicut puer parvulus, ignorans egreſſum & introitum ſuum, qui manus quidem & pedes habet, ſed nuſquam progredi poteſt, niſi adjutus ope matris aut nutricis ſuæ. Fruſtra ego conor, & laboro in ſudore vultus mei, ſi quidquam grande vel parvum moliar ſine te, in quo nos omnes vivimus, movemur, & ſumus; nec ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, tanquam ex nobis, ſed omnis noſtra ſufficientia ex Deo eſt.

CHRISTVS. Itaque fili, ſi indiges ſapientia, aut ſcientia, poſtula à me, & dabitur tibi. In me ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi. Falleris, ſi orationem negligis, & ſolo ſtudio aut induſtria humana illam comparari putas. An non audiſti multos ſervorum meorum ingenue confeſſos, quod plus oratione, quam multo ſtudio & lectione profecerint? Si honores & opes deſideras, meus eſt orbis terræ, & plenitudo ejus, meum

eſt conſilium, mea eſt prudentia, mea eſt fortitudo. Per me reges regnant; mecum ſunt divitiæ & gloria, opes, & juſtitia. Ego Dominus, ſuſcitans, de pulvere egenum. Facile mihi eſt ſubito honeſtare pauperem, & collocare humilem cum principibus populi ſui. Vires, valetudinem, aut vitam optas? Scito quod in terra nihil ſine cauſſa fit, & de humo non egreditur dolor. Ego mari, & ventis, & omnibus elementis impero; & confeſtim obediunt mihi. Ego occidam & ego vivere faciam: percutiam & ego ſanabo. In manu mea ſunt omnes fines terræ, & in ditione mea cuncta ſunt poſita. Bona & mala, vita & mors: & omnia quæ deſiderari poſſunt. Fruſtra hæc quæris alibi, ſi me primum non requiſieris.

§. 2. *Præparatio ad orationem per affectus humilitatis & Pœnitentiæ ſeu contritionis.*

HOMO. Vere omne datum optimum, & omne donum perfectum de ſurſum eſt, à te, inquam, ô Pater optime, qui das omnibus affluenter, adeo etiam ad dandum facilis & pronus, ut ames rogari, imo jubeas.

Paratum cor meum Deus, paratum cor meum, ſæpius loqui tecum, & effundere in conſpectu tuo orationem meam.

Sed quid eſt homo, quod ita magnificas eum, & tam amanter invitas ad orationem, ſeu ad colloquium tuum? Egone comparebo coram te, & loquar ad Dominum meum, cum ſim pulvis & cinis? imo, quod gravius eſt, indignus & ingratus peccator, qui toties læſi & offendi majeſtatem tuam? Heu me, ſi juſtus in principio ſermonis accuſator eſt ſui, nec audet appropinquare tibi, ego impius & peccator ubi parebo? Quid mirum, ſi anxiatur in me ſpiritus meus, & turbatur cor meum? ſi anguſtiæ mihi ſint undique, dum hinc orationis neceſſitatem attendo, hinc indignitatem meam recogito. Sed quo ibo à ſpiritu tuo, & quo à facie tua fugiam? Servus

tuus ſum ego, da mihi intellectum, & doce me facere voluntatem tuam.

Christus. Ego ſum qui ad orandum, & loquendum mihi exhortor, & invito te. Veni ergo & noli timere. Sed vide tamen, ne imparatus venias. En Moyſen reſpice. Hic venturus ad colloquium meum, jubetur calceamenta deponere de pedibus ſuis. Tu quoque fac ſimiliter. Exue primum actus & affectus ex pulvere terræ maculatos. Multi enim, quaſi nullum minus, quam me præſentem credant, aut neminem viliorem, minuſve honore dignum judicent, ſic temere & irreverenter irruunt ad alloquium meum. Sicne reus coram Iudice, cliens apud patronum, ſervus apud Dominum, ſubditus coram Principe, mendicus coram divite cauſſam ſuam agit? Imo ſicne homo unus alteri ſibi æquali loquitur? Tu vero ſi vis placere mihi, aut effugere iram indignationis meæ, fac diligentius te ad orandum compares. Maledictus enim qui facit opus Dei negligenter.

Itaque ante orationem præpara animam tuam, & noli eſſe quaſi homo, qui tentat Deum. Facit hoc autem, qui mediis non ordinariis, aut non recte ordinatis dona mea poſtulat: qui orationis fructum à me exſpectare audet, quam ut cœpit ſine cura ac diligentia, ſic ſine guſtu & affectu; arida mente peragit. Nempe hi ſunt qui labiis me honorant, cor autem eorum longe eſt à me. Sed ecce quid hæc præparatio requirat à te.

Inprimis dole ex intimo corde, quod me peccando toties offenderis; quia non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris. Quomodo enim tu enarrabis juſtitias meas, & aſſumes teſtamentum meum per os tuum; tu, qui odiſti diſciplinam meam, & ſermones meos projeciſti retrorſum? Ad quem vero promptius & benignius ego reſpiciam, quam ſuper humilem ſpiritu, contritum corde, & trementem ſermones meos? Voluntatem timentium me faciam, & deprecationem eorum exaudiam.

O quoties vocavi ego te, & renuiſti, & deſpexiſti omne conſilium meum! quid mirum, ſi & ego te ſubinde tardius audiam, aut prorſus audire renuam? O quoties obturaſti aures tuas ad clamorem pauperis; & miraris, ſi clames ipſe, & non exaudiaris?

HOMO. Vere ſcio Domine, quod ita ſit; & quod non juſtificetur homo compoſitus DEO. Si voluero contendere tecum, non potero tibi reſpondere unum pro mille. Si juſtificare me voluero, os meum condemnabit me. Peccavi in cælum, & coram te, & jam non ſum dignus levare ad te oculos meos. O ſi cor meum non reprehenderet me, fiduciam utique magnam haberem ad Deum. Iniquitatem ſi aſpexi in corde meo, non exaudiet Dominus. Sed quis poterit dicere, mundum eſt cor meum? Certe vir pollutus corde & labiis ego ſum. Ego ſum qui peccavi, & malum coram te feci. Quis vero mundum faciet de immundo conceptum ſemine, niſi tu Domine, qui laviſti nos in ſanguine tuo? Munda itaque cor meum & labia mea. Amplius lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. Doleo ex intimo corde, ob amorem tui, quod offenderim te, Deum, Salvatorem, & ſummum bonum meum. Iuravi & ſtatui deinceps, per gratiam tuam, cuſtodire judicia juſtitiæ tuæ, præſertim in his N. & N. Cor contritum & humiliatum Deus ne deſpicias, neque iraſcaris ſuper orationem ſervi tui.

§. 3. *Præparatio ad Orationem per directionem Intentionis & finis.*

CHRISTVS. Quia agnoſcis peccata tua; ego libens ignoſco. Nam quod cæcus ille dicebat, *Deus peccatores non audit*; id ſano ſenſu verum eſt; nempe de impœnitentibus acceptum: nam qui avertit aurem ſuam ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis. Itaque peccata tua non te puſillanimem faciant, ſed humilem. Sacrifi-

crificium mihi gratiſſimum eſt ſpiritus contribulatus, ſeu cor contritum & humiliatum.

Hoc præmiſſo, diligenter expende, quo fine ad orationem venias. Nam ad principem nemo ſupplex venit, niſi certum finem ſibi propoſitum habeat. Ita tu quoque memor infirmitatis & egeſtatis tuæ, attende ſerio, cur mecum loqui, quid à me petere velis; ubi ope & gratia mea magis egeas: quem potiſſimum hoſtem armis orationis impetere & ferire debeas, id eſt, ad quod vitium expugnandum, ad quam virtutem obtinendam cæleſti auxilio præcipue opus habeas. Certum, inquam, ſcopum tibi præfige, & huc orans mentem & deſideria dirige. Novi ego quidem, qui novi omnia abſcondita cordis, quid deſit tibi. Sed hoc te ipſum quoque noſſe volo, ut cognitio propriæ neceſſitatis & indigentiæ, ſit tibi quaſi ſtimulus & calcar, quo ferventius ac ſtudioſius te inter orandum geras. Alias orans eris, quaſi aërem verberans, & in vacuum, nullo præfixo ſcopo, jacula mittens. Idem meminiſſe te par eſt in aliis orationibus, quæ vel ſpectant ad laudandum me, vel ad gratias pro beneficiis agendum, &c.

Homo. Quam dulcia faucibus meis eloquia tua Domine, ſuper mel ori meo, quibus tam dignanter & ſuaviter ad orandum me inſtruis! Sed heu confitebor adverſum me inſipientiam meam Domino, & tribulationem meam ante ipſum pronunciabo. Nam infelix ego homo cur diſſimulem miſeriam meam coram te, cui patent interiora cordis mei, & delicta mea à te non ſunt abſcondita? Hoc eſt autem quod gemo, quia tam raro invenit ſervus tuus cor ſuum, ut puram & ſinceram orationem effundat in conſpectu tuo, adeo illud abripiunt curæ & ſollicitudines hujus ſæculi. Heu, quoties ſine ſpiritu & intellectu, ad orationem venio, & quid orem neſcio. Lingua orat, & mens mea ſine fructu eſt, mera & arida conſuetudine fere ad orandum venio, vix raro me-

mor finis, id eſt, gloriæ tuæ, vel ſalutis propriæ. Parum quoque ſollicitus, quomodo orationem pro certis vitiis meis vincendis, aut virtutibus magis neceſſariis obtinendis, rite & decenter inſtituam. Parce mihi Domine, qui ſolus noſti, uti verus Pontifex, compati infirmitatibus noſtris. Tu enim cognoviſti figmentum noſtrum.

Vides ſicut olim, ita & nunc, pro dolor, quia ſenſus & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt, ab adoleſcentia ſua. Corpus enim, quod corrumpitur, aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit ſenſum, ſola, quæ ſurſum ſunt cogitare, quærere & ſapere volentem. Et quod magis mirandum, vel potius miſerandum, infelix ego tunc fere magis experior miſeriam iſtam, quando malis & miſeriis meis apud te remedium quærere debeo; id eſt, tempore orationis: tunc enim mille curæ, quaſi impetum faciunt in me, & cogitationes meæ diſſipatæ ſunt, torquentes cor meum. O quid intus patior, dum mente cæleſtia tracto, & mox carnalium turba occurrit oranti! opto inhærere cæleſtibus, ſed deprimunt res temporaneæ, & paſſiones immortificatæ. Sic jactor inter fluctus in hoc mari magno, & factus ſum mihimetipſi gravis, dum ſpiritus tendit ſurſum, & caro gaudet eſſe deorſum. DEVS meus ne elongeris à me, neque declines in ira à ſervo tuo. Impera ventis & mari, ut fiat tranquillitas magna in corde meo. Domine, ante te omne deſiderium meum, & gemitus meus à te non eſt abſconditus.

§. 4. *Attentio & Reverentia ſub oratione. Remedium adverſus Diſtractiones.*

CHRISTVS. Quod homo invitus patitur, id illi ad peccatum non imputabitur. Tu ſaltem conare, quantum potes, abigere muſcas illas importunas, orationis victimam defœdantes. Si nequis vincere, patienter ſuſtine. Orationi tuæ nihil meriti decedet; imo accedet etiam,

etiam, ſi viriliter agas. Delector enim ego hoc orantis agone, & exercitio; & tum fere propior ſum, cum longius abeſſe videor. Tu vero id unum cura, ut ſemper firmum habeas propoſitum attente & pie orandi; idque ſub orationis initium ſerio feciſſe permagni intereſt. Vnde licet contingat, pro humana infirmitate, mentem orantis inter orandum diſtrahi, vis tamen illius propoſiti initio facti per omnem orationem ſeſe diffundit; eamque conſervat in valore ſuo, quam diu non intervenit voluntas contraria, propoſitum illud abrumpens. Quid enim volo, fili, niſi cor tuum? hoc ſi bonum, omnia bona.

Vt autem cor tuum efficacius in oratione ſtabilias; hoc unum ſemper memento, quo cum agas, dum oras. Quis enim veſtrûm ſerio cogitans, ſtare ſe in conſpectu meo, Iudicis ſui, Domini ac Creatoris ſui, ſummi Regis; &c. non ſtet attonitus & attentus, plenus reverentiæ & timoris? Quis non horreat, obvertere mihi dorſum, & mentem ad alienas, & inanes cogitationes; nedum oculos ad vana, aut os ad fabulas & nugas convertere? Ecce quid animi fuerit, quidve ſolicitudinis ac formidinis dilectis meis Abrahamo, Moyſi, Davidi, Ioanni Præcurſori meo, Petro, Publicano, aliiſque multis, cum verſarentur in conſpectu meo. Nonne ego ſupremus Monarcha cæli & terræ, cui Cherubim & Seraphim, & omnes angelicæ poteſtates, trementes aſſiſtunt? Accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt, ajebat Apoſtolus meus. Ita video prorſus, incredulitas veſtra, & cæcitas, aut languida fides, qua me præſentem creditis, irreverentes vos facit coram me, coram quo tremunt, qui portant orbem.

HOMO. Erubeſco Domine, cogitans, quis ſis tu, & quis ſim ego. Nempe audet vilis terræ vermiculus, & putris ranuncula è palude ſua prorepere ad thronum gloriæ ſummi Dei; & curiam intrare cæleſtem, illam utique curiam, ubi Rex Regum ſtellato ſedet ſolio, cir-

cumdatus innumerabili ſpirituum beatorum exercitu. Siccine ingrediar ego in locum tabernaculi admirabilis uſque ad domum Dei? Egone in conſpectu Angelorum pſallam tibi; adorabo ad templum ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo? Hoc eſt, quod ſerio & viva fide penſabant viri ſancti & dilecti tui: hinc tam religioſe & reverenter coram te, in oratione verſati ſunt. Sed, heu, zelus eorum longe eſt à me, & hinc ego elongor à te, ita ut ſæpe nuſquam minus ſim, quam ubi eſſe videor, cum in oratione verſor. Sic dum orando cauſam meam agere volo, deteriorem facio, & dum placare te cupio, magis offendo.

§. 5. *Frequentia & aſſiduitas orandi.*

CHRISTVS. Quid mirum, ubi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum, ubi affectus figitur, inde intellectus difficulter avellitur. De terra es, nec ſatis curas, ut converſatio tua ſit in cælis, ſed terrena nimium verſas ac diligis; hinc tibi ſubnaſcuntur illæ ſpinæ, quæ tam valide lacerant cor tuum, & ſuffocant bonum ſemen, ne fructum ferre poſſit. Iam vero tu ipſe cogita quam vehementer diſpliceat mihi, quod videam filios hominum circa negotia carnis ac ſeculi, & bona hujus vitæ totos occupari tam ſerio: & orationis, à qua dependet æterna ipſorum ſalus, & gloria nominis mei, tam modicam eſſe curam. Aſpice filios hujus ſeculi, edunt, bibunt, ludunt, ducunt in bonis dies ſuos, nec in his prolixe morari cuiquam eorum grave eſt. Circa villas, & juga boum occupantur, variis ſe immergunt curis & negotiis, infinitis ſe miſcent quæſtionibus, nunquam otioſi, & male tamen ſemper occupati, quia nunquam vacant, ut videant, quoniam ego ſum Deus. Aut ſi quando orare libet, vel id in ultimam horam, & tempus minus idoneum rejiciunt, vel obiter & perfunctorie faciunt. Siccine ferret princeps aliquis terrenus ſe tunc primum admitti à te ad collo-

colloquium, cum vulgus & fæx populi præceſſit?

Non ſic vir ille ſecundum cor meum, David electus meus. Rex erat, & regni ampliſſimi negotiis implicatus; ſed tamen prævenerunt oculi ejus ad me diluculo, ad meditandum eloquia mea; & ſepties in die laudem mihi dixit; imo & media nocte ſurrexit ad laudandum me.

Non ſic alii plurimi amici mei, qui mihi ſtudent magis placere, quam hominibus; quibus anima plus eſt, quam eſca, aut potus, aut veſtimentum; quin omnia detrimentum faciunt, & arbitrantur ut ſtercora, ut me lucrifaciant. Libenter ſe ſubducunt occupationibus, ubi poſſunt; aut ſic occupationes diſponere curant, ut inter externa negotia, tempus quoque non deſit uni negotio animæ, quod ceteris omnibus præponderat. Vnde ſtatis horis intrant in cubiculum ſuum, & clauſo oſtio, orant me in abſcondito, effundentes coram me corda ſua; quin & diluculo vigilant ad me, ut melior diei pars, qua mens liberior ac purior eſt, nobiliori operi, id eſt, orationi detur. Et hi ſunt, qui recipiunt à me plenius lumen intelligentiæ, quo dirigantur in viis ſuis: hi ſunt qui uberius guſtant, quam ſuavis ſit Dominus; & quam non habeat tædium converſatio illius.

Sic tu quoque fili, vide quid proſit tibi, ſi univerſum mundum lucreris, & unum neceſſarium, id eſt, curam animæ tuæ negligas. Prudentiæ ergo tuæ pone modum; nec in multis ſint actus tui: nam qui minoratur actu, ſapientiam inveniet. Quære primum regnum Dei, & juſtitiam ejus, confidens, quia & cetera adjicientur tibi. Quid ſollicitus es, & turbaris erga plurima? quid ſtulto labore conſumeris? miſerere animæ tuæ, placens Deo. cui bonus eris, ſi tibi nequam fueris?

Quorſum tam anxie cogitas de ſucceſſu negotiorum, quæ moliris, cum damno orationis? hoc habe pro certo, quod ad felicem rerum tuarum eventum plus bona oratio, quam omnis humana ratio conferet. Iacta ſuper me

curam

curam tuam, quoniam mihi eſt cura de te, tanto quidem major, quo majori fiducia inniteris mihi, & providentiæ meæ conatus tuos committis. Certe niſi ego ædificem domum, in vanum laborant omnes, qui ædificant eam. Crediſne hoc? Beatus qui intelligit. Multi enim non capiunt verbum hoc: nempe qui confidunt in virtute ſua, & variis ſe torquent curis & laboribus, ſed infelices meditantur ut araneæ, dum ſe fruſtra exhauriunt & eviſcerant; quia non recurrunt cum Moyſe ad tabernaculum, ut conſulant Dominum. Vanum eſt vobis, ô filii hominum, ante lucem ſurgere. Tunc demum tempeſtive ſurgetis ad laborem, cum ſol juſtitiæ per orationem invocatus illuxerit vobis.

HOMO. Vtinam, mi Domine, quæ prolixe & ſalubriter ingeris auribus meis, efficaciter & cordi imprimas. intellexi, quid horteris & jubeas; doce me quoque facere voluntatem tuam, ut non impediar orare ſemper; & benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus ejus ſit in ore meo. utinam in lege tua ſit voluntas mea, ut meditari in ea die ac nocte ſint deliciæ meæ. Nullum ſane temporis momentum eſt, quo non fruamur beneficiis tuis, nullum proinde eſſe par erat, quod à tua laude vacaret. unde & Apoſtolus ſine intermiſſione nos orare monet: & tu ipſa æterna Veritas dixiſti, *oportet ſemper orare & nunquam deficere.*

§. 6. Fiducia & reſignatio orantis.

CHRISTVS. Hæc noſti ô homo, beatus eris, ſi ſic feceris. Ne ſis ſervus ſciens voluntatem Domini, & non faciens. Recole quot ego ſtimulis, monitis, exemplis & parabolis uſus ſim, ut vobis aſſiduitatem, frequentiam, fiduciam, & perſeverantiam orandi perſuaderem. Vtique paratus eſt dare, qui tantopere excitat ad rogandum. Memento Cananeæ tam conſtanter orantis; & poſt plures repulſas tandem exauditæ; item, illius, qui noctu

fores

ſores amici pulſabat; nec deſtitit, donec obtineret quod voluit. Item Iudicis, neque Deum, neque hominem timentis, qui tamen viduæ importune ſolicitantis cauſſam ſuſcepit.

Nunc vero ſi rarius præſtantur vobis dona & beneficia mea, id vobis ipſis imputate. Non eſt abbreviata manus Domini facere vobiſcum miſericordiam ſuam: ſed vos non facitis vos dignos & capaces, dum non rogatis, quemadmodum in re tanta dignum eſt. Nam etſi adeatis me aliquando; id tamen ita facitis languide, quaſi non deſideretis accipere: neque ea fide, qua congruit, deprecamini; & niſi confeſtim concedam quod petitis; animum abjicitis, orationem deſeritis, male loquimini, aut ſuſpicamini de me; & de bonitate mea perverſæ cogitationes aſcendunt in corda veſtra, quaſi ſupra cardines cæli perambulem, & veſtra non conſiderem. Quin oculi mei ſemper aperti ſunt ſuper fideles meos, & aures meæ in preces eorum; nec deero ipſis in tempore opportuno.

Si moram ſubinde facio, id quoque utilitatis veſtræ cauſſa fit; ut deſideria dilata creſcant; & ſic capacior fiat homo donorum meorum. Nam diu deſiderata dulcius obtinentur; cito autem data vileſcunt. Itaque ſi quid roges à me, & non ſtatim dedero; tu nihilominus perſevera pulſans, & clamans: quia tandem aperietur tibi. aut ſi etiam nolim dare, tu tamen gratias æque referes danti & neganti, ſciens,quia id nego,quod novi non profuturum. Neſcit enim homo ſæpe quid petat, (uti & filii Zebedæi,) aut quid conducat ſibi in vita ſua, numero dierum peregrinationis ſuæ, & tempore quod velut umbra præterit: Ego vero novi optime, quid unicuique expediat: attamen, ob hominum inſipientiam aliquando do iratus, quæ nego propitius. Hoc unum ſcito, quia ſi non ad voluntatem, certe exaudieris ad ſalutem. Ita exauditus eſt Apoſtolus meus, à ſtimulo carnis liberari petens;

petens; imo ſic exauditus ſum ego ipſe à Patre meo, rogans calicem paſſionis transferri à me. An ſervus major aut melior erit Domino ſuo? Optima erit oratio tua, ſi conformis fuerit meæ, quam fudi in horto inter ſummas anguſtias cordis, ſubjiciens me totum voluntati Patris mei. hinc & illa orandi formula, qua Diſcipulos meos, & vos omnes ſic docui orare, *Fiat voluntas tua,* &c.

§. 7. *Petitio divini auxilii.*

HOMO. O immenſa charitas! ô inexhauſta pietas! ſecundum divitias bonitatis tuæ Domine, tam multis inſtruis me, & hortaris ad colloquium tuum, qui bonorum meorum non eges. Quid eſt, quod delitias reputas agere cum filiis hominum? Vtinam deſideret anima mea inops & arida ad te, ſicut cervus deſiderat ad fontes aquarum. Vtinam repleatur os meum laude. Vtinam tam ego paratus ſim accipere, quam tu paratus es dare. Oleum miſericordiæ tuæ ſtillat, imo fluit ubertim; modo vaſa vacua non deſint. Ecce vas cordis mei; ſed plenum ſordibus & pravis deſideriis, tu quæſo evacua, & expurga; quin & dilata cor meum, ut impleas illud. Igne charitatis tuæ accende me frigidum, ut dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo. Non ſerpat humi, carnis aut peccati mole depreſſa, ſed aſcendat ad te velociter, & deſcendat ſuper me miſericordia tua.

CAP. II.

Variæ Expoſitiones & Exercitia in Orationem Dominicam.

O*Rationum omnium ſumma, exemplar & norma eſt* Oratio Dominica; *tanto utique majori in pretio habenda, quo pluribus cæteras omnes prærogativis antecellit:*

Auctoritate inprimis, & dignitate; quia ab ipſo Chriſto formata, à ſacro illius ore profecta.

Brevi-

Brevitate quoque ac facilitate commendatur; attamen prægnans ſenſibus atque myſteriis mirabili ordine perfectiſſime complectitur, quidquid recte à Deo peti poteſt.

Quin & ſingulari pollet efficacia, ut facile Deum permoveat, orantique conciliet: quomodo enim cæleſtis Pater non exaudiat; quos filii ſui dilecti, Advocati & Mediatoris noſtri præceptis verbiſque inſtructos ſupplices venire videt?

Denique omnes bonæ Orationis partes, leges & conditiones breviter, ſed luculenter exprimit: adeoque ſedulo & attente recitata devotionis ſpiritum vehementer excitat, ac promovet.

Vnde cum hæc Oratio Chriſti ore Apoſtolis tradita, ſingulariter Chriſtianis commendata eſſe debeat; & Eccleſiaſticis in Officio divino perquam familiaris & frequens ſit, Puncta quædam pro illius Expoſitione paucis ex S. Thoma aliiſque annotare viſum fuit: ad quæ ſi orans ſubinde mentem reflecteret; fortaſſe affectu fructuque majore illi tam frequens unius ejuſdemque orationis repetitio conſtaret.

Iam vero guſtum illius, ut & aliarum rerum ſpiritualium, ideo rarius percipimus, quia fere circa corticem hæremus, nunquam, aut raro ad medullam ipſam penetramus.

Pater noſter qui es in cœlis.

HÆc eſt Præfatio Orationis Dominicæ: Dei benevolentiam captans, & oraturo optimos orandi affectus, id eſt, Amorem & Timorem commendans.

Nam ſi Pater eſt, an non dignus Amore? Sed vide, quali. Nam modus bonitatis, eſt menſura dilectionis.

Sed quanta eſt bonitas Patris æterni? Deus eſt, in ſeipſo ſumme beatus, cœli terræque conditor, Rex ac Dominus: attamen Pater noſter eſſe, & haberi cupit, & nos viciſſim, viles terræ vermiculos, imo peccatores, indignos qui ſervi vocemur, filios ſuos eſſe & vocari gaudet. O qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur & ſimus. O immenſa Patris bonitas! ſed ubi par filiorum Amor?

Porro quis eidem illi Patri timor debetur? qui in cœlo

lo velut ſolio majeſtatis ſuæ reſidet, & tamen ubique præſens arcana quæque perſpicit, imo cœleſtia ſimul ac terrena gubernat? Verè magnus eſt Dominus & laudabilis nimis, cujus potentiæ & magnitudinis non eſt finis, cui Cherubim & Seraphim trementes adſiſtunt.

Ecce qua charitate & fiducia, qua etiam humilitate & reverentia oraturus animum componere debeas.

Sequuntur nunc ſeptem Petitiones, quibus partim Bona petimus, partim Mala deprecamur. Nam cum Oratio ſit interpres deſiderii noſtri, ea petimus in Oratione Dominica, quæ licite deſideramus. Iam verò quod primò ſub deſiderium cadit, eſt Summum Bonum, ſeu ultimus FINIS. *Deinde, quæ huic obtinendo idonea ſunt, Media. Denique, ut removeantur quæ conſecutionem impediunt, obſtacula.*

Porrò ſummum Bonum & Finis noſter, Deus eſt, cujus quidem GLORIAM *inprimis in ſeipſo ex mero & puro Amoris affectu deſideramus, dicentes:*

Sanctificetur nomen tuum.

Id eſt, Nomen tuum in ſe ſumme ſanctum & admirabile, tale etiam habeatur ab omnibus; agnoſcatur per veram Fidem, laudetur per firmam Spem; colatur per ſinceram Charitatem. Non eget quidem opera noſtra, ut ſanctum ſit nomen tuum; ſed quia ſanctum & glorioſum eſt, adeoque fons & forma totius ſanctitatis, id per nos ſanctis moribus declaretur; ita formentur mores & omnes actus noſtri, ut qui vident converſationem noſtram, & opera quæ facimus, glorificent te Patrem noſtrum in cælis.

Hoc nobis ſit fixum in corde, frequens in ore, placens in opere: SANCTIFICETVR NOMEN TVVM.

Ecce praxin facillimam puræ Intentionis, crebro per diem exercendæ.

Hoc prævio, proximum eſt deſiderium gloriæ Dei intuitu noſtri, ut nos ea fruamur velut ſummo Bono, & hic affectus naſcitur ex dilectione Dei, qua nos ipſos in Deo diligimus, hinc petimus;

Adveniat

Adveniat regnum tuum.

Rogamus, inquam, ô Domine, quia hic ſumus exules & peregrini à Patria, & à dulciſſima chari Patris facie ſecluſi, gravi jugo principis mundi hujus premimur; fac ut toto corde anhelemus ad Te in cœlum. Non ſinas nos diligere mundum, aut ea quæ in mundo ſunt: ſed quærere & ſapere quæ ſurſum ſunt. Cum verò peregrinationis noſtræ finis advenerit, fac nos æquo ac læto animo hoc regnum mundi, & omnem pompam ſeculi contemnere: & illud regnum quærere cum deſiderio; & invenire cum gaudio, quod nobis præparatum eſt ab origine mundi, ubi dabis nobis æterna tecum gloria & Te ipſo frui.

Sed jam ut potiamur ſummo bono, aliis quibuſdam bonis, velut mediis & adminiculis opus habemus. Præcipuum eſt Obedientia mandatorum Dei. *Nec enim aptus eſt regno Dei qui non facit voluntatem ejus; neque meretur ad vitam ingredi, qui mandata non ſervat. Sed qui ſervabimus, niſi Is qui jubet, etiam juvet? unde merito rogamus,*

Fiat voluntas tua.

Tu enim, noſti ô Domine, quia etſi promptus ſit ſpiritus noſter, facere voluntatem tuam; tamen perficere non invenit, quia caro infirma eſt; imo prona ad malum eſt; & pugnat adverſus ſpiritum. Nam corpus quod corrumpitur, aggravat animam. Vnde ad mala fere pronius feruntur quam ad bona ſenſus hominis ab adoleſcentia ſua. Et hinc ſæpius etiam, quid & quomodo oremus, aut quid nobis expediat, neſcimus: Tu vero id noſti optime, qui noſti omnia. Fac ergo ſciamus, quid nos velis facere; ſed & gratia tua efficaci ſic dirige voluntates noſtras juxta beneplacitum voluntatis tuæ, ut quod vis, nos quoque velimus; quod præcipis, id alacriter faciamus. DA QVOD IVBES, ET IVBE QVOD VIS.

Verum, ut homo Dei juſſa alacrius peragat, etiam neceſſe eſt, præſentis vitæ bonis & ſubſidiis non omnino deſtitui. Variis enim neceſſitatibus & defectibus obnoxii ſumus, quamdiu hoc mortale corpus gerimus. Itaque petimus,

Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.

Tu inquam, qui aperis manum tuam, & imples omne animal benedictione; pullos quoque corvorum, & volucres cœli non negligis; ſed benigne curas ac paſcis, & hominem, quem creaſti ad imaginem tuam, & quem pretioſo ſanguine cœli hæredem feciſti, cura tua deſtituet? Non petimus quod luxui & voluptati ſerviat; ſed quod victui, & neceſſitati ſufficiat: ne forte nos à ſervitio tuo ſæculi curæ & ſollicitudines abſtrahant. Vt vero mente pariter ac corpore fortes ſerviamus tibi, animas quoque noſtras paſce cibo verbi tui: quin & PANE illo cœleſti & Angelico conforta nos in hoc mundi deſerto, ne deficiamus in via, qua tendimus ad Te, donec epulemur tecum in regno tuo.

Ecce, quo ordine, à quo, & quo fine bona temporalia petenda ſint.

Sequentibus petitionibus petimus à nobis removeri Mala, ſeu obſtacula, quæ conſecutionem FINIS *impediunt. Sunt vero tria potiſſimum.*

Primum eſt peccatum commiſſum, (in multis enim offendimus omnes.) hinc oportet ut humiliter & frequenter petamus dimitti nobis debita noſtra. Fruſtra vero petit miſericordiam à Domino, qui non vult, cum poteſt, miſereri proximo. Cujus rei memores, hac merito utimur orandi formula:

Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.

In multis (heu miſeri) indies offendimus omnes. perimus Domine, niſi ſerves nos ſecundum magnam miſericordiam tuam Domine. Sed & ſcimus, quod ſi homo homini

homini reſervet iram, fruſtra à Te quærat medelam; dimitto itaque ex animo omnibus inimicis meis, & amore tui benefacere paratus ſum his, qui oderunt, vel unquam læſerunt me. Doleo ex intimo corde, quia offendi Te; parce peccatis meis Domine.

Ecce praxim utiliſſimam & faciliimam Contritionis frequenter exercendæ.

Alterum obſtaculum eſt Tentatio, quæ nos ſollicitat ad peccata, & ab obſervantia divinæ voluntatis impedit. Vnde liberatus à peccatis præteritis, timeat futura, & fugiat. Sine Deo autem quis effugiet? Conſcii itaque hujus infirmitatis noſtræ, & potentiæ tot hoſtium, quibus obnoxia ſemper eſt vita noſtra, rogamus;

Et ne nos inducas in tentationem.

Agnoſcimus ô Domine, quia ſine te nihil poſſumus, à te vero eſt omnis ſufficientia noſtra, ne itaque deſerat nos gratia tua; nec permittas ut pulſati forſan aliqua tentatione Mundi, Carnis, aut Dæmonis, mox ſuccumbamus. Vides, quæ ſit fragilitas noſtra, & quantis inſidiis viribuſque tentetur creatura tua tam care redempta. non dubitamus, pio providentiæ tuæ conſilio geri omnia; nec tentari malum eſſe, ſed vinci. Non itaque permittas nos tentari ſupra id quod poſſumus, ne tentati forte deficiamus; ſed adjuva ut vincamus; facilis erit victoria, ſi tua nobis adſpiret gratia.

Liberati à malo culpæ, in aliud etiam obſtaculum, id eſt, mala Pœnæ frequenter impingimus. Tot, inquam, vitæ præſentis adverſa, velut fames, bella, morbi, damna rerum, famæ, vitæ, etiam pias quandoque mentes graviter concutiunt. Itaque merito tandem oramus,

Sed libera nos à malo.

Quod nos quidem pro affectu noſtro malum cenſemus, vere tamen, & in ſe malum non eſt, niſi vitio noſtro fiat. A Te Domine, Vita & Mors, honeſtas, paupertas & omnia; & quomodo mala erunt, cum ſint à

SVMMO BONO? fiunt tamen iſta non raro mala, culpa, id eſt, impatientia, puſillanimitate, & diffidentia noſtra. Tu vero nos conforta gratia & ſolatio tuo, & fac, ut diligentibus Te omnia cooperentur in bonum. Hic ure, & ſeca, uti medicus ægrum, cui ab his licet duris remediis ſpes vitæ reliqua eſt. Hic corripe & caſtiga, uti Pater filium, cui ſervatur hæreditas. Imo proba, tenta, & purga me,uti aurifex aurum,quod igne probatur. Excoque & conſolida, uti figulus vas deſtinatum non in interitum, ſed in honorem, uti vas gloriæ in vitam æternam.

His & ſimilibus meditationibus ſubinde condienda eſt Oratio Dominica; Alias, quid mirum, ſi multis tam ſit frequens in ore, ſed raro ſapiat in corde?

MEDITATIO in Orationem Dominicam ex Epiſtolis S. Pauli collecta.

Pater noſter, qui es in cœlis.

BEnedictus DEVS, & Pater Domini noſtri IESV Chriſti, Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis *a.* qui prædeſtinaſti nos in adoptionem filiorum, per Ieſum Chriſtum *b*: ſolus habens immortalitatem, & lucem habitans inacceſſibilem *c*: cum gaudio gratias agimus tibi, qui dignos nos feciſti in partem ſortis ſanctorum in lumine *d*: Non enim accepimus ſpiritum ſervitutis iterum in timore; ſed accepimus Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba, Pater. Ipſe enim Spiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſumus filii Dei. ſi autem filii; & heredes: heredes quidem Dei; coheredes autem Chriſti *e*.

a 2 *Corinth.* 1. b *Epheſ.* 1. c 1 *Timoth.* 6. d *Coloſſ.* 1. e *Rom.* 8.

I. *Sanctificetur nomen tuum.*

Da ut imitatores tui ſimus, ſicut filii chariſſimi *a*:

a *Epheſ.* 5.

& ut

& ut filii lucis ambulemus, in omni bonitate, & juſtitia, & veritate: probantes, quid ſit beneplacitum tibi: nec communicemus operibus infructuoſis tenebrarum *b*, ne nomen tuum per nos blaſphemetur inter Gentes *c*. Digne Euangelio Chriſti converſemur *d*, ut ſimus ſine querela, & ſimplices filii tui, ſine reprehenſione, in medio nationis pravæ & perverſæ, tanquam luminaria in mundo, verbum vitæ continentes, ad gloriam tuam in die Chriſti *e*, ut ambulemus digne Deo per omnia placentes; in omni opere bono fructificantes, & creſcentes in ſcientia Dei *f*. da, ut ſive manducamus, ſive bibimus, ſive aliud quid facimus, omnia in gloriam tuam faciamus *g*.

b *Epheſ.* 5. c *Rom.* 2. d *Philip.* 1. e *Philip.* 2. f *Col.* 1. g 1 *Cor.* 10.

2. *Adveniat regnum tuum.*

Quia caro & ſanguis regnum Dei poſſidere non poſſunt *a*; hinc flectimus genua noſtra ad te Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti: ut des nobis ſecundum divitias gloriæ tuæ, virtute corroborari per ſpiritum tuum in interiori homine: Chriſtum habitare per fidem in cordibus noſtris *b*, ut non regnet peccatum in noſtro mortali corpore. Tu enim eripuiſti nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtuliſti in regnum Filii dilectionis tuæ *c*. Scimus autem, quoniam ſi terreſtris domus noſtra hujus habitationis diſſolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cælis: Dum autem ſumus in corpore, peregrinamur à Domino *d*, ideo deſiderium habemus, diſſolvi, & eſſe cum Chriſto *e*.

Propter quod non deficimus. Sed licet is, qui foris eſt homo noſter corrumpatur; tamen is, qui intus eſt, renovatur de die in diem. id enim quod in præſenti eſt momentaneum & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum

a 1 *Corinth.* 15. b *Epheſ.* 3. c *Coloſſ.* 1. d 2 *Cor.* 5. e *Phil.* 1.

dum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis, quæ videntur, ſed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia ſunt; quæ autem non videntur, æterna *f*.

f *2 Corinth.* 4.

3. *Fiat voluntas tua.*

Tu enim es Domine, qui operaris in nobis velle & perficere pro bona voluntate tua *a*. Itaque fac ut impleamur agnitione voluntatis tuæ, in omni ſapientia & intellectu ſpirituali: ut ambulemus digne, tibi per omnia placentes *b*; hæc eſt enim voluntas tua, ſanctificatio noſtra *c*.

Nolimus conformari huic ſæculo; ſed reformemur in novitate ſenſus noſtri, ut probemus, quæ ſit voluntas Dei bona, beneplacens, & perfecta *d*: nam noſtra ad bonum per ſe nimis infirma eſt: non enim ſufficientes ſumus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt *e*. Da gratiam tuam, ut perficiamus eandem ex animo, ſicut adminiſtratorii ſpiritus tui in miniſterium miſſi propter eos qui hereditatem capient ſalutis *f*.

a *Philip.* 2. b *Coloſſ.* 1. c 1 *Theſſ.* 4. d *Rom.* 12. e 2 *Cor.* 3. f *Hebr.* 1.

4. *Panem noſtrum quotidianum.*

Eſt magnus quæſtus pietas cum ſufficientia. Nihil enim intulimus in hunc mundum, haud dubium, quod nec auferre quid poſſimus. Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus *a*.

Sint ergo mores noſtri ſine avaritia: contenti præſentibus. Tu enim dixiſti: non te deſeram neque derelinquam: ita ut confidenter dicamus: Dominus mihi adjutor *b*. Prope es Domine. Nihil ſolliciti ſimus *c*, ſed ubique & in omnibus inſtituti, ſciamus ſatiari & eſurire, abun-

a 1 *Timoth.* 4. b *Hebr.* 13. c *Philip.* 4.

abundare & penuriam pati *d*. Ante omnia vero exerceamus nos ad pietatem, quæ ad omnia utilis eſt, promiſſionem habens vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ *e*.

Da nobis non ſperare in incerto divitiarum, ſed in te Deo vivo, qui præſtas nobis omnia abunde ad fruendum, bene agere, divites fieri in bonis operibus: facile tribuere, libenter communicare, theſaurizantes nobis fundamentum bonum in futurum, ut apprehendamus vitam æternam *f*.

Potens es autem, ô Deus, omnem gratiam abundare facere in nobis, ut in omnibus omnem ſufficientiam habentes abundemus in omne opus bonum. Qui autem adminiſtras ſemen ſeminanti: & panem ad manducandum præſtabis *g*.

d *Philip.* 4. e 1 *Tim.* 4. f 1 *Tim.* 6. g 2 *Cor.* 9.

5. *Et dimitte nobis debita noſtra.*

Quoniam non habitat in carne noſtra bonum, ut non quod volumus bonum, hoc faciamus, ſed quod nolumus malum, hoc agamus *a*: & regnante peccato in noſtro mortali corpore, obedivimus concupiſcentiis ejus *b*: heu quam ſæpe exhibuimus membra noſtra arma iniquitatis peccato *c*! & divitias bonitatis, patientiæ & longanimitatis tuæ contempſimus! non curantes, quoniam benignitas tua ad pœnitentiam nos adducit; ſecundum autem duritiam noſtram, & impœnitens cor theſaurizavimus nobis iram in die iræ, & revelationis juſti judicii tui, qui reddes unicuique ſecundum opera ſua *d*.

Sed veniat, Pater benigniſſime, ſuper nos miſericordia tua: & oſtendens divitias gloriæ tuæ, fac nos vaſa miſericordiæ tuæ, præparata in gloriam tuam *e*; & ubi abundavit delictum, ſuperabundet & gratia *f*.

Ecce remittimus & aliis minas, ut te Dominum noſtrum in cælis propitium habeamus *g*. Tu nos quoque

 indue

a *Rom.* 7. b *Rom.* 6. c *ibid.* d *Rom.* 2. e *Rom.* 9. f *Rom.* 5. g *Eph.* 6.

indue ſicut electos tuos, viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam: ut ſimus invicem benigni, miſericordes, donantes invicem, ſicut & tu in Chriſto donaſti nobis *h*; nulli malum pro malo reddentes; ſed ſi fieri poteſt, quod in nobis eſt, cum omnibus hominibus pacem habentes; non defendentes noſmetipſos, ſed demus locum iræ, tibi relinquentes vindictam. Nec ſinamus nos vinci à malo, ſed vincamus in bono malum *i*. Quæ pacis ſunt, fac, ſectemur; & quæ ædificationis ſunt, invicem cuſtodiamus *k*.

h *Eph.* 4. i *Rom.* 11. k *Rom.* 14.

6. *Et ne nos inducas.*

Memores fragilitatis noſtræ, rogamus te, Pater pientiſſime, ut tentatio nos non apprehendat, niſi humana *a*: ne ſicut ſerpens Evam ſeduxit aſtutia ſua, ita corrumpantur ſenſus noſtri, & excidant à ſimplicitate, quæ eſt in Chriſto Ieſu *b*. Fidelis es Deus, non patieris nos tentari ſupra id, quod poſſumus, ſed etiam facies cum tentatione proventum, ut poſſimus ſuſtinere *c*.

a 1 *Corint.* 10. b 2 *Cor.* 11. c 1 *Cor.* 10

7. *Sed libera nos à malo.*

Confirma nos denique & cuſtodi à malo *a*. contere ſatanam ſub pedibus noſtris velociter *b*, ut non circumveniamur ab eo: non enim ignoramus cogitationes ejus *c*. Da ut induamus nos armaturam tuam, ut poſſimus ſtare adverſus inſidias Diaboli; & reſiſtere in die malo, & in omnibus perfecti ſtare: induite loricam fidei & charitatis, & galeam ſpem ſalutis *d*. Non ſimus fidentes in nobis; ſed in te Deus *e*. Ideoque confidimus hoc ipſum, quia qui cœpiſti in nobis opus bonum, perficies uſque in diem IESV Chriſti *f*. Fidelem credimus eſſe te, qui repro-

a 2 *Theſſal.* 3. b *Rom.* 16. c 2 *Cor.* 2. d *Epheſ.* 6. 1 *Theſſ.* 5. e 2 *Corinth.* 3. f *Philip.* 1.

repromiſiſti: quotquot enim promiſſiones tuæ ſunt; ſunt, eſt & Amen.

g *Hebr.* 11.

ORATIO DOMINICA

Variis piis conceptibus ad meditandum idoneis inſtructa.

Ex Lud. de Ponte, Leſſio, & aliis.

Pater noſter.

MVltiplici jure & nomine Pater; 1. Titulo *Creationis*, qua nos ad imaginem ſuam fecit.

2. *Adoptionis*, per gratiam, qua nos fecit heredes ſuos, & coheredes unigeniti ſui. O quam merito Pater, qui toties paratus eſt peccantes recipere in eandem gratiam; ut tandem quoque admittat in gloriam, quæ eſt hereditas filiorum Dei. Et hæc quidem Paternitas magno ſtetit Filio Dei, qui morte crucis, & pretio ſanguinis eam nobis comparavit.

3. Patrem ſe *Providentiâ* præſtat, ſuſtentando corpus, tot creaturis in cibum & remedium datis; & animæ tot gratiæ & ſalutis auxiliis tam amanter conſulendo: ut vel hinc tantum ſolus verè Pater dici mereatur. Vnde ait: *Nolite vocare vobis Patrem ſuper terram, unus eſt enim Pater veſter, qui in cœlis eſt.* Et merito, nam, *Pater meus & mater mea dereliquerunt me*, (quid enim opes præſtare poſſunt animæ, vel etiam corpori abſque Deo?) *Dominus autem aſſumpſit me*: numquam deſerit, niſi derelictus.

4. *Diſciplinâ* & correptione. Nam Pater filium, quem amat, arguit & caſtigat.

5. Pater *Indulgentiâ* & amore. Quomodo miſeretur Pater filiorum, ita miſertus eſt Dominus timentibus ſe. Itaque ſi ille Pater, utique Filius ego. O quanta hæc dignitas! omnino par eſt, ut præſtem ingenui filii partes

amore, obſervantià, obedientià. Qui iſtuc ex ſervo ut vili mancipio provectus ſum, quam indignum, ſi degenerem, & Patrem tam bonum offendam?

Porro precationem ab hac compellatione nos ordiri voluit, ad excitandam in nobis fiduciam adeundi Deum, utpote Patrem, & obtinendi petita; & quia gloriatur in hoc nomine, quod Pater ſit, gaudet ſe ita compellari. Itaque filiali affectu ad ipſum accedamus, conemur ei placere per omnia, eaque petamus, quæ talem Patrem deceant.

Noſter.

Noſter, inquam, non meus, 1. quia cum unicum habet filium naturalem, voluit quam plurimos habere adoptivos, tum Angelos, tum homines, idque ita, ut bono filiationis unuſquiſque gaudeat, ac ſi nullum haberet conſortem. Nam bona Dei non minuuntur communicatione in plures.

2. Cum ita ſit generaliter omnium, ut tamen ſingulariter ſit Pater ſingulorum, vult nihilominus dici *noſter*, ut moneat nos fraternæ charitatis, nulla exceptione gradus, dignitatis, ætatis, atque ut fratres invicem diligendos, proque omnibus communiter orandum, nullo ſpreto, undè Malachias; *Numquid non Pater unus omnium noſtrum? nunquid non unus Deus creavit nos? quare ergo deſpicit unuſquiſque fratrem ſuum?* Nihil tamen vetat privatim, pro affectu aliquando, ſic Deum alloqui, quod ita pleno jure filius ſim adoptivus, ac ſi forem unicus.

Qui es in cœlis.

Cum in omni loco ſit, *Cœlum* exprimimus, 1. ut reverentiam in nobis excitemus illius Majeſtatis in cœlo velut throno reſidentis.

2. Vt mentes noſtras ad cœlos erigamus, ubi eſt filiorum Dei patria & hereditas.

3. Vt

3. Vt intelligamus, nos hic eſſe exules & peregrinos, debere autem ita vivere quaſi in cœlis ſit converſatio noſtra.

4. Vt monear, illuc oculos animumque levare, unde ſolum veniet auxilium mihi.

Cælum quoque & propria Dei ſedes ſunt animæ ſanctæ à terris elevatæ, in quibus habitat Deus per gratiam, & eas lumine cognitionis ſuæ peculiariter illuſtrat.

Hactenus procemium; ſequuntur petitiones.

I. *Sanctificetur nomen tuum.*

Habearis, qualis es, purus, ſanctus, juſtus, verus, rectus. Nihil ita Deus æſtimat quam ut ſanctus habeatur & prædicetur. Vnde toties ait, *Sancti eſtote, quia ego ſanctus ſum.* Hinc iratus eſt contra Moyſen & Aaron, quod non ſanctificaſſent eum ad aquas Contradictionis coram filiis Iſraël. Porro id unicum eſt Beatorum carmen: *Sanctus, Sanctus, Sanctus.*

2. Non ait, Potentia, aut Majeſtas tua; ſed *nomen tuum*, ut ſimul includat quicquid Dei apud nos nominatur, totum videlicet ſanctum eſſe, & pro eo celebrandum. Nominatur autem Omnipotens, Sapiens, Creator, *&c.*

3. *Tuum*, inquit, quia ſolum *tuum* eſt ſanctum per ſeipſum; unde juſti ſtillam participant. Ergo, *Tuum*, non noſtrum; Regi ſæculorum immortali & inviſibili, ſoli Deo honor & gloria in ſæcula ſæculorum; nobis autem confuſio faciei. Cur ergo tam ſtudioſe gloriam noſtram, & grande nomen quærimus, qui neſciri & contemni potius optare debuimus.

4. Abſolute ait, *Sanctificetur*, non reſtringens ad certas perſonas; quia optandum, ut id fiat ab omni creatura cæleſtium, terreſtrium, & infernorum: nec ad certum tempus; quia par eſt, ut laudetur nomen Domini in omni tempore.

5. Por-

5. Porro ſanctificatur Dei nomen, ſi homines credant, quæ revelat; ſperent, quæ promittit; faciant, quæ jubet: colant Deum, ut ipſe præcepit; ament eum ex toto corde, idque atteſtantibus operibus; ut qui vident opera noſtra bona, glorificent Patrem, qui in cælis eſt. Digna filii ingenui & bonæ indolis oratio, nihil prius aut potius deſiderare, quam gloriam Patris; honori ejus omnia poſtponere. Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam, ſit nomen Domini benedictum ex hoc, *&c.*

II. *Adveniat regnum tuum.*

At regnat in cælo, & in terra, in mari, & ubique; & velint nolint, omnia ſerviunt ipſi, & in ditione ejus cuncta ſunt poſita. Itaque petimus,

1. Regnum, quo nunc regnat in juſtis per gratiam, qui per omnia ipſi ſubjiciuntur.

2. Quo regnat in Beatis per gloriam; iſtud autem adveniet nobis, ſi in primo permanſerimus.

Quare ait, *Adveniat*: quaſi ſponte ſecuturum. Et quidem iſtud omnes optant, at primum non ita, quia cum labore conjunctum eſt; juſtitia enim paratur & conſervatur mortificatione carnis, & concupiſcentiæ, quæ regnat in membris noſtris, repreſſione.

3. *Regnum* illud conſummatum atque perfectum, cum Deus erit omnia in omnibus, in Reſurrectione mortuorum, quod expectant animæ beatæ.

4. *Tuum*, non mundi Regnum, quod ambiunt filii hujus ſeculi, quod non niſi caducis bonis, infinitis curis, & mille periculis conſtat; multoque minus peccati regnum, quod funditus everſum cupio. Filiorum eſt, continuo ſuſpirare ad patriam, & hæreditatem paternam, cæteris poſthabitis, appetere. *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus eſt. Cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto. Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum*, &c.

III. *Fiat*

III. *Fiat Voluntas tua, ſicut in cœlo, & in terra.*

1. Voluntas tua, ſola ſemper bona, recta, & perfecta in omnibus: quam nobis inſinuat præceptis, conſiliis, ac inſpirationibus; nec non juſſis eorum, qui Dei nomine præſunt. Ad hæc exequenda ſufficit, quod Deus ita velit & jubeat; adeo quidem, ut ſi ei paream, & mandata ejus ſervem, vitam promerear; ſin minus, mortem.

2. *Tua*, non *mea*, quæ perverſa eſt: nec *carnis*, quæ contraria ſpiritui; nec *mundi*, quæ vana: nec *Diaboli*, quæ maligna: ſed *Tua*, quæ eſt regula rectitudinis: nam quæ eſt voluntas tua, niſi ſanctificatio noſtra? Non enim exigis à nobis, niſi quod proſit nobis, non tibi, qui bonorum noſtrorum non eges.

3. Modus faciendi, *Sicut in cœlo* ab Angelis, ubi nulla eſt rebellio voluntatis iniquæ; ita integre, prompte, velociter, fortiter, amanter, alacriter fiat in terris; ubi reſiſtere voluntati tuæ, eſt nolle duci ſuaviter, funiculis charitatis, quod eſt hominis, ſed velle cogi, jumenti inſtar, viribus potentiæ tuæ; vel trahi vinculis juſtitiæ tuæ. *Doce me*, Domine, *facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.* Ecce Domine, *ſervus tuus ſum ego*, *Domine, quid me vis facere? Loquere Domine quia audit ſervus tuus.*

IV. *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.*

1. *Panem gratiæ & verbi Dei.* Non enim in ſolo pane vivit homo: ſed & animæ ſubſidiis opus habet. Nam ut duplex eſt vita hominis, ita duplici quoque cibo ſeu pane nutritur.

2. Præcipue *Panem vivum*, qui de cælo deſcendit; Panem ſuperſubſtantialem Euchariſticum; qui confirmat cor hominis, & ſpiritum roborat.

3. *Panem corporalem*, vitæ ſuſtentandæ neceſſarium; pro quo tamen adeo non vult nos eſſe ſolicitos, aut nimis

mis anxios, ut à benedictione divina eum expectari jubeat.

4. *Noſtrum:* non meum, utpote communem, & inter fratres partiendum, qui eundem Deum Patrem agnoſcimus omnium, qui dona ſua non uni, vel paucis, ſed neceſſitati omnium ſervire voluit.

5. *Quotidianum,* Si de ſpirituali, non illum qui eſt paucorum ſingulariter dilectorum, quo indignum me reputo, ſed communem, quaſi portionem neceſſariam, ſine qua non vivitur: Ita etiam ſi de corporali accipiatur non abundantem ad luxum, & genium, nec in plures annos reponendum, ſed ad uſum & neceſſitatem quotidianam.

6. *Da nobis*, pro omnibus tanquam fratribus petendum, etiamſi alioqui odientibus. *orate pro perſequentibus & calumniantibus vos*, & *ſi* videris inimicum eſurientem, ciba illum.

7. *Hodie*, quia vult nos quotidie petere, ſemperque ab ejus pendere providentia. Avocat etiam à ſuperflua cura de craſtino, ad exemplum dati olim Mannæ in ſingulos dies. *Oculi omnium in te ſperant Domine, Tu da illis eſcam in tempore opportuno; aperi manum tuam & imple omne animal benedictione.*

V. *Dimitte nobis debita noſtra; ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.*

1. Multis enim debitis Deo ſumus obnoxii; in multis offendimus omnes, tum ob mala commiſſa; tum ob bona omiſſa, quæ facere debuimus. Niſi Deus ex miſericordia dimittat, quis ſuſtinebit? ſi pro rigore juſtitiæ agere voluerit, quis poterit unum reſpondere pro mille? Itaque ad ſolam miſericordiam reſtat refugium.

2. Sed fruſtra, ſi nos proximis non condonemus offenſas, quæ tamen exiguæ, ſi conferantur cum debitis, quibus nos Deo tenemur; nempe decem millibus talentorum. Et nihilominus, quæ Dei bonitas eſt, paratus eſt

eſt dimittere decem millia ; ſi nos mille dimittimus.

3. Sed vide, & cave. Dimittet, ſicut dimittis. & hanc conditionem & clauſulam apponis orationi tuæ. Si ægre, tarde, minus ſincere, & imperfecte dimittis, idem time & exſpecta à Deo. Omnino contra ſe profert ſententiam, qui rogat ſibi dimitti debita, non dimittens debitoribus ſuis, idque ex animo. *Si iniquitates obſervaveris Domine, Domine quis ſuſtinebit?* &c.

VI. Et *ne nos inducas in tentationem.*

Non petimus, ut non tentemur, quia id ſæpe expedit; & à Deo ſapienter permittitur; ſed, ne tentationi ſuccumbamus: aut etiam, ne tentari ſinat, quando prævidet, nos ſuccubituros. Tentatio ſæpe eſt occaſio & materia exercendæ virtutis: Sed Dei eſt ita moderari tentationem, & opitulari imbecillitati noſtræ, ut non tentemur ſupra id, quod poſſumus, ſed illæſi vadamus. *Proba me Domine & tenta me, ure renes meos, & cor meum, & vide ſi via iniquitatis in me eſt*, &c.

VII. *Sed libera nos à malo.*

Ab omni genere malorum. Sicut orat Eccleſia in Miſſa. *Libera nos quæſumus Domine ab omnibus malis præteritis, præſentibus, & futuris*; nempe, æternis, & temporalibus; animæ & corporis.

Deinde à malo, hoc eſt, à maligno Dæmone, ne poteſtatem habeat exercendi in nos malitiam & invidiam ſuam.

Mala hic cenſentur, non tantum, quæ animam tangunt, ſed quæ corpus etiam, famam & fortunam ita afficiunt, ut animæ malum & nocumentum inde timeri poſſit. *Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus, Prævalui adverſus eum.*

Amen.

Amen.

Fiat, fiat. Magno deſiderio pronuntiabitur: nam deſiderium pauperum exaudivit Dominus. Magna etiam fiducia, ut qui ea petamus, quæ petenda præſcripſit, ſicut ait Ioannes: *Hæc eſt fiducia, quam habemus ad Deum, quia quodcunque petierimus ſecundum voluntatem ejus, audiet nos, ſcimus, quoniam habemus petitiones, quas poſtulamus ab eo.*

CAP. III.

In quo

LITANIÆ VARIÆ,

AD SS. TRINITATEM,

& ſingulas Perſonas.

NOTA, *pie Lector, has, & ſequentes* LITANIAS *ex ſacra Scriptura potiſſimum collectas, Nomina, Titulos, Attributa, & Elogia divina tum Naturæ, tum Perſonis ſingulis appropriata complecti. Et poterant hujuſmodi plura colligi; ſed opuſculi anguſtia non permiſit. Addendum illud quoque: Si quis forte (ſciolus magis, quam pius) putet hæc Epitheta Vocandi potius caſu efferenda, quam Nominandi; is locis ſuis ſuppleat, vel ſubintelligat has particulas:* Qui es. *Interim meminerit, ſic quoque orare Eccleſiam,* Agnus Dei, &c. miſerere nobis. *Item* Sanctus DEVS, Sanctus fortis, Sanctus & immortalis, miſerere nobis.

LITANIÆ

AD SS. TRINITATEM.

KYRIE ELEISON, Chriſte eleïſon.
Kyrie eleïſon.

Pater de cœlis Deus, } Miſer. nob.
Fili Redemptor mundi Deus, } Miſer. nob.
Spiritus Sancte Deus, } Miſer. nob.
S. Trinitas unus Deus, } Miſer. nob.

Deus

Deus ex quo, per quem, & in quo ſunt omnia,		*Rom.* 11.
Qui ſolus es Deus,		*Pſal.* 85.
Qui Moyſi nomen tuum EGO SVM QVI SVM, patefeciſti,		*Exod.* 3.
Deus Deorum Dominus,		*Pſal.* 49.
Deus in quo vivimus, movemur, & ſumus,		*Act.* 17.
Dominus Deus, fortis, zelotes, viſitans iniquitatem Patrum in filios,		*Exod.* 20.
Cui ſoli debetur omnis honor & gloria,		1 *Tim.* 1.
Cujus majeſtate repleta eſt terra,		*Pſal.* 71.
Qui facis mirabilia magna ſolus,		*Pſal.* 135.
Dominus Altiſſimus ſuper omnem terram,		*Pſal.* 96.
Qui ſolus es bonus,		*Lucæ* 18.
Deus cujus iræ nemo reſiſtere poteſt,		*Iob* 9.
Qui es, qui eras, & qui venturus es,		*Apoc.* 1.
Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob,		*Exod.* 3.
Rex Regum, & Dominus Dominantium,	Miſerere nobis.	1 *Tim.* 6.
Qui baltheum Regum diſſolvis & præcingis renes eorum,		*Iob* 12.
Qui ſolus habes immortalitatem, & lucem inhabitas inacceſſibilem;		1 *Tim.* 6.
Dominus Exercituum Deus Iſrael,		*Iſaiæ* 37.
Fortiſſimus Deus Spirituum univerſæ carnis,		*Num.* 16.
Qui feciſti cœlum & terram, mare, & omnia quæ in eis ſunt,		*Pſal.* 145.
Qui facis judicium injuriam patientibus, & das eſcam eſurientibus,		*ibid.*
Deus miſericors, patiens, & multæ miſericordiæ, & verax,		*Num.* 14. *Pſal.* 85.
Deus judex juſtus, fortis, & patiens,		*Pſal.* 7.
In cujus manu anima omnis viventis, & ſpiritus univerſæ carnis,		*Iob* 12.
Deus noſter Ignis conſumens,		*Hebr.* 12.

Deus fidelis, & abſque ulla iniquitate, juſtus & rectus, — *Deut.* 32.
Deus cujus iræ nemo reſiſtere poteſt, — *Iob* 9.
Dominus ſcrutans cor, & probans renes, — *Ierem.* 17.
Qui aperis manum tuam, & imples omne animal benedictione, — *Pſal.* 144.
Magnus conſilio, & incomprehenſibilis cogitatu, — *Ierem.* 32.
Qui facis magna, & inſcrutabilia, & mirabilia quorum non eſt numerus, — *Iob* 5. & 9.
Pater orphanorum & Iudex viduarum, — *Pſal.* 67.
Qui ſolvis compeditos, & illuminas cæcos, — *Pſal.* 145.
Magnus Dominus noſter, cujus ſapientiæ non eſt numerus, — *Pſal.* 146.
Suſcipiens manſuetos Dominus, & humilians peccatores uſque ad terram, — *ibid.*
Cujus oculi aperti ſunt: ſuper omnes vias filiorum Adam, — *Ierem.* 32.
Vnus legiſlator, & Iudex, qui potes perdere, & liberare, — *Ierem.* 4.
Qui ſanas contritos corde, & alligas omnes contritiones eorum, — *Pſal.* 146.
Dominus mortificans & vivificans, deducens ad inferos, & reducens, — 1 *Reg.* 2.
Deus non volens iniquitatem, — *Pſalm.* 5.
Qui habes poteſtatem corpus & animam mittere in gehennam, — *Lucæ* 12.
Dominus formans lucem, & creans tenebras; faciens pacem, & creans malum, — *Iſaiæ* 45.
Qui multiplicas gentes, & perdis eas, & ſubverſas in integrum reſtituis, — *Iob* 12.
Cujus oculi lucidiores ſunt ſuper ſolem, circumſpicientes omnes vias hominum, — *Eccl.* 23.
Qui revelas profunda de tenebris, & producis in lucem umbram mortis, — *Iob* 12.

} Miſerere nobis.

Deus

Deus apud quem non eſt perſonarum acceptio, *Rom.* 2.
Qui apprehendis ſapientes in aſtutia ſua, & conſilium pravorum diſſipas, *Iob* 5.
Qui vivificas mortuos, & vocas ea, quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt, *Rom.* 4.
Deus univerſæ carnis, cui non eſt difficile omne verbum, *Ierem.* 32.
Qui feciſti terram in fortitudine tua, & præparaſti orbem in ſapientia tua, *Ierem.* 51.
Qui das pluviam ſuper faciem terræ, & irrigas aquis univerſa, *Iob* 5.
Qui das eſcam omni carni, *Pſal.* 136.
Qui omnia propter temetipſum operatus es, *Prov.* 16.
Vivens in ſæcula ſæculorum, *Apoc.* 10.
Qui omnia in menſura, & numero, & pondere diſpoſuiſti, *Sap.* 11.
Quem cœlum, & cœli cœlorum capere non poſſunt, 3 *Reg.* 8.
Terribilis in conſiliis ſuper filios hominũ, *Pſal.* 65.
Apud quem tanquam momentum ſtateræ eſt orbis terrarum, *Sap.* 11.
Qui operaris omnia ſecundum conſilium voluntatis tuæ, *Epheſ.* 1.
Qui menſus es pugillo aquas, & cœlos palmo ponderaſti, *Iſaiæ* 40.
Qui dominaris poteſtati maris, & motum fluctuum ejus mitigas, *Pſal.* 86.
Qui appendis tribus digitis molem terræ, & libras in pondere montes, *Iſaiæ* 40.
Deus magnus Dominus, & Rex magnus ſuper omnes Deos, *Pſal.* 94.
Rex ſæculorum, immortalis, inviſibilis, ſolus ſapiens, 1 *Tim.* 1.

} Miſerere nobis.

Sanctus, Sanctus, Sanctus, *Iſaiæ 6.*
Deus protector noſter, & merces noſtra magna nimis, *Gen. 15.*
Vnus Deus, & Pater omnium, qui es ſuper omnes, & per omnia, & in omnibus nobis, *Epheſ. 4.*
} Miſerere nobis.

Propitius eſto, Parce nobis ô S. Trinitas.
Propitius eſto, Exaudi nos ô S. Trinitas.
Ab omni malo, Libera nos ô S. Trinitas.

Ab omni ſuperbia, & elatione animi,
A gula, crapula, & omni Ventris ingluvie,
Ab ira, invidia, & omni mala Voluntate,
Ab omni luxuria, & immunditia,
Ab omni acedia, & inordinata triſtitia,
Per immenſitatem potentiæ tuæ,
Per infinitatem Sapientiæ tuæ,
Per abundantiam bonitatis tuæ,
Per æternitatem gloriæ, & majeſtatis tuæ,
Per altitudinem ſcientiæ & providentiæ tuæ,
Per ineffabilem magnitudinem charitatis & miſericordiæ tuæ,
Per abyſſum juſtitiæ & judiciorum tuorum,
In die Iudicii,
} Libera nos ô S. Trinitas.

Peccatores, Te rogamus audi nos.

Vt tibi ſerviamus in ſanctitate & juſtitia omnibus diebus noſtris,
Vt te Dominum Deum noſtrum adoremus, & tibi ſoli ſerviamus,
Vt nomen ſanctum tuum in vanum nunquam aſſumamus,
Vt feſtos & ſacros Eccleſiæ dies religioſis & piis operibus ſanctificemus,
Vt parentes, Prælatos, ſuperiores, & qui parentum loco nobis ſunt, debito honore, reverentia, & obedientia proſequamur,
} Te rogamus audi nos.

Vt

Vt nullius vitæ, famæ, honori, ex ira, odio, vel invidia unquam noceamus,
Vt neminem damno, furto, vel quacunque injuria, ſeu dolo, ſeu vi lædamus,
Vt ab illicitis carnis deſideriis, & impuris affectibus cor noſtrum cuſtodiamus,
Vt nunquam adverſus proximum falſum teſtimonium, aut mendacium loquamur,
Vt bona proximi non concupiſcamus,
Vt te Deum noſtrum ex toto corde, & ex tota anima, & totis viribus diligamus,
Vt te ſuper omnia, & proximum propter te, ſicut nos ipſos amemus,
Vt quod nobis fieri nolumus, alteri non faciamus, } Te rogamus audi nos.

Vt omnem gratiam in nobis abundare facias, Te rogamus audi nos.

Vt divitias bonitatis, patientiæ, & longanimitatis tuæ non contemnamus, Te rogamus audi nos.

Vt exhibeamus corpora noſtra hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem, Te rogamus audi nos.

Vt ad regnum, quod paraſti nobis ab origine mundi, nos perducere digneris, Te rogamus audi nos.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Placa nobis Patrem,

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Propitius eſto nobis peccatoribus.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Dona nobis Spiritum ſanctum.

O beata Trinitas, Audi nos.

O adoranda Trinitas, Exaudi nos.

Kyrie eleïſon. Chriſte eleïſon. Kyrie eleïſon.

Pater noſter, Ave Maria.

℣. Benedictus es Domine Deus Patrum noſtrorum.
℟. Et laudabilis, & glorioſus in ſæcula.

℣. Benedictus es Domine in firmamento cæli. ℟. Et laudabilis, & glorioſus, & ſuperexaltatus in ſæcula.

℣. Benedicant te omnes Angeli,& Sancti tui. ℟.Et laudent te & glorificent in ſæcula.

℣. Benedicant te cœli, terra, mare, & omnia, quæ in eis ſunt. ℟. Et laudent te, & glorificent in ſæcula.

℣. Benedicamus Patrem, & Filium, cum S. Spiritu. ℟. Laudemus, & ſuperexaltemus eum in ſæcula.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟.Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus,qui dediſti famulis tuis in confeſſione veræ fidei, æternæ Trinitatis gloriam agnoſcere; & in potentia majeſtatis adorare unitatem: quæſumus, ut ejuſdem fidei firmitate ab omnibus ſemper muniamur adverſis.

Deus, qui omnipotentiam tuam parcendo maxime & miſerando manifeſtas: multiplica ſuper nos miſericordiam tuam, ut ad tua promiſſa currentes cœleſtium bonorum facias eſſe conſortes.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui abundantia pietatis tuæ & merita ſupplicum excedis & vota; effunde ſuper nos miſericordiam tuam; ut dimittas, quæ conſcientia metuit; & adjicias quod oratio non præſumit. Per Dominum.

LITANIÆ
AD DEVM PATREM,

Ex ſacra Scriptura collectæ.

KYRIE ELEISON. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.

Pater ſancte, audi nos. Pater juſte, exaudi nos.

Pater de cœlis Deus, } Miſer.noſ.
Fili redemptor mundi Deus,
Spiritus Sancte Deus,
S. Trinitas unus Deus,

Pater

Pater noſter, qui es in Cœlis, *Matth. 6.*
Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, *1 Petr. 1.*
Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, *2 Cor. 1.*
Qui conſolaris nos in omni tribulatione noſtra, *Ibid.*
Pater Deus benedictus in ſecula, *Rom. 9.*
Pater quærens adoratores in Spiritu & veritate, *Ioan. 4.*
Pater ex quo omnia, *1 Cor. 8.*
Pater gloriæ & Dominus cœli & terræ, *Epheſ. 1.*
Qui miſiſti Filium tuum unigenitum in mundum, ut vivamus per eum, *1 Ioan. 4.*
Pater Chriſti, qui uſque modo operaris, *Ioan. 5.*
Pater D. N. I. C. ex quo omnis paternitas in cœlo & in terra nominatur, *Epheſ. 3.*
Qui elegiſti nos in Filio ante mundi conſtitutionem, *Epheſ. 1.*
Qui prædeſtinaſti nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum, *Ibid.*
Qui myſteria abſcondis à prudentibus; & revelas ea parvulis, *Matth. 11.*
Qui benedixiſti nos omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus, *Epheſ. 1.*
Qui dimittis nobis peccata noſtra, *Matth. 6.*
Qui elegiſti nos, ut eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu tuo, *Epheſ. 1.*
Qui das ſpiritum bonum petentibus te, *Lucæ 11.*
Pater luminum, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum deſcendit, *Iacob. 1.*
Pater vivificans, & mortuos ſuſcitans, *Ioan. 5.*
Pater videns in abſcondito, *Matth. 6.*
Pater habens vitam in temetipſo, *Ioan. 5.*

} Miſerere nobis.

Agricola uſque modo operans, *Ioan.* 15.
Qui ſolem tuum oriri facis ſuper bonos & malos, *Matth.* 5.
Qui pluis ſuper juſtos & injuſtos, *Ibid.*
Qui numeraſti omnes capillos capitis noſtri, *Matth.* 10.
Qui proprio Filio non peperciſti, ſed pro nobis omnibus tradidiſti illum, *Rom.* 8.
Qui vocaſti nos in ſocietatem Filii tui, 1 *Cor.* 1.
Qui gratificaſti nos in dilecto Filio tuo, *Epheſ.* 1.
Cujus Filius ſervi formam accepit, ut ſervos redimeret, *Phil.* 2.
Qui tranſtuliſti nos in Regnum Filii dilectionis tuæ, *Coloſ.* 1.
Qui dignos nos feciſti in partem ſortis ſanctorum, *Coloſ.* 1.
Qui ad nuptias Filii tui nos vocaſti, *Matth.* 22.
Qui dilexiſti nos, & dediſti conſolationem æternam, 2 *Theſ.* 2.
Qui ſic dilexiſti mundum, ut Filium tuum unigenitum dares, *Ioan.* 3.
Qui voce de cœlo delapſa, à magnifica gloria, clarificaſti Filium tuum, 2 *Petr.* 1.
Qui tibi in Filio tuo bene complacuiſti, *Ibid.*
Cui complacuit dare nobis regnum, *Lucæ* 12.
Cujus faciem ſemper vident Angeli in cœlis, *Lucæ* 18.
Qui talem charitatem dediſti nobis ut filii tui nominemur, & ſimus, 1 *Ioh.* 3.
Qui voluiſti nos conformes fieri imaginis Filii tui, *Rom.* 8.
Qui regnum electis tuis à mundi conſtitutione paraſti, *Matth.* 25.
Qui ſine acceptione perſonarum judicas ſecundum opus uniuſcujuſque, 1 *Petr.* 1.

Miſerere nobis.

In

In cujus domo manſiones multæ ſunt, } *Ioan.* 14.
Pater cui omnia ſunt poſſibilia, } *Ioan.* 3.
Pater qui diligis Filium, & omnia dediſti in manu ejus,
Sine quo nemo venit ad Filium, niſi tu, Pater, traxeris eum, } *Ioan.* 6.
} Miſerere nobis.

Propitius eſto; Parce nobis Domine.
Propitius eſto; Exaudi nos Domine.
Propitius eſto, libera nos Domine.
Ab omni malo, libera nos Domine.
A poteſtate ſatanæ, libera nos Domine.
Ab ira, odio, & omni mala voluntate, libera nos Domine.
Ab imminentibus peccatorum periculis, libera nos Domine.

A morte perpetua,
Per altiſſimam, qua intueris abyſſos, ſcientiam tuam,
Per immenſam, qua omnia ex nihilo creaſti, potentiam tuam,
Per ſuavem, qua cuncta gubernas, providentiam tuam,
Per æternam, qua mundum dilexiſti, charitatem tuam,
Per infinitam, qua omnia imples, bonitatem tuam,
In die Iudicii,
} Libera nos Domine.

Peccatores, Te rogamus audi nos.

Vt nomen tuum ſemper & ubique ſanctificetur,
Vt regnum tuum nobis advenire concedas,
Vt voluntas tua ſemper in nobis fiat ſicut in cœlo & in terra,
Vt panem noſtrum quotidianum nobis dare digneris,
Vt debita noſtra nobis clementer dimittere digneris,
Vt nos ſub umbra alarum tuarum protegere, & ex omni tentatione eripere digneris,
Vt nos ab omni malo liberare digneris,
} Te rogamus audi nos.

Vt ſpiritum bonum petentibus te dare digneris,
Vt quod fideliter petimus, efficaciter conſequamur,
Pater in nomine Filii tui,
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, &c. } Te rog. a. n.

Vt des nobis ſecundum divitias gloriæ tuæ, virtute corroborari per Spiritum tuum in interiorem hominem, *Epheſ.* 3.

℣. Protector noſter aſpice nos Deus.
℟. Et reſpice in faciem Chriſti tui.
℣. Memento noſtri Domine in beneplacito tuo.
℟. Viſita nos in ſalutari tuo.
℣. Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam.
℟. Et ſalutare tuum da nobis.
℣. Domine Deus virtutum converte nos.
℟. Oſtende faciem tuam & ſalvi erimus.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, dirige actus noſtros in beneplacito tuo, ut in nomine dilecti Filii tui mereamur bonis operibus abundare.

Deus celſitudo humilium, & fortitudo rectorum, qui per unigenitum Filium tuum, ita mundum erudire dignatus es, ut omnis illius actio, noſtra fieret inſtructio; excita in nobis Spiritus tui fervorem, ut quod ille verbo & exemplo ſalubriter docuit, nos efficaciter imitari valeamus.

Deus à quo bona cuncta procedunt, largire ſupplicibus tuis, ut cogitemus te inſpirante quæ recta ſunt, & te gubernante eadem faciamus. Per Dominum noſtrum.

L I T A N I Æ

Præcipua nomina, Titulos, Elogia & Officia Verbi Incarnati, Iesv Chriſti Salvatoris noſtri complectentes.

Ex Scripturis utriuſque Teſtamenti.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.
Pater de cœlis Deus, Miſerere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, Miſerere nobis.
Spiritus Sancte Deus, Miſerere nobis.
S. Trinitas unus Deus, Miſerere nobis.

Verbum caro factum,	Miſerere nobis.	*Ioan.* 1.
Verbum plenum gratiæ & veritatis,		*Ioan.* 1.
Verbum Domini,		*Pſal.* 32.
Deus per quem omnia facta ſunt,		*Ioan.* 1.
Benedictus Dominus Deus Iſraël,		*Lucæ* 1.
Vnigenitus filius Dei,		*Ioan.* 3.
Filius Dei dilectus,		*Lucæ* 3.
Salvator Chriſtus Dominus,		*Lucæ* 2.
Magnus & filius Altiſſimi,		*Lucæ* 1.
Filius Dei vivi,		*Matth.* 16.
Emmanuel, id eſt, nobiſcum Deus,		*Matth.* 1.
Vnigenitus Filius, qui es in ſinu Patris,		*Ioan.* 1.
Filius Dei dilectus, in quo ſibi Pater complacuit,		*Matth.* 3.
Omnipotens ſermo Domini,		*Sap.* 18.
Sapientia ab æterno ordinata,		*Prov.* 8.
Benedictus qui venit in nomine Domini,		*Lucæ* 19.
Brachium Domini,		*Iſai.* 53.
Salutare Dei noſtri,		*Iſai.* 52.
Imago Dei inviſibilis,		*Coloſ.* 1.

Cui

Cui donatum eſt nomen, quod eſt ſuper omne nomen,	*Phil.* 2.
Portans omnia verbo virtutis tuæ,	*Hebr.* 1.
Principium creaturæ Dei,	*Apoc.* 3.
Primogenitus omnis creaturæ,	*Coloſ.* 1.
Primogenitus in multis fratribus,	*Rom.* 8.
Heres univerſorum,	*Hebr.* 1.
Flos campi & lilium convallium,	*Cant.* 2.
Germen juſtum Domini,	*Iſai.* 4.
Expectatio Gentium,	*Geneſ.* 49.
Admirabilis, Conſiliarius, Deus, Fortis,	*Iſai.* 9.
Angelus Domini,	*Pſal.* 33.
Angelus Teſtamenti,	*Malach.* 3.
Deus noſter in terris viſus, & cum hominibus converſatus,	*Baruch.* 3.
Semen Abrahæ,	*Gal.* 3.
Stella ex Iacob orta,	*Num.* 14.
Leo de tribu Iuda,	*Apoc.* 5.
Radix Ieſſe,	*Iſai.* 11.
Filius David,	*Matth.* 1.
Filius Hominis,	*Mat.* 8. *&c.*
Ieſus Nazarenus,	*Io.* 19. *&c.*
Vir à fœmina circumdatus,	*Ierem.* 31.
Sanctum ex beata Virgine natum,	*Lucæ* 1.
Filius Mariæ primogenitus,	*Matth.* 1.
Fructus ventris Mariæ,	*Lucæ* 1.
IESVS filius Ioſeph à Nazareth,	*Ioan.* 1.
Veritas de terra orta,	*Pſal.* 84.
In cujus nomine omne genu flectitur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum,	*Phil.* 2.
In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi,	*Coloſ.* 2.
Per quem omnia facta ſunt, & ſine quo factum eſt nihil,	*Ioan.* 1.

Miſerere nobis.

In

In quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, *Coloſ. 2.*
Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech, *Pſal. 109.*
Pontifex futurorum bonorum, *Hebr. 9.*
Pontifex ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cœlis factus, *Ibid.*
Pontifex magnus, qui penetraſti cœlum, *Hebr. 4.*
Mitis, & humilis corde, *Matth. 11.*
Sponſus dilectus, candidus, & rubicundus, electus ex millibus, *Cantic. 5.*
Caput corporis Eccleſiæ, *Coloſ. 1.*
Caput omnis principatus & poteſtatis, *Coloſ. 2.*
Paſtor bonus, animam tuam dans pro ovibus tuis, *Ioan. 10.*
Paſtor & Epiſcopus animarum noſtrarum, *1 Petr. 3.*
Sanctus Sanctorum, *Dan. 9.*
Princeps Paſtorum, *1 Petr. 5.*
Teſtis fidelis & verus, *Apoc. 3.*
Propheta magnus, *Lucæ 7.*
Vir Propheta, potens in opere & ſermone, coram Deo & omni populo, *Lucæ 24.*
Vere Propheta, qui venturus eſt in mundum, *Ioan. 6.*
Meſſias, Deſideratus cunctis Gentibus, *Ioan. 4. & Agg. 2.*
Qui miſſus es euangelizare pauperibus, ſanare contritos corde, & prædicare captivis remiſſionem, *Iſai. 61. & Lucæ 4.*
Vnctus à Domino Spiritu S. & virtute, *Actor. 13.*
Vnctus à Deo oleo lætitiæ præ conſortibus tuis, *Pſal. 44.*
Speciosus forma præ filiis hominum, *Pſal. 44.*
Rex magnus ſuper omnem terram, *Pſal. 46.*
Rex Iudæorum, *Mat. 2. &c.*

Miſerere nobis.

Rex

Rex Iſraël,	*Ioan.* 1.
Excelſus præ Regibus terræ,	*Pſal.* 88.
Dominus Legifer noſter,	*Iſai.* 33.
Lapis vivus à Deo electus & honorificatus,	1 *Petr.* 1.
Lapis reprobatus ab ædificantibus, & factus in caput anguli,	*Pſal.* 117.
Lapis abſciſſus de monte ſine manibus,	*Dan.* 2.
Lapis poſitus in Sion, ſummus, angularis, electus, pretioſus,	*Epheſ.* 2. & 1 *Petr.* 2.
Poſitus in ruinam & reſurrectionem multorum in Iſraël,	*Lucæ* 2.
Lux mundi,	*Ioan.* 8.
Lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum,	*Ioan.* 1.
Stella ſplendida & matutina,	*Apoc.* 12.
Sol Iuſtitiæ,	*Malach.* 4.
Via, Veritas, & Vita,	*Ioan.* 14.
Vitis vera, cujus nos palmites,	*Ioan.* 15.
Clavis David,	*Apoc.* 3.
Oſtium Ovium,	*Ioan.* 20.
Arca teſtamenti Dei,	*Apoc.* 11.
Manna abſconditum,	*Apoc.* 2.
Panis vivus & verus de cælo deſcendens,	*Ioan.* 6.
Panis vitæ & intellectus,	*Eccl.* 15.
Panis Dei dans vitam mundo,	*Ioan.* 6.
Panis noſter ſuperſubſtantialis,	*Matth.* 6.
Panis cor hominis confirmans,	*Pſal.* 103.
Pinguis panis præbens delitias regibus,	*Geneſ.* 49.
Rabbi, qui à Deo veniſti, Magiſter,	*Ioan.* 4.
Princeps regum terræ,	*Apoc.* 1.
Deus & Princeps pacis,	1 *Theſ.* 5.
Pax noſtra qui feciſti utraque unum,	*Epheſ.* 2.
Magiſter & Dominus,	*Ioan.* 13.
Dominus Dominorum & Rex Regum,	*Apoc.* 17.

Miſerere nobis.

Vir

Vir dolorum, & ſciens infirmitatem, *Iſai.* 53.
Qui languores noſtros vere tuliſti, *Iſai.* 53.
Cujus livore ſanati ſumus, *Iſai.* 53.
Qui dilexiſti nos, & laviſti nos à peccatis noſtris in ſanguine tuo, *Apoc.* 1.
In quo poſuit Deus iniquitatem omnium noſtrum, *Iſai.* 53.
Tanquam ovis ad occiſionem ductus, *Act.* 8.
Quaſi Agnus coram tondente ſe obmuteſcens, *Iſai.* 53.
Agnus abſque macula, *Exod.* 11.
Agnus occiſus ab origine mundi, *Apoc.* 5.
Qui vulneratus es propter iniquitates noſtras, & attritus propter ſcelera noſtra, *Iſai.* 53.
Qui ſalvum feciſti populum tuum à peccatis eorum, *Matt.* 11.
Princeps & Salvator noſter, *Act.* 2.
Salutare Dei gentibus miſſum, *Act.* 28.
Propitiatio pro peccatis noſtris, 1 *Ioan.* 2.
Qui factus es nobis ſapientia à Deo & juſtitia, & ſanctificatio, & redemptio, 1 *Cor.* 1.
Apoſtolus & Pontifex confeſſionis noſtræ, *Hebr.* 3.
Qui non veniſti vocare juſtos, ſed peccatores, *Matt.* 9.
Qui veniſti quærere & ſalvum facere quod perierat, *Luc.* 19.
Qui temetipſum exinaniſti formam ſervi accipiens, *Philip.* 2.
Qui pro nobis animam tuam poſuiſti, 1 *Ioan.* 3.
Qui acquiſiviſti Eccleſiam ſanguine tuo, *Act.* 20.
Qui non veniſti miniſtrari ſed miniſtrare, *Matt.* 20.
Qui factus es obediens Deo Patri uſque ad mortem Crucis, *Phil.* 2.
Vnus Mediator Dei & hominum, homo IESVS Chriſtus, 1 *Tim.* 2.

(response to all the above:) Miſerere nobis.

Novi teſtamenti Mediator, *Hebr.* 8.
Auctor fidei & conſummator, *Hebr.* 12.
Qui eripuiſti nos ab ira ventura, 1 *Theſſ.* 1.
Dominus meus & Deus meus, *Ioan.* 20.
Dominus fortis & potens in prælio, *Pſal.* 23.
Dominus exercituum, *Zach.* 2.
Primogenitus mortuorum, *Apoc.* 1.
Reſurrectio & vita, *Ioan.* 11.
Qui fuiſti mortuus, & vivis, *Apoc.* 2.
Qui traditus es propter delicta noſtra; & reſurrexiſti propter juſtificationem noſtram, *Rom.* 4.
Qui feciſti nos regnum & ſacerdotes Deo & Patri, *Apoc.* 1.
Qui oblatus es, quia ipſe voluiſti, *Iſai.* 53.
Paſcha noſtrum, 1 *Cor.* 5.
Habens claves mortis & inferni, *Apoc.* 1.
Cui data eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra, *Matt.* 28.
Qui aſcendiſti ſuper omnes cœlos, *Epheſ.* 4.
Qui ſedes ad dexteram majeſtatis in excelſis, *Hebr.* 1.
Advocatus noſter apud Patrem, 1 *Ioan.* 2.
Per quem habemus acceſſum ad Patrem, *Epheſ.* 2.
Qui es, qui eras, & qui venturus es, *Apoc.* 1.
In omnibus principatum tenens, *Col.* 1.
Vivens in ſæcula ſæculorum, *Apoc.* 1.
Pater futuri ſeculi, *Iſai.* 9.
Templum & lucerna civitatis ſanctæ, *Apoc.* 21.
Chriſtus pax noſtra, qui feciſti utraque unum, *Epheſ.* 2.
Spes noſtra, 1 *Tim.* 1.
Rex gloriæ, *Pſal.* 23.
Candor lucis æternæ, *Sap.* 7.
Splendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ Dei, *Hebr.* 1.

} Miſerere nobis.

Spe-

Speculum ſine macula majeſtatis Dei,	Miſerere nobis.	*Sap. 7.*	
Lignum vitæ,		*Apoc. 2.*	
Lumen vitæ,		*Ioan. 8.*	
Fons vitæ,		*Pſal. 35.*	
Auctor vitæ,		*Act. 3.*	
Alpha & O mega,		*Apoc. 1.*	
Principium & finis,		*Apoc. 18.*	
Primus & noviſſimus,		*Apoc. 22.*	
Qui conſtitutus es à Deo Iudex vivorum & mortuorum,		*Act. 10. &* *2 Tim. 4.*	
Qui es ſuper omnia Deus benedictus in ſecula,		*Rom. 9.*	
Propitius eſto, Parce nobis Domine.			Libera nos Domine.
Ab omni malo, Libera nos Domine.			
Per æternam ex Patre generationem tuam,			
Per temporalem ex matre nativitatem tuam,			
Per ſanctiſſimam vitam & converſationem tuam,			
Per acerbiſſimam paſſionem & mortem tuam,			
Per glorioſam reſurrectionem & aſcenſionem tuam,			
Per adventum tuum ad judicium,			
Per coæternam Deo Patri gloriam tuam,			
Peccatores; te rogamus audi nos.			
Vt ante omnia quæramus regnum Dei, & juſtitiam ejus,	Te rogamus audi nos.	*Matth. 6.*	
Vt diſcamus à te, quia mitis es & humilis corde,		*Matth. 11.*	
Vt diligamus inimicos noſtros; & benefaciamus his qui oderunt nos,		*Matth. 5.*	
Vt abnegemus noſmetipſos, & tollentes crucem noſtram te ſequamur,		*Matth. 16.*	
Vt ſimus prudentes ſicut ſerpentes: & ſimplices ſicut columbæ,		*Matth. 10.*	
Vt ſic luceant opera noſtra coram hominibus, ut glorificent Patrem noſtrum qui in cœlis eſt,			

Vt perdamus animas noſtras in hoc mundo; & in vitam æternam eas cuſtodiamus, *Ioan.* 12.
Vt non timeamus eos qui occidunt corpus, ſed illum qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam, *Matth.* 10.
Vt non theſaurizemus nobis theſauros in terra, ſed in cœlo, *Matth.* 7.
Vt proximum temere nunquam judicemus,
Vt in nomine tuo Patrem rogantes, juxta promiſſum tuum, exaudiri mereamur, *Ioan.* 16.
Vt omnia, quæ nobis fieri volumus ab hominibus, & nos illis faciamus, *Ibid.*
Vt caveamus, ne corda noſtra graventur in crapula, ebrietate, & curis hujus vitæ, *Luc.* 21.
Vt relicta via ſpatioſa quæ ducit ad perditionem; per anguſtam portam quæ ducit ad vitam, intrare contendamus, *Matth.* 7.
Vt jugum tuum ſuave, & onus leve libenter & cupide ſuſcipiamus, *Matth.* 11.
Vt talenta à te accepta, ſedulo ad uſuram collocemus, *Matth.* 25.
Vt Verbum tuum corde bono & optimo ſuſcipientes, multum fructum afferamus in patientia, *Luc.* 8.
Vt de hora mortis noſtræ, & adventus tui incerti, ſemper vigiles & parati eſſe ſtudeamus, *Matth.* 25. *&c.*
Vt ad rationem villicationis noſtræ reddendam ſerio nos comparemus, *Luc.* 16.
Vt per gratiam tuam uſque in finem perſeverantes ſalvi fiamus, *Matth.* 10.

Te rogamus audi nos.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi, miſerere nobis.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi, exaudi nos Domine.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem.

Pater noſter. Ave Maria.

Oremus.

Oremus.

Deus qui per coæternam tibi ſapientiam, hominem, cum non eſſet, condidiſti, perditumque miſericorditer reformaſti, præſta quæſumus; ut eadem corda noſtra inſpirante, te tota mente diligamus, & ad te toto corde curramus. Per eundem Dominum noſtrum.

LITANIÆ DE S. SPIRITV,

Ex ſacra Scriptura.

Kyrie eleïſon. Chriſte eleïſon. Kyrie eleïſon.		
Pater de cœlis Deus,		
Fili Redemptor Mundi Deus,		
Spiritus ſancte Deus,		
S. Trinitas unus Deus,		
Spiritus à Patre Filioque procedens,	Miſerere nobis.	*Ioan.* 15.
Spiritus de Chriſto teſtimonium perhibens,		*Ioan.* 15.
Spiritus veritatis ſuggerens nobis omnia,		*Ioan.* 14.
Spiritus docens nos omnem veritatem,		*Ioan.* 16.
Spiritus in Mariam ſuperveniens,		*Luc.* 2.
Spiritus cujus virtute mirabili incarnatio Domini in utero virginis peracta eſt,		*Ibid.*
Spiritus Domini replens orbem terrarum,		*Sap.* 1.
Spiritus Dei habitans in nobis,		2 *Tim.* 1.
Spiritus ſapientiæ & intellectus,		*Iſai.* 11.
Spiritus conſilii & fortitudinis,		*Ibid.*
Spiritus ſcientiæ & pietatis,		*Ibid.*
Spiritus timoris Domini,		*Ibid.*
Spiritus gratiæ & miſericordiæ,		*Hebr.* 10.
Spiritus ſanctificationis,		*Rom.* 1.
Spiritus virtutis, dilectionis & ſobrietatis,		2 *Tim.* 1.

Spiritus gratiæ & precum, *Zach.* 12.
Spiritus ſidei, pacis, & amoris, *Rom.* 8.
Spiritus Humilitatis & Caſtitatis, *Gal.* 5.
Spiritus charitatis, benignitatis, & manſuetudinis, *Ibid.*
Spiritus patientiæ, modeſtiæ, ac continentiæ, *Ibid.*
Spiritus compunctionis, *Rom.* 11.
Spiritus multiformis gratiæ, 1 *Petr.* 4.
Spiritus Domini qui initio creationis aquis incubans, eas foviſti & fecundaſti. *Gen.* 1.
Spiritus quo inſpirante loquuti ſunt ſancti Dei homines, 2 *Petr.* 1.
Spiritus cujus unctio nos docet de omnibus, 1 *Ioan.* 2.
Spiritus qui ſcrutaris omnia, etiam profunda Dei, 1 *Cor.* 2.
Spiritus poſtulans pro nobis gemitibus inenarrabilibus, *Rom.* 8.
Spiritus qui ſuper Chriſtum baptizatum in ſpecie columbæ deſcendiſti, *Matth.* 3.
Spiritus in quo renaſcimur, *Ioan.* 3.
Spiritus omnia ſcrutans, etiam profunda Dei, 1 *Cor.* 2.
Spiritus per quem diffuſa eſt charitas Dei in cordibus noſtris, *Rom.* 5.
Spiritus Domini ſuper Chriſtum requieſcens, *Iſai.* 11.
Spiritus adoptionis filiorum Dei, *Rom.* 8.
Spiritus adjuvans infirmitatem noſtram, *Rom.* 8.
Spiritus ſuavis, benigne, ſuper mel dulcis, *Eccl.* 24.
Spiritus principalis confirmans nos, *Pſal.* 50.
Spiritus qui in die Pentecoſtes ſuper Diſcipulos Domini in linguis igneis ſedens apparuiſti, *Act.* 2.

} Miſerere nobis.

Spiri-

Spiritus quo repleti Apoſtoli intrepide Chriſtum confeſſi ſunt, *Act.* 4.
Spiritus arguens mundum de peccato, & de juſtitia, & judicio, *Ioan.* 16.
Spiritus fide purificans corda noſtra, *Act.* 15.
Spiritus nos vivificans. *Ioan.* 6.
Spiritus gratias & dona tua varie diſtribuens, 1 *Cor.* 12.
Spiritus dividens ſingulis prout vis, 1 *Cor.* 12.
Spiritus diſcretor cogitationum & intentionum cordis, *Hebr.* 4.
Spiritus Paracletus manens nobiſcum in æternum, *Ioan.* 14.
Spiritus diſciplinæ effugiens fictum, nec habitans in corpore ſubdito peccatis, *Sap.* 1.

} Miſerere nobis.

Propitius eſto; Parce nobis S. Spiritus.
Propitius eſto; Exaudi nos S. Spiritus.

Ab omni malo,
Ab omni peccato,
A tentationibus & inſidiis Diaboli,
Ab omni præſumptione & deſperatione,
Ab impugnatione veritatis agnitæ,
Ab invidentia fraternæ charitatis,
Ab omni obſtinatione & impœnitentia,
Ab omni immunditia mentis & corporis,
A ſpiritu iræ, rixæ & diſſenſionis,
A ſpiritu fornicationis,
Ab omni ſpiritu malo,
Per æternam ex Patre & Filio proceſſionem tuam,
Per miraculoſam conceptionem Filii Dei te cooperante factam,
Per deſcenſionem tuam ſuper Chriſtum baptizatum,
Per apparitionem in transfiguratione Domini,
Per adventum tuum ſuper Diſcipulos Chriſti,
In die judicii,

} Libera nos S. Spiritus.

Peccatores, Te rogamus audi nos.
Vt nobis parcas, Te rogamus audi nos.
Vt ſicut ſpiritu vivimus, ita & ſpiritu ambulemus, *Gal.* 5.
Vt ſpiritu facta carnis mortificemus, *Rom.* 8.
Vt non contriſtemus Spiritum S. Dei, *Eph.* 4.
Vt Spiritui gratiæ contumeliam non faciamus, *Hebr.* 10.
Vt ſolliciti ſimus ſervare unitatem Spiritus in vinculo pacis, *Eph.* 4.
Vt ſpiritu ambulantes deſideria carnis non perficiamus, *Eph.* 5.
Vt non omni ſpiritui credamus, ſed probemus ſpiritus, ſi ex Deo ſunt, 1 *Ioan.* 4.
Vt memores nos eſſe templum Spiritus ſancti, illud violare caveamus, 1 *Cor.* 6.
Vt errantes inſtruamus in ſpiritu lenitatis & manſuetudinis, *Gal.* 6.
Vt ſeminemus in ſpiritu, & de ſpiritu metamus vitam æternam, *Ibid.*
Vt paupertatem ſpiritus in nobis excitare & fovere digneris, *Matt.* 5.
Vt nos mites & manſuetos reddere digneris, *Ibid.*
Vt gratiam pii luctus & ſanctarum lacrymarum nobis dare digneris, *Ibid.*
Vt veræ juſtitiæ eſuriem ſitimque in nobis accendere digneris, *Ibid.*
Vt ſinceros miſericordiæ & charitatis affectus nobis infundere digneris, *Ibid.*
Vt ſpiritum rectum innovare, & cor mundum in nobis creare digneris, *Ibid.*
Vt ſimus pacifici, & digni vocari filii Dei, *Pſal.* 4.
Vt perſecutiones propter juſtitiam fortiter & conſtanter perferamus, *Ibid.* *Ibid.*

Te rogamus audi nos.

Vt

Vt nos à blaſphemia Spiritus, cui remiſ-
ſio in hoc & futuro ſeculo negatur, cu-
ſtodiás, } Te rog. audi nos. *Matt.* 12.
Vt non contriſtemus Spiritum ſanctum
Dei, in quo ſignati ſumus, *Eph.* 4.
Vt nos in finem uſque in fidé, ſpe, & cha-
ritate perſeverare concedas,

Agnus Dei qui tollis peccata mundi, effunde in nos Spiritum ſanctum.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, emitte promiſſum in nos Patris Spiritum.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi, da nobis Spiritum pacis.

Pater noſter. Ave Maria.

℣. Cor mundum crea in me Deus.
℟. Et ſpiritum rectum innova in viſceribus meis.
℣. Ne projicias me à facie tua.
℟. Et Spiritum ſanctum ne auferas à me.
℣. Redde mihi lætitiam ſalutaris tui.
℟. Et ſpiritu principali confirma me.
℣. Spiritus ſancti gratia.
℟. Illuminet ſenſus & corda noſtra.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Deus cui omne cor patet & omnis voluntas loquitur, & quem nullum latet ſecretum, purifica per infuſionem S. Spiritus cogitationes cordis noſtri, ut te perfecte diligere, & digne laudare mereamur.

Adſit nobis quæſumus Domine virtus Spiritus ſancti, quæ & corda noſtra clementer expurget, & ab omnibus tueatur adverſis.

Omnipotens ſempiterne Deus, cujus Spiritu totum cor-

corpus Eccleſiæ ſanctificatur & regitur, exaudi nos pro univerſis ordinibus ſupplicantes, ut gratiæ tuæ munere ab omnibus tibi gradibus fideliter ſerviatur. Per Dominum noſtrum.

Cap. IV.

Rosarium, Oblationes, & Exercitia quotidiana ad SS. Trinitatem.

ROSARIUM SS. TRINITATIS, à præclaris Theologis uſitatum & commendatum.

Ejus recitandi modus erit iſte.
Præmiſſo ſymbolo Apoſt. Credo, *&c.* dic:
Pater de cœlis Deus, miſerere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miſerere nobis.
Spiritus ſancte Deus, miſerere nobis.
S. Trinitas unus Deus, miſerere nobis.

Deinde Roſarium per tres Decades hoc modo decurres. Initio cujuſque Decadis, ſeu ad tres majores globulos Roſ. leges Orat. Domin. adjecto Hymno illo Angelico ex Apoc. 7. Benedictio & claritas, & ſapientia, & gratiarum actio, honor, & virtus, & fortitudo Deo noſtro in ſecula ſeculorum. *Ad ſingulos vero minores globulos legas verba Trihagii Seraphici* Iſai. 6, *& Doxologiæ Eccleſiaſticæ,* Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth; plena eſt omnis terra gloria ejus. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto. Sicut erat in principio, & nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen.

Teſtatur Cornel. à Lapide *in c. 6. Iſai. hujuſmodi Exercitium multis doctis & piis viris magno fructu uſitatum eſſe. Eſt enim hoc brevis Doxologia,* inquit,

1. *Profeſſio fidei SS. Trinitatis contra hæreticos & infideles.*

2. *Eſt exercitium religionis, ſpei, charitatis, gratitudinis, aliarumque virtutum.*

3. Eſt

3. *Eſt excitamentum devotionis, & lætitiæ ſpiritualis, qua fortiter feras adverſa & tentationes: ardua ac difficilia omnia generoſe ſuperes, & quaſi exemplo regii Prophetæ*, Benedicas Dominum in omni tempore.

4. *Vitam ac officium Angelicum pro modulo noſtro æmulamur, dum hac nitimur, & ordimur aſſiduo laudare Deum, quod Angeli in cœlo ſine intermiſſione faciunt: & nos una cum illis ibidem faciemus. Hæc enim vere vita & functio angelica eſt, laudare Deum. imo ita incipimus eſſe beati, & converſationem in cœlis habere: quia terrena tranſcendimus, & circa Deum ejuſque laudem occupamur. Ita fere Cornelius.*

Adde, ſic monemur, praxi & exercitio rectæ intentionis aſſueſcere; ut omnia ad majorem Dei gloriam referamus.

Sic pariter noxium illum, & homini quaſi à natura inſitum pravum affectum, quo propriæ gloriæ in omnibus fere ſtudet, paulatim exuimus & abolemus. E contra profitemur omnem gloriam ſoli Deo, utpote ſupremo fonti omnis boni, jure reddi, nobis non niſi confuſionem deberi.

Ad hos ac ſimiles pios affectus excitandos alendoſque, diverſis viris eximiè doctis & piis curæ fuit, variis devotis conceptibus & meditationibus dictam Doxologiam, Gloria Patri, *&c. illuſtrare. Videri poteſt* Card. Tolet. *Serm.* 14. *&* 15. *in Pſal.* 31. Iulius Mazarinus *totis triginta concionibus.* Cornel.à Lap. *in c.* 11. *ad Rom.* Mauburn. *in Roſet. Exercit. p.* 1. *diſt.* 1. *tit.* 6. *c.* 7. Mihi inter cetera, brevis iſte modus placet: *Gloria Patri*, qui me cum non eſſem, ad imaginem ſuam potentia ſua creavit; *& Filio*, qui me, cum perditus eſſem, ſua ſapientia & ſanguine reſtauravit; *& Spiritui ſancto*, qui me filium iræ, tum in baptiſmo, tum alias ſæpe poſt lapſum, ſua gratia & bonitate juſtificavit.

Tanta, inquam, ac talis pro his omnibus & ſingulis ſit *Gloria ſicut erat in principio*, ante omnem creaturam, eadem & major etiam ſit *nunc* in præſentis vitæ noſtræ decurſu, *& ſemper*, uſque ad conſummationem ſeculi, *& in ſecula ſeculorum, Amen*; in omnem æternitatem, ſine ullo

termino, ab omnibus Beatis, in Patria, ubi nulla erit ſatietas, quies, aut ceſſatio à laude divina. Talem inquam ac tantam laudem ac gloriam *nunc*, id eſt, hoc ipſo tempore, dum recito iſtam doxologiam, opto ac nitor deferre Deo ac reipſa ſimul exhibere. *Vide quam prægnans ſit piis ſenſibus brevis iſthæc formula.*

Vnde cenſet Corn. *dicto l. nihil ſanctius, nihil Deo dignius aut gratius, nihil homini utilius orari, aut fieri poſſe. ibid. teſtatur Roſarium hoc à* B. Nicolao Scrario Societ. IESV Theol. *editum. De eo quidem in ejus vita, operibus præfixa* leguntur iſta:

Incredibile dictu eſt, quanto pietatis ſenſu, illam divinæ laudationis formulam, qua Pſalmos omnes Eccleſia concludit, uſurpare ſolitus ſit. Hæc (Doxologia) *illi privatim publiceque operum omnium principium & finis. Hanc nunquam ſine præcipuo quodam ardore, qui in vultu quoque emicaret, pronunciabat. Hanc ſi à ſymphoniacis cani audiret ornatius, geſtire ſcilicet gaudio ac triumphare videbatur. Quam vero uberes illi ex ea, cœleſteſque ſententiæ de ſumma illa divinitate affluerent, quamque ea volvenda inflammatum indies divinæ gloriæ ſtudium in pectore gliſceret, non modo frequentibus, ubi ſe occaſio dabat, ſermonibus; ſed publicis etiam monumentis prodere olim ſtuduit,* &c.

Porro ad hanc corollam majore cum fructu & affectu recitandam, Nota ex Thoma Saillio *in Theſ. Precum.*

1. Doxologia *iſta tria potiſſimum nos agere poſſe.* 1. *Laudare SS. Trinitatem.* 2. *Eidem gratias agere.* 3. *Ab ea aliquid petere. Cogita ergo antequam corollam incipias, quid horum velis, an omnia ſimul, an per diſtinctas decades, an unum per omnes.*

2. *Propone tibi cauſam, vel communem, vel ſingularem, ob quam Deum ſic laudare velis. V. G. volo gratias agere, aut laudare Deum ob Ieſu Chriſti ſacroſanctam Nativitatem, Paſſionem, &c. ob vocationem meam; ob beneficium tale N. privatum, vel publicum, &c. Similiter expende, quid petere velis, an virtutem aliquam, & gratiam, an liberationem à tentatione aliqua, an opem & auxilium in hac vel illa re. Quidquid enim petis, (ſiquidem recte) haud dubie, non niſi majorem Dei gloriam quæris.*

Exercitium quotidianum
AD SS. TRINITATEM,
Blaſii Palmæ *Clerici Regul. S. Pauli.*

CLementiſſime Domine Deus meus, Pater & Fili, & Spiritus ſancte, qui me propter temetipſum creaſti, & cui ob plurimas graviſſimas cauſas mei totius tributum debeo: ob id ego nunc, quanta vi maxima poſſum dirigo & offero divinæ Majeſtati tuæ omnes cogitationes, verba & opera totius vitæ meæ; præcipue verò hujus diei, conjungens ea meritis & operibus IESV Chriſti, dulciſſimi Redemptoris mei, & Beatiſſimæ Virg. Mariæ, ſuaviſſimæ Matris & Patronæ meæ, & omnium Beatorum Angelorum, SS. & juſtorum, qui unquam fuerunt, ſunt, aut erunt.

O ſi præter anguſtum hoc cor meum, infinita alia ex divina potentia, cui nihil impoſſibile eſt, poſſiderem, quorum omnium id unicum eſſet votum, officium, & continuum ſtudium, aſſidue reſpicere, agnoſcere, cogitare, amare & laudare te Deum ac Dominum meum.

Proindeque proteſtor nunc coram te, & tota cœleſti curia, hanc eſſe mentem meam, hoc meum votum & deſiderium, in omnibus cogitationibus, verbis, & operibus meis, imo & in omnibus ſuſpiriis, motibus, & reſpirationibus meis, hoc me ſingulariter velle & intendere, ut cum illis jungam, atque in eundem cumulum congeram, omnem illam vim, & multitudinem actuum, ac cordium divinæ Majeſtati tuæ placentium, ut illa mecum nunquam intermittant exercitium illud ad quod ipſa jure creationis, & conſervationis obligantur, nimirum ut ſemper te cognoſcant, colant ac diligant.

Quod officium nunc quidem ego præſto, & præſtari à me volo, quanta maxima perfectione, ac ſinceritate fieri poſſibile eſt; idque nulla habita ratione, vel præmii, vel ſup-

ſupplicii alicujus; ſed ſolum propter Te ſummum meum bonum; cum hæc tibi debeam multis ex titulis, At præcipue ex his Quatuor;

1. Vt profitear tuam ſupremam majeſtatem, gloriam, & excellentiam, ideoque tibi cor meum intime conjungam.

2. Vt gratias tibi agam ob innumera beneficia, tum generatim, tum ſpeciatim mihi præſtita.

3. Vt tibi aliquatenus pro peccatis meis ſatisfaciam, & te mihi nunc & in hora mortis propitium inveniam.

4. Vt à te impetrem auxilium gratiæ, & illud omne, quod mihi opus eſſe noſti ad finalem perſeverantiam, & æternam tui fruitionem conſequendam.

Te itaque ſuaviſſime Domine mi, per viſcera miſericordiæ tuæ ſupplex oro; digneris admittere has omnes oblationes; & me præſervare ab omni peccato, eamque mihi præſtare gratiam, ut nullam cordis mei partem, cum quacunque re creata & tranſitoria commutem, ſed totus, quantus quantus ſum, Vni tibi Creatori Deo, Dominoq́;, ac ſummo bono meo jugiter adhæream.

OBLATIO

ſui ipſius pulcherrima;

Qua homo ſpectatis Dei titulis quatenus eſt auctor naturæ, ei ſe totum ſecundum univerſum ſtatum naturalem offert, percurrendo partes aut facultates ſingulas, in hunc ferme modum:

Ex Franciſco Bourgoineo Congreg. Orat. Presbyt. in Ligno vitæ.

OFfero Tibi, ô ſumma, æterna, & adoranda Trinitas unus Deus, animam meam quam è nihilo creaſti: offero corpus meum quod de limo formaſti; do Tibi intellectum meum, memoriam meam, cor & voluntatem

tatem meam; & omnem illarum facultatum vim & capacitatem, omnes actus, aut affectus, aut cogitationes, deſideria, *&c.* quæ ab illis in æternum procedent, aut procedere poſſunt, offero, & dedico.

Suſcipe, ô Domine Deus, omnes ſenſus meos, & illorum vim, functiones & uſum, oculos meos, & omnes aſpectus, auditum, odoratum, guſtum, & tactum: omnes appetitus, & omnes illorum operationes: omnes denique arterias, venas, membra & oſſa corporis mei, omnes illorum facultates, & motus aut actus, *&c.*

Hæc omnia in ſempiternum Tibi offero, dedico, conſecro, & devoveo. Dignare hoc ſervitutis meæ Sacrificium in odorem ſuavitatis ſuſcipere.

ALIA OBLATIO AD DEVM.

Qua homo ſpectatis Dei titulis ad ſtatum & ordinem gratiæ ſpectantibus, ei ſe totum quoad ſtatum vitæ ſpiritualis per gratiam offert ac dedicat.

Ex eodem Bourgoineo.

O Summe, potens, & miſericors Deus, adoranda & incomprehenſa Trinitas, offero Tibi, dedo, & conſecro animam meam, omnes vires, & potentias illius, omnem capacitatem voluntatis, ad te amandum, intellectus ad Te cognoſcendum, ad me humiliandum, & ad Te glorificandum:

Do & offero omnem obedientialem animæ meæ potentiam ad cooperandum *divinæ gratiæ tuæ, ad implendas omnes voluntates tuas.* Domine, ante te omne deſiderium meum, & gemitus meus à Te non eſt abſconditus, ſuſcipe omnia poſſibilia voluntatis meæ deſideria ad Te laudandum, tibi placendum & ſerviendum:

Ac tandem offero & do Tibi omnes affectus, cogitationes, verba, & opera, facta & facienda, vitam meam, tempus meum, æternitatem meam, totum eſſe meum in natura

natura & gratia, me denique tanquam viliſſimum & indigniſſimum mancipium Tuæ omnipotentiæ, & bonitatis, & à miſericordia tua totaliter dependens: atque ex vi hujus *meæ donationis nunquam per tuam gratiam* revocandæ omnia mea in perpetuum Tua eſſe intendo & deſidero.

EXERCITIVM QVOTIDIANVM *longe utiliſſimum.*

QVo non ſine magno gratiæ & pietatis incremento, homo ſeipſum & omnia opera ſua offert Deo, in unione actionum & meritorum Domini noſtri Ieſu Chriſti.

Mirum dictu, quantum profectui veræ pietatis & gratiæ ſerviat praxis & uſus rectæ INTENTIONIS, *qua ad Dei ſolius gloriam omnia noſtra referimus.*

Sed longe utilius erit hoc exercitium, ſi Chriſti actionibus noſtras jungamus, & ſic eas æterno Patri offeramus. Hortatur ad hoc Paulus, ſive manducatis, *inquit*, ſive bibitis, ſive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. 1 *Cor.* 10. *Et iterum:* Omne quodcunque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine D. N. Ieſu Chriſti. *Coloſ.* 3.

Sic actiunculæ noſtræ alias viliſſimæ, ſic afflictiones, dolores & miſeriæ, imo ſic omnes etiam greſſus, reſpirationes & ſuſpiria Chriſti actionibus, meritiſque unita, ſummi pretii & dignitatis honorem induent, nec poterunt Deo Patri non eſſe gratiſſima.

Hoc tantundem eſt ac ſi plumbum, liquato auro immiſſum, auri decore & valore donetur. Hoc perinde eſt ac ſi vas aquæ, præſtantis vini dolio infuſum, totum mutetur in vinum. Hoc eſt, calefieri de velleribus Agni, qui tollit peccata mundi. Nos enim miſeri & inopes, qui meritorum & juſtitiæ noſtræ fiduciam non habemus, quomodo Patri placere poſſumus niſi per Filium, in quo ſibi bene complacuit? Ille enim eſt caput noſtrum, cujus influxu membra vegetantur, de cujus plenitudine nos omnes accepimus. Et qui poterit nos pius Pater deſpicere, ſi in faciem Chriſti ſui reſpexerit? ſed ecce praxin.

AD DEVM PATREM OBLATIO.

O Clementiſſime Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, ego creatura tua licet indigna, & vile mancipium tibi Domino & Creatori meo benigniſſimo humiliter me ſiſto; & ad te non quidem meis, ſed dilectiſſimi Filii tui Domini noſtri Ieſu Chriſti meritis confiſus, ſupplex accedo, gratiæ ac benignitatis tuæ particeps fieri cupiens, qua adjuvante in ſingulis meis cogitationibus, locutionibus, & operationibus, ita me ad voluntatis ac beneplaciti tui regulam dirigere valeam, quatenus tibi Domino meo gratum & acceptum debitæ ſervitutis obſequium exhibeam.

Tibi itaque, ô benigniſſime Pater, me totum ac omnia mea, qui es omnium dator & conſervator, offero ad promptiſſimum ſervitium & obſequium tuum: idque in unione oblationis dilectiſſimi filii tui Domini Ieſu Chriſti, qua ille adhuc infans tibi ſeſe in templo; deinde orans in horto; tandem moriens in ara crucis obtulit & commendavit.

Eſto ô clementiſſime Deus propitius mihi miſerrimo peccatori; & ne deſpicias me opus manuum tuarum; ſed reſpice in faciem Chriſti tui, quem nobis dediſti advocatum & mediatorem.

Ipſius dignitas vilitatem meam compenſet, ut quod meis non poſſum, ipſius meritis obtineam.

Dignare itaque pro infinita tua bonitate, & clementia, meum hoc licet vile obſequium ad majorem tui Nominis gloriam, & animæ meæ ſalutem, propitius acceptare.

OBLATIO

Somni & Vigiliæ.

O Dulciſſime Deus, offero Tibi ſomnum & vigiliam meam in unione omnis ſomni & vigiliæ; itemque Reſur-

Reſurrectionis filii tui Salvatoris mei, qua ipſe poſt triduum à morte velut ſomno excitatus, vi propria vitam reſumpſit. Præſta quæſo, ita me neceſſaria corporis quiete uti, ſic vigilias impendere, ut omnia cedant ad majorem tuam gloriam & animæ meæ ſalutem.

OBLATIO

Cogitationum, locutionum, actionum, &c.

O Amantiſſime Deus, offero Tibi omnes meas cogitationes, locutiones, & actiones, omnes labores omniaque negotia; hoc die, vel unquam à me ſuſcipienda, una cum omnibus laboribus, actionibus, & moleſtiis, quas unigenitus tuus Salvator noſter ad nos miſeros peccatores redimendos aliquando ſuſcepit.

Offero Tibi hæc omnia in agnitionem debiti illius, quo tibi, utpote ſupremo Domino meo obſtrictus ſum; & in gratiarum actionem, pro immenſis tuis beneficiis, quæ mihi à vitæ exordio ad hanc uſque horam contuliſti.

Reſpice me quæſo propitius, & per omnia ita me dirige ſecundum divinam tuam voluntatem, ut te donante tibi placita cupiam, & tota virtute perficiam, ad majorem tuam gloriam, & animæ meæ ſalutem.

OBLATIO

Refectionis & curæ corporis.

O Benigniſſime Deus, offero Tibi neceſſariam corporis mei refectionem & curam, in unione cœnæ, & refectionis illius, quam dulciſſimus Filius tuus Salvator meus inſtituit cum chariſſimis Diſcipulis ſuis inſtante Paſſionis hora.

Præſta mihi gratiam tuam, qua adjutus ita curam, & refectionem corporis moderari valeam, ut illud ipſum ſuſtentem, & conſervem, ſed ad tuum ſervitium & hono-

rem

rem tanto magis idoneum, citra quoque damnum aut incommodum animæ meæ.

OBLATIO

Orationis & exercitiorum piorum.

O Miſericordiſſime Deus, offero Tibi meas hujus diei orationes ſeu preces, omniaque bona opera, & pietatis exercitia, te aſpirante & adjuvante ſuſcipienda.

Placeat tibi, ô æterne Deus, ea ſuſcipere in unione omnium meritorum, & orationum Ieſu Chriſti Filii tui, quas ille pro nobis in monte Oliveti, alibive perfudit.

Præſta quæſo per amorem dilectiſſimi Filii tui, mihi ſemper ſalutarem petitionum, & orationum mearum effectum, quatenus tibi ad majorem tuum honorem, meamque ſalutem proficere videbitur.

OBLATIO

Adverſorum, &c.

O Mitiſſime Deus, offero Tibi tribulationes, anguſtias, dolores, omneſque afflictiones meas, quas hucuſque ſuſtinui, aut poſthac me ſuſtinere vis: in unione acerbiſſimæ Paſſionis unigeniti Filii tui Salvatoris mei, & in unione omnium dolorum, cruciatuum, & afflictionum, quas ille pro me perdito peccatore redimendo ſuſtinere non recuſavit.

Præſta ô benigniſſime Deus mihi gratiam & opem tuam, ut nec ego afflictiones à te ſuſcipere, nec propter te ſuſtinere refugiam, ſed in iis æquo & libenti animo toleratis nomen tuum laudem ac glorificem, & ſalutem animæ meæ ex iiſdem quæram, ac percipiam. Amen.

AD DEVM FILIVM OBLATIO.

O Benigniſſime & dulciſſime Domine Ieſu Chriſte, Salvator mundi, ego licet peccator indignus, tuo tamen pretioſo ſanguine redemptus, ad te Deum & Salvatorem meum humili mente, & intimo cordis affectu confugio.

Et quia tu te totum pro me miſero peccatore redimendo, in ara crucis Deo Patri in redemptionis pretium obtuliſti; ego quoque ô amantiſſime Ieſu offero Tibi me ipſum totum, quicquid ſum, quicquid ero, cum omnibus quæ habeo, & habiturus ſum.

Suſcipe quæſo Domine in manus ineffabilis miſericordiæ tuæ animam pariter & corpus meum, ſenſus, ſermones, & actiones meas: & per omnia ita me dirigere ac gubernare dignare, ut omnes peccandi occaſiones ſemper effugiam, ne unquam in laqueum maligni ſpiritus incidam; ſed tibi Deo ac Redemptori meo tuiſque mandatis indeſinenter inhæream, adeo ut me à te nec vita, nec mors, nec ulla fortunæ ſors ſeparet.

Rogo te ô amantiſſime Ieſu per illum amorem, qui te noſtræ ſalutis cauſſa è ſinu ſummi Patris in Virginis uterum traxit, ſupple imperfectionem actionum mearum, quæ ex parte mea exigui ſunt valoris & meriti, niſi de tua plenitudine ſupplementum defectus acceperint.

Conjunge obſecro indigniſſimum obſequium meum cum omnibus quæ egiſti & paſſus es ex perfectiſſima illa & ineffabili charitate, & obedientia; & cum divitiis ſatisfactionum & meritorum dilectionis tuæ Patri æterno illud offerre digneris, ut de tua abundantia mea ditetur inopia, & quam ex me ipſe nullatenus mereor, te mediante gratiam obtineam.

Obſecro etiam te ô dulciſſime Ieſu per ſanctam Incarnationem, Paſſionem & Mortem tuam, & per omnia

quæ

quæ noſtræ ſalutis cauſſa egiſti, miſerere parentum, fratrum, ſororum, amicorum, benefactorumque meorum vivorum & defunctorum: communica iis meritum pretioſi Sanguinis tui, & Paſſionis tuæ, ut ope gratiæ tuæ adjuti ſic vitam præſentem inſtituant, ut tandem in cœlis æternæ vitæ præmia recipiant.

AD SPIRITVM SANCTVM OBLATIO.

O Sancte Spiritus, cum Patre & Filio unus, & verus Deus, ſine cujus numine nihil eſt in homine. Regenerati enim ex aqua & Spiritu ſancto, membra ſumus Chriſti Ieſu, & filii Eccleſiæ ejus, quam Tu quoque continuo influxu gratiæ & bonitatis tuæ regis, protegis, fœcundas, atque ſanctificas.

Tibi itaque cor meum, meque ipſum totum offero, omnes res & actiones meas ſupplex tibi devoveo ac conſecro.

Tu, quæſo, purifica per infuſionem donorum & chariſmatum tuorum ſenſus, & cor meum, ut tibi ſemper caſto corpore ſervire, & mundo corde placere valeam.

Et quia ſine Te nihil boni à nobis cogitari poteſt, nedum perfici; tua me quæſo gratia ſemper præveniat, & ſequatur, ac bonis operibus jugiter præſtet eſſe intentum: eaque cum ex ſeipſis indigna ſint, quæ placeant tibi, accipe clementer in unione ſanctiſſimorum operum & meritorum Chriſti Ieſu, ut ſicut ille per Virginem puriſſimam, Te obumbrante, conceptus, factus eſt nobis Salvator, ſic ex illius gratia, charitate, & meritis infinitis, noſtræ infirmitatis, & inopiæ ſubſidium ſentiamus.

Accende lumen ſenſibus, infunde amorem cordibus, infirma noſtri corporis virtute firmans perpeti. Amen.

CAP. V.

MODVS ASPIRANDI
ad intimam
Cum DEO *unionem*,
Per ACTVS virtutum internos:

Seu

EXERCITIA ad genuinum DEI cultum & amorem, & ad Chriſtiani hominis perfectionem obtinendam aptiſſima.

Ex Blaſio Palma, Clerico Regulari S. Pauli, Italice magna omnium approbatione ſæpius edita.

PRÆFATIO.

HOMO *Chriſtianus, ſi modo, vocationi & nomini ſuo reſpondere velit, continuo adniti debet ad conjunctionem cum ultimo ſuo Fine, qui eſt* DEVS; *ut ei, quo ad fieri poteſt, uniat animam ſuam. Ad hoc verò cenſet S. Dionyſ. Areopag. compendiariam viam, & facillimum modum eſſe, ſi Anima fidelis continuo, per inflammatas aſpirationes, & frequentes amoris actus, affectus ac deſideria aſſurgat in Deum; interno affectu ad ipſum aſpirando, cum ipſo colloquendo, tractando; & ei denique corde puro, & inflammato deſideret inhærere.*

Hæc, eodem Doctore, eſt admirabilis illa, & occulta Sapientiæ unitiva, quæ ſine prævia meditatione, & inveſtigatione omni, trahit affectum amantis ſurſum in Deum: creſcitque extenſione affectus in illum: ſeſe exercens, brevi, crebra, & ardente oratione, actuque virtutum: ita ut dicere poſſimus, fundamentum perfectionis, præſertim internæ, contineri certis quibuſdam actibus & motibus animi, erga Deum & proximum: quos hic per modum orationum proponimus.

Vbi tamen cavendum eſt, ne, qui illas uſurpat, ullum votum,

aut

aut promiſſionem facere intendat, quæ vim habeat obligandi ſub novo præcepto; ſed tantum per modum liberæ oblationis, & devotionis eos actus exerceat; certus, quo ſæpius & ſtudioſius id eſt facturus, tanto ſe majus lucrum inde capturum: cum ſpe non vana, brevi expediendi ſe omni amore terreno, & uniendi ſe totum ei, qui ſolus eſt ſummum, & verum bonum, id eſt, Deo.

Quod ut rectius fiat, quia finis operi pretium ac laudem tribuit, proponemus ante omnia ſolemnem Proteſtationis formulam, qua anima, coram Deo, concipiat rectam intentionem, & Voluntatem ad rectiſſimam amuſſim componat, ut ſpretis omnibus aliis, ſolius Dei gloriam, & obſequium quærat.

I.
PVRA INTENTIO,

Seu proteſtatio, operandi purè pro Deo, ſine omni commodo amoris, aut obſequii.

Omne, quodcunque facitis in verbo, aut in opere, omnia in Nomine Domini Noſtri Ieſu Chriſti facite. Coloſſ. 3.

1. O Sanctiſſima, & Individua Trinitas, Pater, Filius, & Spiritus S. ego, miſera, & indigna creatura tua, firmo & conſtanti propoſito me totum hodie in ſanctiſſimam, & juſtiſſimam voluntatem tuam projicio; & abnegando meipſum ex toto corde pronuntio, ac proteſtor, quod totus velim eſſe tuus; & nec habeam quidquam, nec habere velim unquam aliud, quam te ſolum: te ſolum volo quærere, te ſolum amare, idque ſincere, ſimpliciter, ac pure, ſine meo commodo.

Et firmiter nunc propono, deinceps Tuæ Majeſtati ſupremæ ſervire, & eandem amare, non tam ut effugiam pœnas, carcerem, aut infernum evitem: neque ut mihi des conſolationes, aut beatitudinem in altera, aut aliud quidquam deſiderabile in vita præſenti; ſed præcipue, ut quæram te ſolum, velim te ſolum, amem te ſolum:

Et certe ſolus mihi ſufficis, qui es verum, unicumque complementum omnium.

Quare uni tibi me do, & dedico in æternum, idque tam firmo & inviolabili propoſito, tam ſincero cordis affectu, ut tota anima mea te amare, tibique ſervire ſupradicta intentione velim, etiam ſi viverem ſeculis infinitis. Hoc, inquam, eſt conſilium, hoc decretum, hæc enixa voluntas mea.

2. Si dare vis mihi dulcedines & conſolationes, ſis benedictus; facies enim tanquam benignus & amabilis Deus, qualis fuiſti ſemper, es, & eris: & ego viciſſim ago gratias infinitas: ſicut etiam, ſi illas mihi dare non velis. Imo, ſi immittere vis mihi pœnas, ærumnas, & vexationes, æque benedico tibi, & infinitas gratias ago.

3. In hujus propoſiti confirmationem, nunc teſtem appello Beatiſſimam Virginem Mariam, Reginam cœlorum, cum omnibus Angelis & Sanctis in cœlo degentibus: quos omnes rogo, ut intercedant pro me, apud tuam divinam Majeſtatem: quo meum hoc propoſitum te ſolum pure in omnibus, & nihil aliud quærendi, creſcat, & impleatur.

Quare ô mi dulciſſime Domine, ad te iterum me converto, & obſecro, ut digneris acceptare meum iſtud propoſitum, & dare vires, quibus illud implere valeam: quia ſine te prorſus nihil poſſum. Et quia me talem agnoſco, ideo ad te recurro, tibi me commendo; totumque committo, & in viſceribus Miſericordiæ tuæ abſcondo. Suſcipe me igitur, Deus meus: amplectere me, ſpes mea: immuta, & transforma me in te, per omnia, ô dulciſſime Pater.

4. Hac ipſa intentione, & fine, ſtatuo me exercere in infra ſcriptis exercitiis, & actibus virtuoſis: quos ſi interdum ore, & opere explicare ſatis non potero, nihilominus intendo, & nunc propono, corde implere, omni momento temporis, & ſemper; maxime in hora mortis,

tis, conatu affectuque maximo; & modo excellentiſſimo; quo per me, vel aliam quamcunque creaturam fiunt, ac tu ipſe noſti fieri poſſe. Et ecce nunc illos omnes tibi offero, perinde ac ſi eos ipſe elicerem: ſimulque toto corde te rogo, per infinitam tuam bonitatem, & miſericordiam, ut eos acceptare digneris. Amen.

II.
ACTVS FIDEI.

Sine Fide impoſſibile eſt placere Deo. Hebr. 11.

I. *Fides, tanquam fundamentum reliquarum virtutum, primum inter Virtutes Theologicas locum obtinet: & eſt habitus intellectus à Deo infuſus, quo Fidelis illuſtratus aſſentitur, atque adhæret iis, quæ ab ipſo Deo, per Eccleſiam, revelata, & propoſita ſunt.*

EGo itaque, ô fideliſſime, & veriſſime Deus, firmiſſima & prima Veritas, toto animo amplector fundamentum hoc fidei: ideoque humillime in terram proſtratus adoro, & veneror te, in cœlo & in terra: & optimo excellentiſſimoque modo, quo poſſum, firmiſſime profiteor: & ex nunc, & in perpetuum, corde credo, & ore confiteor omnia, quæ dixiſti, revelaſti, & propoſuiſti credenda: mediante ſancta Eccleſia: præſertim ea, quæ continentur in Symbolo Apoſtolico; affirmans omnia certiſſima eſſe, ut nihil omnino de ipſis poſſit in dubium revocari.

2. Ideo coram tua Divina Majeſtate, & tota curia cœleſti, confiteor, & firmiſſime proteſtor, velle me in hujus veritatis confeſſione vivere, & mori. Ah quam præterea cuperem, ut univerſus Mundus firmiſſima fide te cognoſceret, & confiteretur: & ſummopere doleo, quod te non credat, adoret, veneretur, ſicut oportet.

3. Quare obſecro te per pretioſum ſanguinem, vitam, & mortem Domini mei, Ieſu Chriſti: per merita ſanctiſ-

ſimæ Matris ejus, & interceſſionem ſanctorum Apoſtolorum, Diſcipulorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum, omniumque Sanctorum & Electorum tuorum, ut velis in me, & omnibus hominibus ſanctum iſtud lumen Fidei augere, & in Infidelibus illud accendere: ut eo magis omnes te agnoſcant, confiteantur, adorent, juxta deſiderium ſancti Prophetæ tui, cum quo exclamo: *Confiteantur tibi populi, Deus, confiteantur tibi populi omnes: omnis terra adoret te, & pſallat tibi. Laudate Dominum omnes Gentes*, &c.

4. Sed & lubens offero tibi, ſi opus fuerit, vitam & ſanguinem meum pro hac Fidei Veritate, & confeſſione tuenda. Atque utinam, ô ſanctiſſima Trinitas, Pater, Fili, & Spiritus ſancte, tibi placeret dare mihi gratiam Martyrii, pro eadem obeundi: ego me non modo promptiſſime, cum gratia tua, offerrem ad omnia dura & aſpera: ſed etiam pro maximo beneficio reputarem, ſi multa crudelia, pro tuæ Veritatis amore daretur perpeti. Exaudi me dulciſſime Deus.

III.
ACTVS SPEI & CONFIDENTIÆ IN DEVM.

Nolite amittere confidentiam veſtram, quæ magnam habet remunerationem. Hebr. 10.

I. *Spes eſt Virtus menti noſtræ à Deo infuſa, qua certo beatitudinem, per merita Ieſu Chriſti, Redemptoris noſtri, ſimulque ex operibus noſtris gratia Dei præventis expectare debemus.*

EGo itaque, Deus meus omnipotens, totus inclinatus, & proſtratus, te adoro & veneror: cui nihil impoſſibile, & difficile eſt, juxta veriſſimum illud effatum; *Apud Deum non eſt impoſſibile omne verbum.* Et quia per eandem omnipotentiam tuam promiſiſti mihi cœleſtem gloriam: ideoque etiam me vocaſti, ut eſſem tui conſors

ſors & ſimilis, ô Bonitas infinita, per auxilium tuum, & bona opera, quæ cum gratia tua ſpeciali ſtatuo facere, *Spero*, & à te ſolo conſequi deſidero, vitam æternam.

2. O Vere omnipotens Deus, ecce ego apertiſſime cognoſco, tantum bonum mihi promiſſum, me poſſidere non poſſe, niſi te mediante: teque deſiderare, & velle illud mihi dare: ideo enim Filium tuum pro me in mortem dediſti.

3. Gratulor mihi, & exulto, mi ſuaviſſime Ieſu, bonitas infinita, quod per te ſolum poſſim beatus fieri: neque aliud nomen ſub cœlo datum ſit nobis, per quod ſalvi fiamus. Vnde nec placeret mihi beatitudo, niſi per te illam haberem, quandoquidem omnis ſpes mea, & fiducia in te poſita eſt: eamque in te ſolo, fixam ratamque volo, benigniſſime & dulciſſime Ieſu, ſummum & ultimum bonum cordis mei.

Et hinc tanto jubilo, tanta conſolatione afficior: tantamque ſentio fiduciam, ut videar mihi jam tenere ac poſſidere bonum, quod deſidero: quandoquidem ſcio, quod Filius tuus unigenitus, per quem tantum bonum mihi dare vis, ſit Redemptor meus, & in negotio tam arduo fidus advocatus.

4. Quare, Pater omnipotens, toto corde firmiſſime ſpero, poſſe me à te, cum ſis liberaliſſimus, conſequi & obtinere omnia, quæcunque mihi ad ſalutem neceſſaria fuerint.

Ac primo quidem veniam omnium meorum peccatorum, quantumvis multorum, & enormium: tum etiam vires ad ſuperandas omnes difficultates, in hac vita occurrentes. Ac tandem gratiam perveniendi, ad fruendum perpetuo feliciſſimo tuo aſpectu.

Et quanquam Cœlum, terra, & omnes creaturæ contra me conjurarent, & ipſe jam in portis inferorum conſiſterem, nihilominus benevolentiſſime Pater, ſemper

in te ſperare vellem, & confidere, dicendo cum Propheta, *In te, Domine, ſperavi; non confundar in æternum. In Domino ſperans non infirmabor. Amen.*

IV.
ACTVS AMORIS ERGA DEVM, & proximum.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Luc. 10.

I. *Amor Dei, tantæ eſt nobilitatis & excellentiæ, ut omnes Beati, & omnes res creatæ, quæque creari poſſunt, præſtantius nihil unquam poſſint agere, quam ut Deum diligant. Actus autem amoris eſt, bene velle rei amatæ, & gaudere de bono, quod habet; eique optare, quod non habet.*

EGo itaque deſiderans exercere hunc excellentiſſimum actum, amabiliſſime Deus, ac ſuaviſſime Domine, ſumme gaudeo, mihi complaceo, tibique congratulor, de tuis infinitis perfectionibus, & attributis: quod ſolus tu ſis qui es, & ſummum infinitum bonum: ſiſque Deus inſcrutabilis, & immenſus, qui comprehendi non poſſis, neque ſatis ab ulla creatura cognoſci.

2. Gratulor tibi tantam tuam ſuper nos, & ſuper omnia, poteſtatem, gloriam, dominationem, imperium: & quod hæc habeas à teipſo. Profecto, Domine, ſi per impoſſibile, aliquid ego poſſiderem, quo tu careres, illud omne tibi libentiſſime cederem, & tribuerem: imo ſi poſſem eſſe Deus, nollem tantum ideo, ut tu ſolus eſſes, nec parem haberes.

3. Opto quoque, & ex intimo cordis mei affectu deſidero, ut omnes creaturæ, quæ ſunt in cœlo, terra, & mari, & quidquid uſpiam eſt, aut eſſe & reperiri poteſt: omne ſuum eſſe tibi acceptum referant, honorem tibi exhibeant, & obſequia: te laudent, magnificent, ament omnes, inducti ſola tua infinita bonitate, & excellentia

tia tuæ Majeſtatis: quia tu ſolus es omni amore digniſſimus.

Sed & maximo gaudio me afficit, quod quidquid creaturæ præſtare conantur tui amore, id omne tuæ dignitati, & magnitudini longe ſit impar.

4. Et quia tu ex te ipſo ſumme es amabilis, toto pectore deſidero te amare, illa perfectione, qua te amarunt, amant, & in æternum amaturi ſunt omnes Beati. Et hac eadem affectione cordis, offero tibi illum fervorem, floremque charitatis, qua tu te ipſum amas, amaſti, & in æternum amaturus es.

5. Superabundo gaudio, infinitas tibi gratias ago, quod tu ipſemet meum, & omnium creaturarum, officium ſuppleas, in amando teipſo. Et hunc ipſum amorem tui ipſius, offero tibi, in gratiarum actionem, pro omni gloria, honore, beatitudine qua frueris; una cum omni illa gloria, honore, laude, quam unanimi conſenſu omnes beati Spiritus, & omnes juſti hujus mundi tibi deferunt. Et in ſumma, tuum eſſe, tuam gloriam, & omne tuum bonum in teipſo cupio, & propter teipſum.

6. Et hoc tibi de me certum eſſe velim, ô dulcis Amor meus, quod tam firma, tamque conſtanti voluntate ſtatuerim te diligere, ut, etiamſi mihi nihil unquam, neque in hac, neque in altera vita, boni velles conferre: imo ſi in hac vita omnibus ærumnis afficeres, & in altera ſuppliciis addiceres æternis, nihilominus tamen amare te velim, & ex intimis medullis cordis mei tibi ſervire: ne ad momentum quidem (tua me gratia adjuvante) ab amore tuo deſiſtens, aut quidquam remittens. Quod ut clementiſſime confirmare, & acceptare digneris, humillime peto.

7. Quando vero, piiſſime Domine, præcipis mihi, ut amem etiam proximum meum, pro tam dulci præcepto tibi gratias ago: & ideo, quantum poſſum, impello voluntatem meam, ad ipſum amandum.

Cupio

Cupio ipſum amare, precorque ipſi à te omne bonum, quo felicior, tibique gratior fiat: maxime N. N. à quibus rebellis mea voluntas nonnihil abhorret.

Rogo dimitte illis omnia ſua peccata: & concede, ut arripiant remedia neceſſaria ad vitam æternam conſequendam: quod ſi noveris expedire, ut ego caream aliquo dono tuo, quod ipſis attribuas: ecce Domine Deus meus, nihil detrecto. Magna me voluptate perfundit amor, quo illos proſequeris; & perfectio, qua illos exornas: pro qua gratias tibi maximas habeo.

8. Quod ſi, te permittente, contingit me ab aliquo offendi, & vexari, nihilominus jam nunc te obſecro, priuſquam illud eveniat, ut velis ipſi dare veniam & vitam æternam: & hoc, quia tu ipſum amas, egoque deſidero tibi in omnibus conformari, ut nihil unquam velim ego, niſi quod vis tu ipſe, Dominus & Deus meus, Amen.

V.

ACTVS ADORATIONIS AD SS. Trinitatem.

Dominum Deum tuum adorabis. Lucæ 4.

1. *Cultus latriæ, qui ſoli Deo debetur, eſt actus internus, ſimul ac externus, quo rationalis creatura Deum colit, humiliando ſe, animo eum adorandi, & profitendi Deum. O Deus immenſæ majeſtatis & magnitudinis, Pater, Fili, & Spiritus ſancte.*

ECce ego omni illa, qua poſſum, ſubmiſſione, & humilitate, poſitus coram tua divina Majeſtate, Deus meus, agnoſco me creaturam, & opus manuum tuarum, à te per omnia dependens: te univerſorum abſolutum Dominum: digniſſimum, qui pro tali ab omnibus habearis & honoreris, infima cordiali ſubmiſſione humi proſtratus, & ex profunda abyſſo mei nihili te adoro, adoratione latriæ: & tantæ Majeſtati in infinitum me ſub-

ſubmitto, omnemque reverentiam, & honorem, quem poſſum, exhibeo.

2. Contentus etiam ſum, imo contentiſſimus, me nihil eſſe, nihilque poſſe, niſi à te proveniret; imo nollem eſſe, nec aliquid poſſe, niſi dependenter à te.

3. Ideoque invito, & invoco Sanctiſſimam Virginem, beatos Spiritus, & totam Curiam cœleſtem; imo creaturas univerſas, ut mecum adorent, venerentur, & agnoſcant tantam Majeſtatem; & jam nunc, una cum illis te adoro, & agnoſco; imo iſto meo actu omnes alias adorationes, alios cultus, quibus hactenus affectus es, & quibus affici te conveniebat; omnes, inquam, eos cultus uno faſciculo comprehenſos, & colligatos, tibi offero, & dedico.

4. Tandem, ô Deus meus, conſecro tibi omnia, qui es abſolutus Dominus univerſorum: ſingulariter autem omnes meas cogitationes, verba, opera tam interna, quam externa tibi offero, & devoveo; illud unum ſupplicans, ut in me perfectiſſime impleatur amabilis tua voluntas, qua me creaſti, & vocaſti ad tibi ſerviendum, Amen.

VI.

ACTVS LAVDIS
& gratulationis.

Laudate Dominum omnes Gentes. Pſal. 116.

1. *Laus quæ Deo tribuitur, prout è Sacris literis diſcimus, conſiſtit in omni actu virtutis, ſive corde, ſive ore, ſive opere & externo quopiam ſigno, ad manifeſtandam excellentiam divinæ Virtutis, fiat. Et Congratulatio eſt actus gaudii, quo afficimur de bono alterius, quod jam conſecutus eſt, ac poſſidet.*

EGo itaque, ô Domine, volo nunc, aſpirante gratia tua, elicere hos actus, & cor meum excitare, dicendo affectu intimo animæ meæ: Laudabiliſſime Deus, & Do-

Dominus meus, cum jubilo cordis mei pronuncio, proclamo, deprædico, totique mundo patefacio, quantum ſcio & poſſum, inæſtimabilem magnitudinem, excellentiam, & magnificentiam tuam; quod ſis Infinitus, & Immenſus: Immutabilis, & æternus: Potentiſſimus, Sapientiſſimus, Optimus, Sanctiſſimus, & infinitæ perfectionis, Creator cœli & terræ, primum Principium, & ultimus Finis omnium rerum: qui omnia ſumma providentia regis & gubernas. Horum omnium cauſa gaudeo, & gratulor tibi.

2. Et ideo nunc ego magno applauſu, & toto pectore te laudo, exalto, magnifico, veneror: atque utinam hoc poſſim abſque ceſſatione præſtare, ſemper & in omni loco terrarum tantum, quantum te exaltant, magnificant, honorant, honorabunt, honorarunt, & honorare potuerunt ſimul omnes creaturæ, & omnes qui fuerunt, ſunt, & futuri ſunt.

3. Imo cupio ſimul reddere tibi omnes illas laudes, quas potuiſſent, poſſunt, poteruntve deferre Beata Virgo; ſanctiſſima Humanitas Chriſti: & tantum, quantum poſſunt adferre innumeri Mundi, & infinitæ creaturæ, tam viſibiles, quam inviſibiles, quas omnipotens manus tua creare poteſt. Et tantas laudes, tantos honores deſidero tibi exhibere, quantos noſti exhiberi poſſe, & quantos mereris.

Quia vero me facultas iſtud præſtandi deficit, opto ſaltem, tribuere tibi omnes illos honores, & laudes, quas tuo adjutus auxilio offerre poſſum, & quantis tu teipſum amoris viribus amas: quibus nunc iſtum, qualemcunque meum affectum laudis, velut exilem appendicem, adjungo.

4. Congratulor autem tibi, condelector, & lætor, quod tu Deus meus, tam ſis magnus, tamque laudabilis, ut neque vires omnis creaturæ, vel in terra, vel in cœlo, ſufficiant ad te digne laudandum, & magnificandum: ſed

interim

interim gaudeo, te ipſum, laudabiliſſime Domine, id, in ſupplementum illarum omnium, abunde præſtare.

VII.

GRATIARVM ACTIO.

In omnibus gratias agite. 1 Theſſ. 5.

1. *Gratiarum actio eſt manifeſta confeſſio accepti beneficii, tendens in benefactorem, in ſignum compenſationis.*

EGo nunc, liberaliſſime Deus meus, agnoſco te omnipotentiſſimum, miſericordiſſimum, à quo omne bonum procedit: & confiteor à te mihi proveniſſe innumera beneficia, & ſingulariſſima dona, ab inſtanti conceptionis meæ, uſque ad præſentem diem: qualia ſunt Creatio, Redemptio, Vocatio, donatio S. Spiritus, Conſervatio, & infinita alia ab iſtis profluentia, & in iiſdem contenta: licet eis fuerim indigniſſimus: maxime vero beneficio N. N. pro quo nunc, & pro omnibus aliis, tota contentione cordis mei, totiſque viribus, infinitas tibi gratias ago, ſicut infinitus eſt amor tuus, & bonitas tua, qua illa mihi largitus es.

2. Agnoſcens itaque me tibi obligatiſſimum, ô Bonitas infinita, & neſciens, neque valens referre tibi gratias, quantas deberem, & cuperem, invoco IESVM Chriſtum, Beatam Virginem, & omnes creaturas, tam viſibiles, quam inviſibiles, ad agendas tibi pro me gratias: & illas, quas ipſæ, quocunque gratitudinis genere modoque tibi reddiderunt, reddunt, & in æternum reddituræ ſunt, ego illas pro me nunc omnes tibi offero: & una cum illis, eodem affectu, recognitione, & gratiarum actione, tibi gratias ago.

3. Neque hoc eo facio, quaſi mea ſint iſta bona, ſed quia tua ſunt. Ego enim promptus, & paratus ſum illis privari, quotieſcunque illa repetere tibi placuerit: & oro

ut

ut idipſum facias reipſa,quotieſcunque ad majorem tuam gloriam proficere judicaveris.

4. Ago etiam gratias divinæ Majeſtati tuæ, quod ſis, qui es: & pro omnibus bonis,quæ poſſides. Præterea in gratiarum actionem, & gratitudinem pro omnibus donis, & beneficiis conceſſis, & concedendis mihi, & aliis omnibus creaturis, quæ ſunt, fuerunt, vel erunt; ſpecialiter pro his, quæ copioſiſſime largitus es hucuſque ſanctis Angelis, & hominibus, Beatiſſimæ Virgini, Sacroſanctæ Humanitati Filii tui, Domini noſtri, eo, quo maxime delectaris, ritu modoque offero tibi, Deus, Deus, teipſum: qui es complementum, & perfectio omnium.

5. Neque his contentus, in ſignum gratitudinis, ex iſto momento meipſum tibi dedico, dono, trado: cum deſiderio & voluntate tibi fideliter ſerviendi, & cordialiter æternum te amandi: humillime rogans, ut hoc, quale quale munuſculum, undequaque tua Majeſtate indignum, etiam antea mille nominibus tuum, acceptare digneris, Amen.

VIII.

ACTVS OBLATIONIS.

Sacrificium Sanctificationis offeres Domino. Eccl. 7.

1. O Digniſſime Domine, Deus meus, Pater, Fili, & Spiritus ſancte, agnoſco me per omnia tuum: tum quia me creaſti, tum quia me redemiſti: ut omittam innumera alia beneficia mihi præſtita: pro quibus ſi millies me tibi ſingulis horis impenderem, nihilominus infinite tibi obſtrictus manerem,ac debitor. Quare ego jam talis, qualis ſum, libere, & maxima, qua poſſum, efficacia, me tibi conſecro,offero, & per omnia dono,in pleniſſimum holocauſtum,animæ,& corporis mei: & omnium quæ habeo, vel unquam poſſum acquirere.

Hoc

Hoc autem facere cupio, eo modo, quo tu deſideras, & quo maxime decet, ut me tibi offeram & conſecrem. Ac proinde libentiſſime, & liberaliſſime ſubmitto me ſanctiſſimis tuis præceptis, & nutibus in perpetuum.

Et quia ego jam totus tuus ſum, rogo ita me poſſideas, ut nunquam ipſe mihi amplius reſtituar, aut mei juris efficiar; ſed ut omne meum velle, facere, dicere, non ſit aliud, quam quod voluntas tua ſanctiſſima, & rectiſſima vult me velle, facere, dicere: & meum non velle, non facere, non dicere, ſit itidem tuum non velle, tuum non facere; tuum non dicere: fiatque purè ſolùm quando, quomodo, quantum tibi, digniſſime Domine, placet à me fieri, non aliter.

2. Præterea offero tibi omnes divitias, & bona ſpiritualia rerum omnium, tum creatarum, tum earum, quas habes in theſauris omnipotentiæ tuæ: ita ut ſi omnes meæ eſſent, libentiſſime vellem tibi illas cedere; vel ſaltem ad ſolum tuum honorem, & amorem expendere.

3. Offero tibi omnia bona ſpiritualia, cogitationes, verba, & opera bona, quæ fecerunt, faciunt, facturi ſunt omnes homines, qui fuerunt ſunt, futurive ſunt unquam in hoc mundo: imo omnes iſtas cogitationes, verba, & opera bona, quæ poſſent habere infiniti homines, quotque creari poſſunt à tua omnipotentia: ita ut, ſi poſſem, ex amore tuo eadem facere vellem illa efficacia, qua tu ſcis maxima fieri poſſe: & illo modo, qui eſſet Majeſtati tuæ gratiſſimus.

4. Offero quoque tibi omnes pœnas, dolores, martyria, & omnia mala pœnoſa animæ & corporis, quæ paſſi ſunt, patiuntur, & paſſuri ſunt omnes homines, ſive in mundo, ſive in purgatorio, ſive in inferno, in ſatisfactionem juſtitiæ tuæ, & augmentum gloriæ tuæ; & omnia, quæ ſcis ab omnibus & ſingulis tolerari poſſe, non ſolum in hoc orbe, ſed etiam in centum millibus, & infinitis Mundis, Purgatoriis, & flammis infernalibus: ita ut ſi

tibi placeret, cum gratia tua, omnia talia libenter propter amorem tuum, ſalutem meam, & proximi, vellem perpeti.

5. Præcipue tamen offero tibi precioſum ſanguinem, & infinita merita Domini mei IESV Chriſti; cum meritis Beatæ Virginis, & omnium Sanctorum, & una cum illis omnia ſupradicta: ſicuti etiam omnes meas cogitationes, verba, opera, ſtudia, occupationes, actus hodiernæ diei, & totius vitæ meæ.

Denique deſidero facere hanc oblationem, illo cordis affectu, quo tu noſti fieri poſſe flagrantiſſimo; & toties, quoties ſpiritum duco, ut totus in æternum ſim tuus, tibique addictus. Amen.

IX.
ACTVS RESIGNATIONIS ERGA DEVM.

Omnem ſollicitudinem veſtram projicientes in eum. 1 Petr. 5.

1. MI piiſſime Domine, omni affectu cordis mei abnegato per omnia, tibi me totum reſigno; & maximo quo tu ſcis fieri poſſe, deſiderio: & quantum per me fieri poteſt, deſidero perfectiſſime voluntatem meam in tuum divinum beneplacitum transfundere; in quo ſolo cupio mihi complacere, quieſcere, & in nulla re alia.

Quare te rogo, velis de me, meiſque rebus omnibus diſponere, quo modo, & quantum tibi placet, & videtur conducere ad majorem tuam gloriam.

Sic igitur totus in te reſignatus, offero me paratum ad acceptandum à potentiſſima tua manu, quidquid mihi acciderit in hac vita, ſive illud proſperum, ſive adverſum fuerit.

2. Quare ſi vis me vivere vitam, gratanter accipio: ſi vis

vis me mori, non recuſo: ſi vis me ſanum, accepto ſanitatem: ſi infirmum, infirmitatem: ſi locupletem, divitias: ſi pauperem, volo paupertatem: ſi honorabilem, placet honor: ſi inhonoratum, non abhorreo ab ignominiis: vis ut habeam conſolationem, & illam volo: ſi deſolationem, non abſterreor: ſi me vis eſſe in gratia apud homines, volo & ego: ſi vis me eſſe odio; pro inimicis orabo, & in perſecutionibus te laudabo.

3. Et ideo nolo habere oculos, niſi ad te videndum: neque aures, niſi ad te audiendum: neque linguam, niſi ad loquendum de te: neque cor, niſi ad te amandum: neque memoriam, niſi ad recordationem tuæ dulcedinis; neque intellectum, niſi ad agnitionem tuæ Majeſtatis: neque manus, niſi ad tuum famulatum: neque pedes, niſi ad tuum obſequium: neque corpus, niſi tibi ad victimam: neque vitam, niſi tibi in ſacrificium.

4. In ſumma, ita ſine omni exceptione tuus eſſe volo, ut, me ipſo exſpoliato, & omni mea proprietate exuto, Sanctiſſimæ tuæ voluntati (quandoquidem meam jam tibi donavi, & irrevocabiliter dono nunc, & in perpetuum) omnes meas cogitationes, verba, & opera, tam interna, quam externa, & omne meum eſſe, & poſſe, quæ gratia tua dignatus es mihi largiri, permittam, reſignem, transſcribam.

Neque volo quidquam velle, aut non velle, niſi quomodo, quando, & quantum tu vis, & non vis: ita ut tuum Beneplacitum ſit meum ſummum, & ultimum deſiderium, jucunditas, conſolatio, omni tempore & in re qualibet. Quare piiſſime Domine, aſſiſte mihi tua ſanctiſſima gratia, (ſine qua ſcio me nihil poſſe) ut omnia cedant in honorem & gloriam tuam, & perfectiſſimæ adimpleatur ſanctiſſima tua voluntas; Amen.

X.
DELECTATIO DE DEO.

Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Pſal. 36.

Verum gaudium eſt delectatio, ex illis rebus profecta, quæ Dei ſunt, quia vera materia omnis gaudii eſt in Deo, & in excellentia ejus.

1. O Quantas ergo jucundiſſime Domine, cauſas habeo, jubilandi & exultandi! quandoquidem tu es Deus ille, qui eſt, nimirum infinitæ Potentiæ, Sapientiæ, Bonitatis, Pulchritudinis, Miſericordiæ, Iuſtitiæ, Fidelitatis, & innumerabilium aliorum Attributorum, tanquam principium & finis omnis boni: cumque tantus ac talis eſſes, dignatus es eouſque extollere naturam humanam, illamque tibi unire, ut vere dicatur, Deum eſſe hominem, & hominem eſſe Deum: Deum quidem naturâ, hominem vero dignatione & gratiâ. Quinimo, præterea promiſiſti mihi etiam æternam felicitatem, & Beatitudinem: idque innumerabilibus teſtimoniis ac ſignis, tam in antiquo, quam in novo teſtamento confirmaſti. O dignatio! O Bonitas infinita Dei, ac Domini noſtri!

2. Itaque avide, Domine mi, deſidero, & volo in poſterum, adjuvante gratia tua, omnem animi mei delectationem, eſſe in te, ac de te ſolo, deque rebus, quæ tuæ ſunt, meque ad te pelliciunt: ſicut de te bene dixit, qui dixit: *Deus meus, & omnia.* Tu ſolus es bonitas, Theſaurus, Paradiſus creaturæ rationalis, in hoc, & in altero Mundo.

3. Contra vero faſtidio, prorſuſque averſor hunc Mundum, & omnia, quæ illius ſint. Neque minus mihi moleſtum eſt ea videre, audire & cogitare, quam ſordidiſſimam cloacam: cadaver putreſcens, ac ſterquilinium. Omnia enim, præ te, Domine, arbitror, ut ſtercora; abominor, ut rem contagioſam.

4. Et cupio tuæ ſolius dulcedinis guſtu affici, tantumque tuis è rebus gaudium & voluptatem capere, omnes vero res mundanas & quæcunque cor meum à te avertunt, reſpuere, abhorrere, deteſtari. Ad hoc præſtandum adjuva me, Domine, tua pietate, ut ſerviendo tibi, cum gaudio, & perfectione, in hac vita, poſſim te cum Beatis videre, & frui æternum in altera, Amen.

X I.

ZELVS HONORIS DEI, ET SALVTIS ANIMARVM.

Zelus domus tuæ comedit me, & opprobria exprobrantium tibi, ceciderunt ſuper me. Pſal. 68.

1. ZEloſiſſime Deus meus, qui gloriam tuam alteri non das, & omnes animas ſolus creaſti; ideoque inter alia tua nomina, etiam *Dominus Zelotes, & Deus æmulator*, vocari voluiſti; doleo, & ſummè crucior nomine omnium illorum hominum, qui in ſuis actionibus, relinquentes verum & rectum finem, qui ſolus es tu, ſummum & unicum bonum; magis res temporales, & caducas, hujus Mundi, quærunt, & amant, quam te: & continuo peccantes, tradunt ſe in poteſtatem crudeliſſimi ſui hoſtis, Diaboli: id quod ſine magno mœrore, & pœna, cogitare, & loqui non poſſum.

2. Quare, Deus meus, ego viliſſimus peccator, nullius pretii apud te, offero pro gloria Nominis tui, ac pro ſalute totius mundi, merita omnium Electorum, qui fuerunt, ſunt, & futuri ſunt uſque ad finem Mundi. Et ſi ego ſolus, ob amorem & honorem tuum, ſuſtinere poſſem omnes pœnas, omnia tormenta, quæ omnes ſervi tui paſſi ſunt, modo per ejuſmodi perpeſſionem efficere poſſem, ut nullus unquam te amplius offenderet, toto corde rogarem, ac ſupplicarem tibi pro hac gratia.

Quin potius, amore tui integre (ſi ita tibi placet) abdi-

co me omnibus, ſi quæ forte extant apud te,meritis meis & bonis operibus: (ſi tamen unquam aliqua tibi vere grata præſtiti) & offero illa tibi æterno Patri, unita cum meritis Filii tui,pro converſione totius Mundi; ut ſic ab omnibus honoreris in terra, ſicut in cœlo.

Et ſi poſſent omnia flagella, quæ aliis debentur, propter ſua peccata, meo tergo infligi,ut ipſis parceretur, & meritum hujus mei ſupplicii, in bonum ipſorum cederet, etiam pro his te rogarem; & ſi ita expedit, jam humiliter te rogo; ut pro hoc, qualicunque meo obſequio, des omnibus gratiam perfectiſſime tibi ſerviendi; itaque te amandi, ut nullus amplius te offendat: ſed perpetuo omnes te laudent, ac benedicant non minus, quam faciunt omnes Angeli, & Sancti in cœlo.

3. Præterea tanti facio honorem, & gloriam tuam, ut eligam potius manere æternum in inferno, & pati omnia tormenta, quam ut tu, vel unico momento, priveris tuo honore: cum tibi omnes honores debeantur, mihi autem omnes pœnæ, anxietates,& dedecora: & ne defrauderis tuo debito honore: veniant obſecro, ſuper me omnia opprobria, anxietates, & miſeriæ.

Et ſi hoc non ſufficiat ad te honorandum, veniant ſuper me omnia mala animæ & corporis, abſque peccato: eaque talia, & tanta, qualia & quanta, tu ſcis poſſe inveniri, ſive in inferno, ſive in terreno hoc mundo, ſive in purgatorio; &, ſi qua fieri poſſunt, iis adhuc majora, gravioraque. Sed tu interim,ô Amor meus,ne obliviſcaris mei, ſed des mihi gratiam, & fortitudinem ad ſuſtinendum illa, ſicuti ego libenter, pro amore, & honore tuo, paratus ſum illa acceptare.

XII.

ACTVS TIMORIS DEI.

Beati omnes, qui timent Dominum. Pſal. 127.

Iuſtus timor eſt anxietas quædam cordis, quæ retrahit hominem ab illicitto uſu membrorum, & ſenſuum exteriorum, internorumque affectuum: ne anima, vel omnino, vel ex parte, à Deo ſeparetur; aut quærat delectationem in aliqua creatura, atque ita refrigeſcat ardor ſpiritus.

1. EGo itaque, timende ac tremende Domine, nunc conſiderans infinitam Majeſtatem, & magnitudinem tuam, in cujus conſpectu tremunt omnes ſpiritus, cœleſtes, terreſtres & infernales, totus confuſus ob meam monſtroſam indignitatem, deſcendo in abyſſum nihili mei; magnopere timens, ne te oſtendam, & ſeparer à divina tua gratia: ſicut aliis multis evenit, eo quod in conſpectu tuo recte non ambularent.

2. Itaque dum cogito ſolum, quod poſſim te offendere peccatis venialibus, ac mortalibus, horreo; & totis artibus meis contremiſco; maxime quod agnoſcam me omnino debilem & imbecillem, & nihil poſſe, ſine gratia tua ſingulari.

3. Agnoſco tamen etiam Domine, hunc timorem eſſe mihi valde neceſſarium, & utilem; & ideo inſtanter illum à te peto; ipſumque ut in me augere, & animæ meæ imprimere velis, rogo, dicendo cum Pſalmiſta: *Confige timore tuo carnes meas, à judiciis enim tuis timui.*

PIE LECTOR,

Similes aliarum virtutum Actus quære infra Sect. IV, *ubi propriam ſedem habent.*

Cap. VI.

Contemplatio piiſſima ATTRIBVTORVM DEI,

Ad affectus & Actus Virtuoſos eliciendos relata:

Ex BLASIO PALMA, *Clerico Regulari S. Pauli.*

PRÆFATIO.

LIcet omnes excellentiæ, & perfectiones divinæ abſolutæ, prout in Deo ſunt, neque inter ſeſe, neque à divina eſſentia, ſint re ipſa diſtinctæ: ſed ſint ſummum, abſolutiſſimum, & ſimpliciſſimum ens, nihilominus quia noſter intellectus eſt nimis hebes ad illas, ut in ſe ſunt, intelligendas, ideo utitur variis, & diverſis conceptibus, atque diſtinctionibus, & conatur delibare aliquid illarum perfectionum: quas deinde ſolemus vocare Attributa divina, *quæ nos tanquam excellentias diſtinctas (licet unitiſſimas inter ſe) attribuimus* Deo.

Quarum cognitio, quamvis tam alta ſit ac ſublimis, ut major in mundo inveniri non poſſit: nihilominus tamen illis qui practice illam poſſident, erit excellentiſſima Regula ad acquirendas omnes Virtutes, & bona ſpiritualia: quia cognitio Dei, & imitatio virtutum ejus, eſt noſtra perfectio: ſicuti è contra ignoratio Dei, eſt fons omnis peccati & miſeriarum. Noſſe enim te, conſummata juſtitia eſt: & ſcire juſtitiam & virtutem tuam, radix eſt immortalitatis, Sap. cap. 15.

Quare ad normam & ſimilitudinem actuum virtuoſorum, jam præmiſſorum, etiam paucos quoſdam, ex Attributis divinis colligere viſum eſt, ut devotus Chriſtianus prævia hac face poſſit pervenire ad dictam notitiam & perfectionem vitæ; cum ſpe tandem conſequendi completam, & conſummatam juſtitiam, quæ eſt fruitio ipſius Dei in vita æterna.

ESSEN-

I.
ESSENTIA DEI.

Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti, Ieſum Chriſtum. Ioan. 17.

1. DOmine mi, tu es ſimpliciſſima Eſſentia, & ideo in omni genere perfectionum abſolute infinitus: nec quicquam tibi poteſt addi, vel deeſſe. Incomprehenſibilis es reſpectu omnium locorum, omnium temporum, omnium voluntatum, & omnium intelligentiarum. Quia tu excedis omnia loca, comprehendis omnes differentias temporum, transſcendis omnes mentes, abſorbes omnia corda hominum & Angelorum, quo fit ut tu ſolus teipſum digne comprehendere, metiri, intelligere, & amare valeas.

2. Immenſus es implendo, penetrando, eminendo ſuper omnes res creatas & creandas: immobilis, indeterminatus, incircumſcriptus: quia tua infinitate omnes terminos, & ſpatia imaginaria infinite tranſcendis. Et ideo natura, operatione, cogitatione, affectibus es immutabilis; quia non cadit in te umbra viciſſitudinis, mutabilitatis, ſed in eodem eſſe, & velle, ſemper es firmiſſimus.

3. Æternus es abſque principio, & fine: amplecteris unico puncto, indiviſibilis æternitatis, omnem durationem & differentiam temporum: neque obis aliud tempus, quam perfectiſſimum *Nunc* illud, quod tempori ſemper ex æquo reſpondet: tibi ipſi es adæquata & perfectiſſima menſura æternitatis.

4. Quia igitur, ut firmiſſime credo, tam grandis eſt, Domine mi, tua excellentia: nunc toto meo corde, ſumma cum humilitate & reverentia, te adoro & veneror, & una cum ſpiritibus Beatis & juſtis, te confiteor eſſe, qui es: & coram te humi proſtratus reverenter me inclino, & profundiſſima humilitate ſubmitto: & quia di-

gnus es omni amore, te in æternum amabo, integro & ſincero amore.

Et præterea pro gloria tua deſidero, ut omnes creaturæ in æternum te ament, agnoſcant, revereantur, honorent & laudent: ideoque offero tibi meam vitam, vires, facultates, & quidquid habeo, vel poſſum habere.

5. Inſuper gaudeo & delector, quoties cogito, te Dominum eſſe tam magnum, infinitum, incomprehenſibilem, immenſum, immutabilem, æternum, & in te inveniri omnes perfectiones prædictas.

6. Congratulor tibi intimo affectu cordis, tuam tantam Majeſtatem, gloriam & beatitudinem, quam poſſides, & æternum poſſeſſurus es: ideo convoco omnes creaturas, ut mihi congratulentur, dicendo: *Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula*, &c.

7. Duplici ſuperabundo conſolatione, & jubilo, cum ſpero & conſidero iſtud ipſum tuum bonum, futurum aliquando meum: quia illud mihi promiſiſti, promeruiſti, præparaſti, largitus es, per Chriſtum, Filium tuum Vnigenitum & Redemptorem meum: quo itidem tecum in æternum fruar, modo fidelis in amore tuo permaneam. *Atque tum ſatiabor, cum apparuerit gloria tua.*

II.

POTENTIA.

Apud Deum omnia poſſibilia ſunt. Matth. 19.

1. O Deus meus omnipotens, tu es illa Potentia, quæ omnia, quæcunque vult, poteſt: & quæ nullam omnino infirmitatem admittit, neque unquam fatigatur operando: omnia ex nihilo producit, eadem facilitate ad nihilum itidem omnia reductura, ſi velit: nec quidquam illi reſiſtere poteſt, ſed omnia ipſi obediunt.

O adoranda, tremenda, & religioſo ſilentio veneranda

da Omnipotentia! Tu Rex ſeculorum, per te ipſum omnia potes: à te inſtituta eſt, & dependet omnis potentia, omnis vis, fortitudo, induſtria & energia omnium rerum. Tu, inquam, omnia ex nihilo creaſti, & ſuſtentaculo tui influxus eadem conſervas, & Omnipotentiæ tuæ manu, quaſi ſuſpenſa tenes, ne in nihilum ſuum, unde prodiere, recidant. Tu Domine, per te ipſum potes dare, & agere non ſolum omne illud, quod omnes homines, una cum SS. Angelis animo concipere poſſunt, ſed etiam omne illud, quod infinita tua ſapientia cogitare poteſt: cum omnipotentia tua ſit æqualis ſapientiæ tuæ, & æqualiter ſe extendat, & diffundat: quia hæc ſola eſt regula, & menſura illius. Quam enim aliam habeat menſuram immenſa Potentia, niſi ipſam Immenſitatem?

2. Complaceo mihi, & gaudeo, Domine, de tanta tua Majeſtate & Potentia; ex cujus conſideratione, rogo te, ut profundiſſimam reverentiam, & ſubmiſſionem erga divinam tuam Majeſtatem animo meo imprimere velis. Placet etiam, ut diſponas & ſtatuas de me, & omnibus creaturis, ſecundum tuum beneplacitum: quia nemo poteſt tibi dicere, *cur ſic facis?* omnia tua ſunt, & opera manuum tuarum.

3. Fac, Domine, ut ſemper præ oculis habeam hanc certiſſimam veritatem, nempe, te mihi aſſidue præſentem eſſe: & manu tuæ omnipotentiæ mihi minitari fulmen æternæ damnationis, ſi mandatis tuis non obtemperem: & ita te nunquam offendam.

Da inſuper fiduciam, & ſecuritatem cordi meo erga te, ne ullum præter te timeam, & ne creatura ulla poſſit me ſeparare ab amore tuo: nam quid ſunt omnes aliæ creaturæ ſi tecum conferantur, quam nihil? vel quid mihi mali, ſine tua permiſſione, poſſunt inferre? quod ſi tamen ab aliqua permittas me affligi, hoc ipſum, Domine mi, cedit in meam ſalutem, & mihi cooperatur ad acqui-

rendam

rendam vitam æternam. Et ideo omnem meam fiduciam pono, & repoſitam volo in te, Potentiſſime Deus, ac Domine, Amen.

III.
SAPIENTIA.

A Deo profecta eſt ſapientia. Eccl. 15.

1. O Sapientiſſime Deus, tu es illa ſapientia, quæ comprehendit omne, quod poteſt excogitari: ignorantia in te nullum habet locum: omnes res ſcis, nec falli potes vel errare; quia perfectiſſime, & diſtinctiſſime omnia cognoſcis: omnes res præſentes, præteritæ, futuræ, omnes poſſibiles, imaginabiles: omnia quæ ſunt, & quæ non ſunt, tibi, Deus meus, ſunt præſentia, & in ſancto tuo conſpectu poſita.

2. Tu es prototypon, & primarium ſignaculum omnium rerum: tu puritate, & ſubtilitate tua penetras omnia, intimeque omnibus inexiſtens, apte cuncta diſponis. Et licet attingas, & penetres à fine uſque ad finem, & à ſummo uſque ad imum, omnibuſque te peniſſime inſinues, nihilominus minime te cum ulla re confundis aut permiſces; nec labe vel minima contaminaris, ſed ſemper in tua pulchritudine, candore, & ſinceritate permanes.

3. Tu es auctor, & artifex: tu exemplar, idea, menſura, & finis omnium rerum: neque ſolum architectus illarum, quæ ſunt, & acceperunt ſuum eſſe, & ſpeciem à te ipſis impreſſam, ſeu viſibiles, ſeu inviſibiles: ſed etiam illarum, quæ non ſunt, & per omnipotentiam tuam fieri poſſunt, utique in infinitum longe plures iis, quæ factæ ſunt.

4. O Sapientia admirabilis! hæc totam ſimul ambit æternitatem, & intra ſe totam Immenſitatem capit, totam ad ſe trahit Infinitatem, omnia in ipſa quoddam habent

bent æternum eſſe, & æternam vitam: Denique caret principio & fine, & per omnia eſt immutabilis.

5. Placet mihi Domine, gaudeo, & congratulor tibi iſtam tuam profundiſſimam ſapientiam, qua ſcrutator es cordium. Si ego vel parum hanc tuam ſapientiam imminuere, vel obſcurare poſſem, ne agnoſceres malitiam meam, & ſcelera mea, non facerem: imo potius vellem ipſe deſtrui & annihilari, quam ut vel unico puncto tua ſapientia minueretur. O ſapientiſſime Domine, ex iſto tuæ lucis inexhauſto fonte radium aliquem diffunde, precor, in mentem meam, ut perfecte cognoſcere poſſim pulchritudinem virtutis, & turpitudinem peccati: ut hoc fugiam, illam autem proſequar, & magis magiſque diligam; id quod ad gloriam, & honorem tuum cedat ſempiternum. Amen.

IV.
BONITAS.

Bonus es tu, Domine, & in bonitate tua doce me juſtificationes tuas. Pſal. 118.

1. DOmine & Creator omnis boni, tu bonus es, non hoc vel illo modo, non in hoc vel illo genere bonitatis, ſed abſolute, ſine principio, & fine; ſine limitatione, ſine modo, niſi eo, quo ſine menſura præoccupas, & amplecteris omne bonum.

Tu es ipſa plenitudo & univerſitas boni, cui omnes res, à ſuprema ſubſtantia creatæ, uſque ad materiam nudam ac primam, omne ſuum bonum acceptum referre debent.

Tu ſimpliciſſima eſſentia tua, omnem excellentiam, omnem perfectionem, omnem beatitudinem, & omne bonum poſſides: nec Bonitas tua, & perfectio ullum habet limitem aut terminum: eo quod prima ac primaria ſit, neque ab ullo dependeat.

2. A

2. A te omnia dulcia trahunt ſuam dulcedinem, omnia pulchra ſuam pulchritudinem, omnia lucida ſuum ſplendorem: omnia, quæ vivunt, ſuam vitam: omnia, quæ ſentiunt, ſuam ſenſationem: omnia, quæ moventur, ſuum vigorem: omnia intelligentia ſuam notitiam, omnia perfecta ſuam perfectionem: omnia demum qualicunque modo bona hauriunt ſuam bonitatem.

3. Tu magnus es ſine quantitate, bonus ſine qualitate, infinitus ſine numero, formoſus ſine figura; æternus ſine tempore, immenſus ſine loco, diffuſus ſine extenſione, perfectus ſine multiplicitate, altiſſimus ſine ſitu.

4. Tu centrum Vniverſi, ad quod naturali pondere res omnes feruntur, in quo omnia conquieſcunt: à quo omnia ſuſtentantur: in te ſunt illecebræ omnis amoris, conſummatio omnis deſiderii, terminus omnis motionis, ſatietas omnis appetitus.

Quanta eſt hæc vis tuæ illius ſummæ Bonitatis, ad cujus parvi radii ſplendorem tanto impetu currit omnis creatura! dum unaquæque illarum appetit particulare ſuum bonum, & ad illud totis viribus connititur: quod bonum nihil aliud eſt, quam leve veſtigium, & ſignum tuæ Bonitatis. Hoc omnem creaturam tam potenter trahit: hoc in mundo tantos motus excitat: Quidquid enim in rebus creatis ſe movet, agitat, operatur, boni intuitu movetur & agitur. Si lenis umbra boni tantò impetu trahit, quanto magis trahet ipſa veritas? illa, inquam, pulchritudo & bonitas infinita; clare viſa, id eſt, tu ipſe, Domine, dulciſſimum & ſummum bonum?

5. Trahe mentem meam ad te, ô immenſa pulchritudo, eamque ad te, ſuper omnes res creatas, vinculo indiſſolubili, & ligamento æterni amoris adſtringe. Quid quæram & deſiderabo extra te, qui es plenitudo omnis boni: fons, finis, ſuavitas, vis & medulla omnis boni? Valeant ergo aliæ res omnes, te ſemper cogitem, amem; ad

ad te contendam; tibi uni adhæream: in te commorer: te laudem, benedicam, & omnibus viribus animæ meæ, & tota vita mea uni tibi ſerviam. Omnes res tranſitoriæ, vel viles, vel charæ mihi ſint; quatenus tuæ bonitati congruunt: nulla alia ratione illas contemnam, vel æſtimem. Perfice me, ſecundum altiſſimum tuum beneplacitum, in cogitatione & amore tuo: commuta me totum in te ipſum, ut unus tecum ſpiritus efficiar; ut jam non mihi, ſed tibi vivam. Amen.

V.
SANCTITAS.

Non eſt ſanctus; ut eſt Dominus. 1 Reg. 2.

1. DOmine, Deus meus, Tu diceris ſanctus multis modis. 1. quia tua Eſſentia eſt prima radix, & origo omnis ſanctitatis, & puritatis. 2. quia eſt objectum, & menſura omnis ſanctitatis: uno verbo, tu es principium efficiens, forma, exemplar, & finis omnis ſplendoris ſanctitatis, qui in creaturis reperitur. Et per te ipſum ſanctus es: per eſſentiam tuam: nimirum ſanctitate fundamentali, objectiva & formali. Tam perfecta eſt ſanctitas tua, ut nihil quidquam ei poſſit addi, vel demi; quia eſt ſanctitas eſſentialis, & univerſalis.

2. Gaudeo & complaceo mihi de iſta tua ſanctitate, fonte eſſentiali omnis pulchritudinis & puritatis: à qua omnes creaturæ intellectuales ſanctitatem, & puritatem ſuam accipiunt. Hanc ſanctitatem propoſuiſti nobis imitandam: non vero Poteſtatem, non Sapientiam, non altitudinem Majeſtatis tuæ; cum dixiſti: *Sancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum.* (Levit 11.) Non poſtulas tamen à nobis tantam, quantam eminentia ſanctitatis tuæ requirit; ſed ejus ſaltem imaginem quandam: qualem ſcilicet cum gratia tua, infirmitas noſtræ naturæ capere poteſt.

3. Hanc

3. Hanc tuam ſanctitatem, & puritatem veneror, honoro, amo, & admiror. Vtpote cui omnis reverentia, honor & amor debetur. Hæc præſentia ſua ſanctificavit, & ſanctificat totum mundum: unde quocumque me verto, præſentem te conſpicio, & ubique exiſtentem te veneror, laudo, honoro, & benedicó: tanquam in ſacro templo gloriæ tuæ. Singulari tamen modo animam meam, quæ multo capacior & auguſtior eſt mundo corporeo, ad ſimilitudinem Templi, cultui tuo ſanctificaſti, tibique in habitationem conſecraſti. & ideo intra me, in penetralibus animæ meæ te habitantem aſpicere valeo: hic in ſancto ſilentio tecum ipſo converſari, hic tecum delitiari poſſum: ibi te placare obſequiis: ibi te adorare: ibi à te iſtam ſanctitatem & puritatem petere: idque jam, Domine mi, toto corde, & omnibus animi mei viribus cupio facere, & impetrare.

4. Conabor etiam, Domine, & nunc propono, totis viribus fugere omnes impuros, & inordinatos affectus, & omnes maculas animæ, quibus templum tibi ſanctum violari, & profanari poſſet: quia, Domine, ſine dubio, ſicut neceſſario plurimum diligis tuam ſanctitatem, ita neceſſario magnopere odiſti peccatum, & omnem immunditiam deteſtaris.

5. Denique tibi, tanquam auctori, fini, regulæ & exemplari omnis ſanctitatis, à qua, ad quam & ſecundum quam ſanctificantur omnes res in cœlo & in terra, ſit gloria, benedictio, gratiarum actio, ab omnibus creaturis in cœlo & in terra. Amen.

BE-

VI.
BENIGNITAS.

Ipſe Dominus *benignus eſt*. Luc. 6.

1. TV, mi Domine, Bonus diceris ratione perfe-ctionis naturalis: ratione ſanctitatis, & ratione beneficentiæ: quæ nominari poteſt Benignitas: & hæc nihil aliud eſt, quam quædam naturalis tua propenſio, tua bona communicandi cum rebus inferioribus, & creatis, pro capacitate cujuſque.

O quam vere benignum te demonſtras, Domine, quia cum nullius indigeres, tibique ipſi ſufficientiſſimus eſſes, nihilominus ex nihilo res omnes creaſti, & ex ſuæ nullitatis abyſſo eduxiſti, dando eis eſſentiam, formam, pulchritudinem, appetitum boni, fugam mali, vires, functiones, impetum, motum, ſitum, modum, ordinem, perfectionem, & terminum: prout cuique illarum commodum eſt, & amabile: & hoc non ob tuam aliquam commoditatem, vel utilitatem: ſed ut ipſis bene eſſe, & pro ſua quæque capacitate participarent de tuis bonis, guſtarentque fructum tuæ benignitatis. Et ideo omnes res te laudant, tacitiſque vocibus tuam benignitatem celebrant. *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annuntiat firmamentum*, &c. Pſal. 18.

2. Sed in genere noſtro humano facile omnium excellentiſſime reſplendet tua Benignitas. Tu ad imaginem, & ſimilitudinem tuam nos creaſti, & charactere vultus tui nos ſignaſti: intellectum, memoriam, & voluntatem nobis dediſti, quibus divinæ gloriæ, & beatitudinis tuæ capaces efficimur: divinis inſuper auxiliis & ornamentis nos inſtruxiſti, ut mereremur, & conſequeremur tam præſtantia bona. Angelos etiam nobis cuſtodes, & rectores aſſignaſti: tandem totum mun-

dum creaſti, & plurimis bonis inſtructum pro habitatione & ſolatio nobis donaſti. Quid majus his beneficiis? quid iſta benignitate mirabilius fingi & excogitari poteſt? maxime cum hæc omnia feceris, ut hac ratione nos perduceres ad ſedes cœleſtes, participeſque nos tuæ beatitudinis faceres.

3. Ergo quantus ſum,& quantum poſſum, gratias tibi ago, & innumerabiles gratiarum actiones refero tibi, Domine, pro tam inſigni benignitate, & omnes creaturas invito ad te laudandum, & benedicendum: *Benedicite omnia opera Domini Domino: laudate, & ſuperexaltate eum in ſæcula*, &c.

4. Gaudeo Domine, quod tam benignus ſis, & des temetipſum; & quaſi abjicias ad res viles & infimas; quod infirma curare, abjecta erigere, humilia extollere gaudeas. Et ubi gravior neceſſitas, paupertas, miſeria inſtat, ibi liberalius opes tuas effundere, & opem propenſius adferre ſoleas: id quod proprium eſt veræ Benignitatis.

5. Doleo & pœnitet me, non imitatum fuiſſe iſtam tuam Benignitatem: quia fui ſævus, aſper, impius erga proximum meum: nec bona fortunæ, vel animi in auxilium proximi converti; ſed ſæpius contrarium feci. Ideo nunc toto corde humillime à te veniam peto, & propono, te adjuvante iſtud inhumanitatis vitium emendare, & eſſe benignus, ſuavis, & amabilis erga omnes, idque ſtudio imitandæ divinæ tuæ benignitatis.

Quia ab iſta tua benignitate proxime, & immediate provenit amor tuus, & diffunditur in omnes creaturas, quo vis bona tua cum illis eſſe communia. Quare obſecro, velis igne iſto accendere cor meum, ut fiam benignus, & charitate plenus. Amen.

VII. PRO-

VII.

PROVIDENTIA.

Ecce Domine, tu cognoviſti omnia noviſſima, & antiqua. Pſal. 138.

1. PRovidentia tua, Domine, gubernat omnia, à ſummo cœlo uſque ad infimas partes terræ: à ſupremo ſpiritu uſque ad abjectiſſimum vermiculum. Hæc ab æterno omnes res cogitavit, concepit, diſtinxit, apteque diſpoſuit. Sine lege iſtius nihil prorſus oritur, nihil moritur, nihil operatur, movetur, quieſcit.

Hinc omnia, quæ carent ratione, tanta cum ratione operantur, & tam ordinate tendunt ad ſuum finem: homine excepto, quia dotatus libero arbitrio, ipſomet abutens, longiſſime ſæpe recedit ab ordine divinæ, & particularis tuæ Providentiæ, proponendo ſibi alios fines, contrarios illis, quos illa ipſi conſtituit.

Neque ideo tamen ab univerſali tua Providentia ſe ſubducere poteſt: cum incidat in juſtas pœnas, peccato, & peccatoribus decretas: quo fit, ut etiam in improbis ordo divinæ tuæ Providentiæ mire reſpondeat.

2. Væ mihi, qui toties quæſivi ſubducere me à paterna tua Providentia, & vivere volui ſecundum imprudens meum judicium: & ideo dum volui ſubterfugere divinæ tuæ Providentiæ manum, quæ me ducebat ad vitam, in mille pericula, errores, & peccata, impegi: ſimulque incurri juſtiſſimas pœnas, conſilio Providentiæ tuæ miſeris peccatoribus conſtitutas, ad gloriam infinitæ tuæ Iuſtitiæ: quam, dum ſtolide me proripiebam à Benignitate, & Miſericordia tua, vel invitus incurrebam: &, ô me miſerum! theſaurizabam mihi pœnas Iuſtitiæ: & dum ſubtrahere me volebam ſuavi jugo divinorum tuorum præceptorum, ſubmittebam me duriſſimæ ſervituti dæmoniorum: & dum

ſpernebam æterna præmia, promerebar æterna ſupplicia.

O ſtultitia, ſanguineis lacrymis deploranda! pœnitet: ah toto corde me pœnitet: humillimeque à te veniam peto.

3. Obſecro te, Domine, per omnia mirabilia dulciſſimæ Providentiæ tuæ, aufer à me hanc ſtultitiam, & da gratiam, qua ſemper ante oculos geram tuam illam Providentiam: ut quidquid proſperi vel adverſi acciderit mihi, ab ipſa mihi provenire intelligam, idque de manu tua pro magno beneficio accipiam. Hæc mea ſit in adverſis prima conſolatio. Hæc in terroribus ingeneret mihi fiduciam, in periculis ſecuritatem, in arduis fortitudinem; in rebus adverſis patientiam, in perturbationibus tranquillitatem: animi in futurorum exſpectatione quietem. Hæc auferat à me omnem ſolicitudinem, ut à ſola benignitate Providentiæ tuæ ſecurus dependeam. Hæc dirigat omnes res meas, illaſque gubernet uſque in finem, prout novit expedire ad gloriam tuam, & meam ſalutem. Quibuſcunque mediis uti voluerit, proſperis, an adverſis: honore an ignominia, infamia an bona fama: abundantia, an penuria: infirmitate, an ſanitate: vita, an morte: nihil recuſo, nihil repudio: quidquid elegerit ipſa, id rectiſſimum & conſultiſſimum judico, & ut gratiſſimum exoſculor.

Hoc unicum enixum meum deſiderium & votum eſt, voloque, ut ſemper ſit, facere, dicere, cogitare, mi Domine, ſicuti tu judicas utilius eſſe ad gloriam tuam, & meam ſalutem, ut in omni æternitate te contempler, admirer, amem, honorem, laudem, benedicam, in omnibus rebus, & ſuper omnia. Amen.

VIII.
MISERICORDIA.

Miſericordia Domini plena eſt terra. Pſal. 32.

1. MIſericordiſſime Domine, tu illa immenſa Miſericordia es, quæ excedit infinite omnem miſeriam, & malitiam noſtram. Primum enim, tu eduxiſti me ex nihili tenebris, & dediſti mihi vitam, & nobilem naturam, factam ad imaginem tuam, & cum ea maxima ornamenta, intelligentiam, judicium, rationem, memoriam, voluntatem, contuliſti. Deinde ab humili ſtatu naturæ elevaſti me ad ſublimem ſtatum gratiæ, adoptando me in filium tuum. Præterea primis duobus ſtatibus alium nobiliſſimum adjunxiſti, nimirum ſtatum gloriæ: nam multo perfectiora, & excellentiora ſunt dona gloriæ, quam gratiæ. Ad hunc gradum immenſa tua bonitas, & miſericordia me deſtinavit.

Quare, ô anima mea, ſi obtinuiſti ſecundum gradum, ſatage, ut evadas etiam ad hunc tertium: præſertim quia habes tot præſidia & adminicula ad conſequendam tantam felicitatem: ut ſunt ſanctiſſima Sacramenta, relicta, & acquiſita nobis à Chriſto Ieſu, Domino noſtro: qui etiam, pro complemento & cumulo omnium beneficiorum ſanctiſſimum Sacramentum pretioſi corporis, & Sanguinis ſui nobis reliquit.

2. Ah Domine, illumina cor meum, ut poſſim cognoſcere immenſam miſericordiam tuam, cognitamque magni faciam, & habeam ſemper ante oculos, uti ducem & regulam; donec miſeræ hujus vitæ vinculis expediar, & anima mea obſtricta tantæ benevolentiæ nexibus & tam exquiſitis beneficiis, correſpondeat, toto corde te amando, totam ſe dedicando, ſanctoque tuo ſervitio & honori ſe mancipando.

O ſerviam tibi, Deus meus, tota vita mea: nihil aliud cogitem, quam facere, quod ſit ad gloriam tuam, & ad eandem tanquam ad ſcopum optatiſſimum omnes meæ actiones, vires, dotes tum naturæ tum gratiæ dirigantur. Aliud vires meæ tum corporis, tum animi non intendant, ſpectent, quærant, quam facere ſanctiſſimam voluntatem tuam. Et ô utinam aliqua ſaltem ex parte correſpondeam infinito tuo amori, quo me ſemper proſecutus fuiſti, ut tam magno benefactori non ſim omnino ingratus.

3. *Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me ſunt, nomini ſancto ejus.*

Benedic anima mea Domino, & noli oblíviſci omnes retributiones ejus.

Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: Qui ſanat omnes Infirmitates tuas.

Qui redimit de interitu vitam tuam: Qui coronat te in miſericordia & miſerationibus.

Qui replet in bonis deſiderium tuum, & ſic renovabitur, ut aquilæ juventus tua.

Benedicite ſimiliter mecum Domino omnes Angeli, & Archangeli: & vos omnes Principatus, & Poteſtates, omnes Virtutes & Dominationes, omnes Throni, Cherubim & Seraphim: Benedicite, inquam, & laudate, & iterum ſine fine laudate communem Dominum noſtrum: quia fecit nobiſcum non ſecundum iniquitates noſtras, ſed ſecundum magnam & Paternam miſericordiam ſuam. Laudate illum Cœli, Terra, Mare, & omnia, quæ in eis ſunt, laudent & ſuperexaltent eum in ſæcula. Detur ergo Deo gloria ab omni creatura: benedicat, & gratias agat Domino, omnis creatura in omni loco Dominationis ejus: & hoc fiat in ſæcula ſæculorum. Amen.

IX.
IVSTITIA.

Iuſtitia plena eſt dextera tua. Pſal. 47. *Quis novit poteſtatem iræ tuæ, aut præ timore tuo iram tuam dinumerare?* Pſal. 89.

1. NVllus, Domine, digne poteſt exprimere magnitudinem, & multitudinem ſuppliciorum, quæ peccatoribus præparaſti; & aſſignaſti olim perferenda, per omnipotentiam tuam. Sicut miſericordia tua eſt infinita, ita infinita eſt juſtitia tua; quæ infinitis modis non ſolum in futuro ſæculo, ſed etiam in iſto, quod proprium eſt miſericordiæ, contra peccatores manifeſtabitur: ut omnes diſcant te timere, & qui benignitate ſuaviſſimi Patris non moventur, ſaltem ſeveritate juſtiſſimi Iudicis terreantur, qui non ſinet malum ullum impunitum, neque bonum ullum irremuneratum abire: quia apud te non eſt acceptio perſonarum, cum ſis juſtiſſimus judex.

2. Delectat me, Domine, placetque mihi hæc tua juſtitia, qua ſi vel tantillum poſſem te privare, ne poſſes punire peccata mea, non facerem: imo proteſtor, ſi malitia mea, duritia, & obſtinatione nollem converti ad pœnitentiam: atque adeo ſi induratus, impœnitens, deſperatus mori vellem (quod grande malum ô Deus meus, procul averte) Si tamen eo uſque deſiperem, ex hac hora proteſtor, & volo, ut juſtitia tua locum habeat, mittatque me ad æterna ſupplicia: ut quia voluntaria, & ſalutifera pœnitentia nolui glorificare miſericordiam tuam, ſaltem in tormentis glorificem juſtitiam tuam.

3. Sed, ô mi dulciſſime Domine, dum ago hanc vitam, poſſum per gratiam tuam provocare à tribunali Iuſtitiæ tuæ: ad tribunal Miſericordiæ tuæ: & ideo hac

hora, pro ſemper, magna fiducia, Domine, toto corde, tota anima, totis viribus miſericordiam tuam appello, teque obſecro per Ieſum Chriſtum Filium tuum, ut ignoſcas mihi peccata mea; ne horrendo Iuſtitiæ tuæ tribunali reus ſiſtar. Sancte promitto, me in poſterum, cum divino auxilio tuo, emendare velle vitam meam, & vivere, ut decet ſervum bonum: ut per veram pœnitentiam, ſuavius & dulcius tua miſericordia glorificetur. Amen.

X.

FINIS VLTIMVS.

Ego ſum α, & ω, principium, & finis, dicit Dominus Deus. Apoc. 1.

1. QVemadmodum tu, Domine mi, es prima, & ſuprema cauſa efficiens rerum omnium, ita pariter es ultimus finis earundem: ac præcipue creaturæ rationalis. Vnde oportet me longe à creaturis animo recedere, nullamque in eis ſpem collocare; quia permultum me impediunt, quo minus ad felicem illum, & ultimum meum finem perveniam, propter quem tu me creaſti: qui es verum, unicum, & ſummum bonum meum.

2. Vnde nihil mihi magis curæ ac cordi eſſe debet, quam ut conjungar, tibi viſione, amore, gaudio; in qua unione conſiſtit & meum ſummum bonum, & ſumma tui gloria. Quare omnes delectationes, & illecebras hujus vitæ, in comparatione hujus maximi boni non niſi ut meras ſordes & ſtercora arbitror. Et ex hoc momento temporis dirigo omnes meas cogitationes, opera, & deſideria ad hunc finem; neque fatigabor, aut deſiſtam, donec ad eundem perveniam.

3. Verum quia ex me ipſo non ſum idoneus ad tam magnum bonum; ad te, ô miſericordiſſime Deus, recurro;

curro; ut per immenſam bonitatem, qua creaſti mundum, & factus es homo, & propter homines ſponte te morti ſubdidiſti, perque alia infinita beneficia mihi præſtita; & per æternum beneplacitum tuum, quo me gratis ad tam ſublime faſtigium gloriæ prædeſtinaſti; noli occludere mihi fontem tam profuſæ beneficentiæ: quamvis ego ſim ingratiſſimus, & negligentiſſimus, dum tempus habeo operandi bonum: ſed hoc ipſum potius tuam benignitatem incitet, ut tanto magis me adjuves, ac protegas, quanto ego ſum infirmior. Recordare, obſecro, finis, ad quem ab æterno me deſtinaſti, ne irritum ſit in me ſanctiſſimum conſilium, ac deſiderium tuum.

4. Illumina mentem meam lumine ſancti Spiritus tui, quo directore, poſſim perfecte cognoſcere vanitatem hujus mundi, & pericula, quæ in ipſo latent, deprehendam. Ex altera vero parte intelligam quoque magnitudinem, excellentiam, ſuavitatem immenſorum bonorum, quæ mihi in te ipſo præparaſti: pro quibus toto corde tibi gratias ago, & omni vanitati lubens renuncio.

5. Fac, mi Domine, ut mens mea aliud non cogitet, nec quicquam intellectui meo firmiter imprimatur, quam hic Vltimus Finis: ut ſpretis per omnia omnibus caducis, & temporalibus, me protinus elevem ad amandas res æternas, & hunc felicem & ultimum meum finem deſiderandum.

Nunquam deficiant mea bona deſideria, nec ceſſent ſuſpiria, vel gemitus pro illa felici Patria; neque ego unquam ceſſem pugnare contra meipſum, quemadmodum etiam nunc propono facere, donec perveniam ad ſtadii hujus metam, quando omnes Sancti requieſcent in te ſummo Bono & ultimo Fine per viſionem, & amorem, & ineffabilem conſolationem; cum pervenerint ad conſummationem ſuæ intentionis, ac impletionem deſiderii tam optati & expectati; nimirum ultimi finis, &

 ſummi

ſummi Boni: pro quo tam heroice decertaverunt, uſque ad glorioſiſſimam victoriam. Amen.

CONCLVSIO
Amoroſi Pacti cum Deo.

TAndem, dulciſſime mi Domine, quia cognoſco te eſſe unicum meum bonum, ſummam meam felicitatem, & beatitudinem, nullo pacto committere debeo ut ſeparer à te: ſed magis curandum mihi omni ſtudio, ut tibi ſemper arctiſſime conjunctus permaneam. Quare deſidero, & operam dabo, ne momentum ullum temporis prætereat, quo non confirmem ea, quæ hactenus annotavi, & conſtitui. Et ut hoc aſſequi poſſim, cupio nunc, qua poſſum reverentia & humilitate, cum tua divina majeſtate inire pactum, & perpetuo fœdere ſancire, ut quemadmodum, quoad vixero, nunquam ceſſabo reſpirare: ita nunquam ceſſem in te Credere, te Amare, te Laudare, Gratias tibi agere, me Offerre; me tibi Reſignare, in te Sperare, Gaudere; & abhorrere à mundo, velut à peſte; habere Zelum honoris tui, & ſalutis animarum: te Timere, me Humiliare, pœnitentiam agere, ſancta Proponere, & Amare proximum meum. Caſtitatem, Paupertatem, Obedientiam colere, & petere à te, quæ ſupra petivi. Præterea te cognoſcere, adorare, Teque Deum Infinitum, Immenſum, Immutabilem, Æternum, Omnipotentem, Sapientem, Bonum, Sanctum, Benignum, Providum, Miſericordem, Iuſtum, & ultimum noſtrum Finem, confiteri. Atque hanc prorſus eſſe nunc mentem meam, ſumma cum animi demiſſione coram D. T. Majeſtate, & tota cœleſti curia proteſtor, quod cupiam toto corde, tota illa virtute, puritate intentionis, & efficacia, qua maxima poſſum, omnia iſta obſervare, quæ ſupra notavi, & dixi. Idque toties quoties reſpiravero: & quoties ad aliquem hujuſmodi actum tibi

tibi placentem ac gratum mentem convertero. Accipe Domine illum nunc: & pro illo, & pro omni tempore. Atque hoc animi mei deſiderium ratum confirmatumque ſit, gratioſiſſimo beneplacito tuo in æternum. Amen.

Cap. VII.
HYMNI RHYTHMICI de Sanctiſſima Trinitate.

Profitentes Vnitatem
Veneremur Trinitatem
Pari reverentia.
Tres perſonas aſſerentes,
Perſonali differentes
A ſe differentia.
Hæc dicuntur relative,
Cum ſint unum ſubſtantive;
Non tria principia.
Sive dicas tres, vel tria;
Simplex tamen eſt uſia,
Non triplex eſſentia.
Simplex eſſe, ſimplex poſſe:
Simplex velle, ſimplex noſſe;
Cuncta ſunt ſimplicia.
Non unius quam duarum,
Sive trium perſonarum
Minor efficacia.
Pater, Verbum, Sacrum Flamen,
Deus unus; ſed hi tamen
Habent quædam propria.
Vna Virtus, unum Numen;
Vnus ſplendor, unum lumen,
Cuncta ſunt hic paria.
Patri Natus eſt æqualis,
Nec hoc tollit perſonalis
Amborum diſtinctio.
Patri Compar, Filioque;
Spiritalis ab utroque
Procedit connexio.
Non humana ratione
Capi poſſunt hæ perſonæ;
Nec harum diſcretio.
Non hic ordo temporalis,
Non hic ſitus aut localis
Rerum circumſcriptio.
Nil in Deo præter Deum,
Nulla cauſſa præter eum,
Qui cauſſat cauſſalia.
Digne loqui de perſonis,
Vim tranſcendit rationis;
Superat ingenia.
Quid ſit gigni, quid proceſſus,
Neſcit homo, licet greſſus
Tentet per ſublimia.

Quiſ-

Quiſquis credit non feſti-
net;
Et à via non declinet,
Abiens per devia.
Servet fidem, formet mo-
res,
Nec deflectat ad errores,
Credat quod Eccleſia.
Vt in una jam moramur,
Sic in una moriamur
Fidei conſtantia.
Trinæ ſit laus Vnitati,
Sit & ſimplæ Trinitati,
Coæterna gloria. Amen.

HYMNVS RHYTHMICVS DE SANCTO SPIRITV.

Qvi procedis ab utro-
que
Genitore, Genitoque
Spiritvs paraclite:
Redde linguas eloquentes,
Sed accende primum men-
tes
Charitatis fomite.
Tu procedens à duobus,
Coæqualis es ambobus,
In nullo diſparitas.
Par majeſtas perſonarum;
Par poteſtas ſingularum;
Et communis Deitas.
Amor Patris, Filiique,
Par amborum, & utrique
Gloria conſimilis.
Cœlos, imples, terras foves,
Mare domas, cuncta moves
Permanens immobilis.
Tu commutas Elementa,
Per te ſuam Sacramenta
Præſtant efficaciam.
Tu malignam vim repellis;
Tu ſubvertis & refellis
Hoſtium nequitiam.
Te docente nil obſcurum;
Te præſente nil impurum;
Cuncta ſunt ſplendentia;
Gloriatur mens jucunda;
Per te ſana; per te munda
Gaudet conſcientia.
Quando venis, corda lenis;
Quando ſubis, atræ nubis
Effugit obſcuritas.
Sacer ignis pectus uris,
Non comburis, ſed à curis
Eruis, dum viſitas.
Mentes prius imperitas,
Et ſopitas, & oblitas
Erudis & excitas.
Cor ad fidem facit pro-
num,
Ori muto reddit ſonum
Manans à te claritas.
O quam felix, quam feſtiva
Dies, in qua primitiva
Conditur Eccleſia!

Vivæ

Vivæ ſunt primitiæ,
Naſcentis Eccleſiæ
Tria plebis millia.
Panes legis primitivi
Vna fiunt adoptivi
Fide duo Populi.
Nempe duos unum fecit,
Cum duobus ſe præfecit
Lapis caput anguli.
Tu perverſos corde vitas,
Sed ſynceros mente ditas
Dona ſapientiæ.
Veritatem notam facis;
Et oſtendis viam pacis:
Semitas juſtitiæ.
Dat liquorem Heliſæus,
Largum fundit roremDeus,
Vbi vaſa vacua.
Vtres novi non vetuſti
Sunt capaces novi muſti;
Tu fac corda congrua.
Non hoc muſto vel liquore,
Non hoc ſumus digni rore
Si diſcordes moribus.
In obſcuris vel diviſis
Sancta nequit paracliſis
Habitare cordibus.
Conſolator alme veni:
Linguas rege, corda leni.
Nihil fellis vel veneni
Tui fert præſentia.
Nil jucundum, nil amœnum,
Nil ſalubre, nil ſerenum,
Nihil dulce, nihil plenum
Sine tua gratia.
Tu cæleſte condimentum,
Medicamen & unguentum,
Aquæ ditans elementum
Virtute myſterii.
Nova facta creatura,
Te laudamus mente pura;
Iræ prius ex natura,
Gratiæ nunc filii.
O qui dator es & donum,
Tu qui condis omne bonum,
Mentis dona gaudium.
Tange corda, terge ſordes,
Vinclo pacis, fac concordes,
Adſis ad præſidium.
Sicut poſt aſcenſum Chriſti
Rudes linguis imbuiſti
Variis Diſcipulos;
Sic nos viſe; ſic dignare
Diſſidentes congregare
Vna fide populos.
Demum mortis ab hac valle,
Duc ad vitam recto calle
Lætos de victoria.
Vbi Patris, ubi Tui,
Et æterni Verbi frui
Mereamur gloria, Amen.

FINIS SECT. I.



ELECTIS ET DILECTIS
TRIVMPHANTIS ECCLESIÆ CIVIBVS,
DEI DOMESTICIS.

Qui Reduces ab Exilio mundi, jam PATRIA fruimini.

Qui STVDIO VIRTVTIS ſtrenuè decurſo, jam BRAVIVM accepiſtis.

Qui REGNVM COELORVM violenti rapuiſtis,

Et jam lætamini, ſicut victores capta præda.

Qui amicti ſtolis albis, AGNVM ſequimini quocunque ierit.

TRANSIISTIS PER IGNEM & AQVAM;

Iam introducti eſtis in refrigerium.

FLENTES OLIM MISISTIS SEMINA VESTRA;

Nunc cum exultatione portatis manipulos veſtros.

ESVRIISTIS & SITIVISTIS IVSTITIAM;

Nunc ſatiamini ab ubertate Domus Dei.

PAVPERES SPIRITV RELIQVISTIS OMNIA;

Iam grandi uſura centuplum accepiſtis;

FIDELES OLIM SERVI & OECONOMI;

Nunc conſtituti ſuper omnia Bona Domini, in terra viventium.

OLIM PARVI IN OCVLIS VESTRIS; ET VILES SECVLO;

Nunc honorati nimis; & confortatus eſt principatus veſter.

EMENSI ESTIS HOC TEMPESTVOSVM SECVLI MARE;

Iam portum felices tenetis.

De vobis SECVRI; de nobis SOLLICITI.

Ita ſperare jubet *Amoris nexus*, Qui in Chriſto connectit

Militantis & Triumphantis Eccleſiæ cives.

TV O IESV REX, & CORONA SANCTORVM ANNVE.

Beati qui habitant in DOMO tua Domine!

In ſecula ſeculorum laudabunt te.

SECTIO

SECTIO II.

De cultu & veneratione Sanctorum cum Chriſto regnantium in cœlis.

PRO FERIA SECVNDA.

CAP. I.

Colloquium inter Chriſtum & hominem, quo traditur modus & Praxis colendi Sanctos.

HOMO.

QVam dilecta tabernacula tua Domine virtutum! concupiſcit & deficit anima mea in atria tua. Dum enim contemplor felicitatem Electorum tuorum, qui nunc tecum epulantur in regno tuo, & inebriantur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potantur; ſitit etiam anima mea ad te Deum fortem vivum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei? Tædet animam meam vitæ meæ tot miſeriis & doloribus plenæ. Quis dabit mihi pennas, ſicut columbæ, & volabo,& requieſcam? Melior enim eſt dies una in atriis tuis ſuper millia. Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt. Infelix ego homo,quis me liberabit de corpore mortis hujus? Cupio diſſolvi & eſſe tecum, mi Chriſte Ieſu. O quam beati, qui habitant in domo tua Domine! in ſæcula ſæculorum laudabunt te.

CHRISTVS. Suſtine adhuc modicum, mi homo; & ut ſecurius iſtuc pervenias, prius viam diſce, qua ad gloriam pervenerunt Sancti & Amici mei, obſerva eorum veſtigia, ſi vis ad eandem metam pervenire. Quorum præmia delectant te, vide ne labores & certamina recuſes. Nemo coronabitur, niſi qui legitime certaverit. Nonne oportuit illos, imò & meipſum laborare & pati; & ſic intrare in gloriam? Et ecce Electis meis

quoque inter iſtas carnis miſerias vita in patientia, mors in deſiderio fuit, ſed verbis & exemplo meo probe didicerant, quod regnum cœlorum vim pateretur, & violenti raperent illud. Magna utique bona ſunt, quæ præparavi diligentibus me, & mirum alicui videri poterit, ſi non niſi Amicis meis ſtrenue laborantibus & bonum certamen certantibus illa donem?

Nec tu privaberis hiſce bonis, ſi ambules, ſicut illi, in innocentia, & adſcenſiones diſponas in corde tuo, in valle iſta lacrymarum, in loco, quem poſuit tibi primi parentis,& tua ipſius iniquitas. Sed noli timere,Ego tecum ſum, protector tuus; ego ante te ibo, & glorioſos terræ humiliabo. Qui ſanctis adfui, tibi non deero: & dabo tibi benedictionem, ut eas de virtute in virtutem, donec cum Electis meis videas Deum Deorum in Sion, & inebrieris ab ubertate domus meæ.

HOMO. Beatus homo, quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum. Doce me,quæſo,facere voluntatem tuam; particeps enim & ego eſſe cupio omnium timentium te, & cuſtodientium mandata tua.

CHRISTVS. Hæc eſt voluntas mea, ſanctificatio tua; ſanctus eſto, quoniam ego ſanctus ſum, à quo omnes Sancti hauſerunt, quidquid in ipſis ſanctitatis fuit. Poſſem ego quidem me unum, uti abſolutum omnis virtutis & perfectionis exemplar, tibi proponere; ego enim ſum Via, Veritas, & Vita. Ego ſum oſtium, per me ſi quis intraverit, ſalvabitur. Sed perutile tibi fuerit, electos meos,fratres tuos, carnis infirmitate tui ſimiles, qui tamen per gratiam meam mundum; carnem,Satanamque ſtrenue vicerunt, intueri; cum forte non videatur adeo mirum ſi in operibus meis inveniatur eximia & ſingularis perfectio; & rara omnis gratiæ ac virtutis excellentia; cum plenitudo divinitatis habitet in me corporaliter. Id vero non poteris non mirari, ſi Sanctos videas in fragili carne non ſecundum carnem vixiſſe, ſed perdidiſſe, ſalu-

tari

tari odio ſui, animas ſuas in hoc mundo, ut in vitam æternam cuſtodirent eas.

I. *Laudatio Sanctorum.*

Inprimis ergo frequenter audi, lege, meditare, & admirare Sanctorum geſta, lauda ipſorum virtutes, id eſt, Conſtantiam, Patientiam, Fortitudinem; extolle Caſtitatem, & Abſtinentiam; prædica Obedientiam, Paupertatem, mundique contemptum: quot in eis virtutum inſignia, tot potentiæ & bonitatis meæ miracula prædicas.

Si igitur vis honorare Amicos meos in gloria mecum regnantes, aut quemlibet è Sanctis Patronum tibi magis dilectum colere; ſi gratum illis deſideras obſequium præſtare; lauda Deum, agens illi gratias, quod Sanctum N. ab æterno ſibi elegit amicum; quod illum prædeſtinavit, vocavit, juſtificavit, & demum glorificavit; quod gratiam, & virtutes infudit, quod tot bene agendi occaſiones obtulit, quod inter tot tentationes, inſidias, laqueos & pericula præſentis vitæ protexit; quod perſeverare dedit in finem; & nunc eum in cœlis tanta gloria & honore coronet. Denique quod eorum exemplo vos commoneat, & excitet, ut ad ſimile præmium, & bravium, fortiter pugnando contendatis.

Et hinc non eſt cur timeas, ne fortè per Sanctorum laudes quidquam derogetur laudi & gloriæ meæ. Quia non potes eorum laudare virtutes, quin me laudes, auctorem omnis virtutis & gratiæ; ſine me enim nihil potuerunt facere; ego dedi velle & perficere. Omnis ergo Sanctorum laus ad me velut fontem redit, ego vitis, ipſi palmites erant, nullum fructum à ſemetipſis ferre potuiſſent, niſi in vite manſiſſent. Vnde dum illis mercedem dono, non tam ipſorum opera bona, quam mea dona corono.

Verum hoc ipſi ſemper agnoverunt ingenue; nihil ſe habere, quod non acceperint. & quamvis facerent omnia,

 faſſi

faſſi tamen ſunt ſervos ſe inutiles eſſe; unde nec vane gloriati ſunt, ſed nomini meo ſemper dabant gloriam. hoc tu adverte, & imitare; ſic vere laudabis Sanctos, & Deum in Sanctis ſuis.

HOMO. Mihi autem nimis honorificati ſunt Amici tui Deus, nimis confortatus eſt principatus eorum. Quis enim digne valeat laudare Sanctos tuos? perſtringit eorum majeſtas & gloria oculos meos, qui fulgent coram te, quaſi ſplendor firmamenti, & quot cœlum ſtellis, tot virtutibus lucent. Vere mirabilis es, Domine, in Sanctis tuis. Laudo, & glorifico te pro immenſa pietate tua, quia tam large prævenisti eos in benedictionibus dulcedinis, poſuiſti in capite eorum coronam de lapide pretioſo, gloria & honore coronaſti eos Domine.

II. *Invocatio Sanctorum.*

CHRISTVS. Ad Sanctorum quoque laudem, & gloriam ſpectat, ut invocentur in auxilium, & in neceſſitate vos protegant. Eſt quidem tantummodo ex me auxilium tuum; nec eſt in alio aliquo ſalus, quam in Nomine meo: ſed hoc gratuito conceſſi Electis meis, ut, cum mihi fideliter, & toto corde ſervierint, facilior & promptior ſim ad opem & gratiam præſtandam his, quorum cauſam apud me Sancti, id eſt, intimi amici mei velut Interceſſores & Patroni ſuſceperint. Iungitur enim Eccleſia Triumphans Militanti in vinculo charitatis; & articulus de communione Sanctorum, quam vos indies in Symbolo profiteri ſoletis, admonet vos, quam utiliter Sanctos imploretis & honoretis, quos ego tantopere honoravi. Quoties ego retraxi flagella mea de populo; quoties Regnis, Provinciis, Civitatibus peperci propter ſervos & electos meos, qui ſteterunt clamantes ad me, ut averterent iram meam. Et ſi tantum valuit deprecatio Iuſtorum, cum degerent in carne tot miſeriis & defectibus obnoxii, quid non poterit, cum extra omnem naturæ corruptio-

ruptionem poſiti, velut familiares & Aulici mei degunt mecum felices in regno meo? tanto utique ad commiſerendum proniores, quo propiores facti ſunt ipſi fonti miſericordiæ: & quo verius agnoſcunt veſtras miſerias. Neque enim beata illa Patria charitatem eorum abſtulit, ſed auxit. Sunt illi quidem jam in portu, at vos in mari fluctuantes & naufragantes vident: implorati autem à vobis, protinus recurrunt ad me, ut ego ſuccurram, nec æquum eſt ut confundam faciem eorum, aut quidquam denegem eis.

HOMO. Dulcia ſunt hæc eloquia tua Domine, ego enim indignus peccator, ſed opis indigus, ſæpè neſcio quo fugiam, dum peccatis multis ſordidus non audeo comparere in conſpectu tuo. Sed nunc veniam confidentius, ſub umbra Dilectorum tuorum, ut quod meis non poſſum, placentium tibi meritis, precibuſque conſequar. O utinam particeps ego ſim omnium timentium te, & cuſtodientium mandata tua.

III. *Imitatio Sanctorum.*

CHRISTVS. Verum ſcito, mi homo, quia fruſtra laudat & invocat Sanctos, qui imitari non curat. Sanctorum enim vita tibi cæteriſque Fidelibus meis norma vivendi eſt. Ad eandem enim metam tenditis, & cur non eandem quoque viam tenetis? An forte vitam petitis, & via pergitis, cujus noviſſima ducunt ad mortem? O quam multi ſunt inter eos, qui gerunt nomen & inſignia mea, quibus ſolemne eſt cum Divite illo veſtiri purpura & byſſo, epulari quotidie ſplendide, omnem vitam in deliciis agere, & nihilominus Lazari mortem ſortemque audacter ſibi promittere? qui cum impio Balaam nequiter vivunt, & nihilominus ſtultiſſimo voto noviſſima optant Sanctorum ſimilia. Quid dementius? Quomodo exigere audent, quod non meruerunt? quomodo metere volunt, quod non ſeminarunt? quid? an cum operariis meis, qui in vinea mea portarunt pondus diei & æſtum, mercedem pe-

tunt illi, qui ſtertendo, ludendo, edendo, ducunt in bonis dies ſuos? Serviunt mundo & carni, & à me mercedem repetunt? quid magis præpoſterum? mihi quidem diſpenſatio à Patre meo credita eſt, ſed ut ſolis operariis mercedem tribuam. nam quæ ſeminaverit homo hæc & metet; qui ſeminat in carne ſua, de carne metet & corruptionem; & qui ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet vitam æternam.

Tu vero, ô homo, intuere fideles operarios meos, in quibus vera perfectio & religio refulſit. Illi ſervierunt mihi in fame & ſiti, in frigore & nuditate, in labore & fatigatione, in vigiliis & jejuniis; in orationibus & meditationibus ſanctis; in perſecutionibus & opprobriis multis. Quam frequentes; & ferventes erant illi in excercitiis piis: quia invictum ab oratione ſpiritum nunquam relaxabant. Quam rigida abſtinentia domabant corpora ſua! quam ſollicita cuſtodia adverſus omnem concupiſcentiæ impetum ſeſe munire ſtudebant! hæc conſidera mi homo, & vide, quam modicum ſit, & pene nihil, quod tu agis; quid eſt vita tua, ſi illis fuerit comparata, cum quibus coronari deſideras?

HOMO. Operuit confuſio faciem meam, Domine Deus meus, quia tam diſſimilis factus ſum fratribus meis, & peregrinus filiis Matris meæ, Eccleſiæ. Heu quomodo apparebo in conſpectu tuo, in concilio Iuſtorum, tanta charitate ardentium? Illi cum timore & tremore operabantur ſalutem ſuam. Alius verebatur omnia opera ſua, ſciens quod non parceres delinquenti. Alius caſtigabat corpus ſuum & in ſervitutem redigebat, ne cum aliis prædicaret, ipſe reprobus fieret. Alius, etſi ſanctus ab utero matris ſuæ, ſeceſſit in ſolitudinem, ut facilius ſervaret innocentiam. Non veſtiebatur mollibus, ſed de pilis camelorum tegebat lumbos ſuos; & non niſi mel ſylveſtre cum locuſtis ſumebat in cibum. Alii in jejunio & oratione Deo ſerviebant omnibus diebus vitæ ſuæ. In lege

Do-

Domini omnis eorum voluntas & voluptas erat,hoc illis præcipuum in omni vita,aut cum Deo,aut de Deo loqui. O quantus Sanctorum fervor! O zelus ſerviendi Deo! O quam mirabilis fuiſti in Sanctis tuis Domine!

CHRISTVS. Non immerito tu quidem, mi homo, miraris magnalia virtutis meæ, & Sanctorum glorioſa certamina prædicas; ſed jam gloria eorum non ſine confuſione tua. Ecce enim Sancti homines erant ſimiles tui, paſſibiles, mortales, fragiles, nec fortitudo lapidum fortitudo eorum: nec caro eorum ænea erat. Sed ex eodem luto formati, eadem infirmitate carnis circumdati erant,ſicut & tu. Senſerunt & illi legem in membris ſuis repugnantem legi mentis ſuæ. Mundus illos quoque graviter perſecutus eſt. Nec mitior illis Satanas, quam tibi, imo multo infenſior fuit. Et tamen vide quam fortiter ſteterint in bello. Quomodo urgebat eos charitas mea! requiem non indulgebant corpori ſuo, & fugiebat ſomnus ab oculis eorum: cum timore & tremore operabantur ſalutem ſuam: ſoliciti ambulabant coram me, ut uni mihi placerent. Ita ibant de virtute in virtutem: creſcebatque eorum ſemita, quaſi lux ſplendens uſque ad perfectam diem. Ecce hi ſunt qui venerunt ex magna tribulatione. Hi ludibria & verbera experti,inſuper & vincula & carceres, lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladii mortui ſunt; circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, *&c.* & his omnibus æterna gloria digna illis viſa eſt, ad quam per tot labores & certamina contenderent, pro qua tibi ſubinde oratio paulo longior, brevis inedia, aut levis mortificatio dura nimis & moleſta videtur.

Sed quære nunc ex Apoſtolo meo Paulo, an illum pigeat laborum, quos pro me pertulit, quod caſtigaverit carnem ſuam, & in ſervitutem redegerit, quod toties virgis, tot plagis cæſus ſit; quod tot pericula, tot ærumnas, terra marique paſſus ſit; quod plus omnibus labora-

verit, quod angelum Satanæ,id eſt,ſtimulum carnis, (me ita diſponente ad ſalutem ejus) permoleſtum ſenſerit? quin gloriabatur etiam tunc in infirmitatibus ſuis, & ſpe futuri leniebat moleſtiam præſentium malorum: Sciebat enim non eſſe condignas paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam: nam momentaneum & leve tribulationis hujus æternum gloriæ pondus operatur in vobis. Vnde nec fames, nec nuditas, nec mors, nec ulla creatura poterant illum ſeparare à charitate mea, quin bonum certamen certaret, fidem ſervaret, curſum conſummaret, & ſic repoſitam ſibi coronam juſtitiæ exſpectaret.

Quære etiam, ſi lubet, ex Martyre meo Laurentio, an illum pœniteat modico temporis ſpatio corpus ſubjeciſſe tormentis, & igni torrendum dediſſe. Ecce jam mille & plures anni lapſi ſunt, quod unius tantum diei & noctis laboribus cum inæſtimabili gloria fruitur. & quot adhuc annorum millia, quot millium myriades ſuperſunt, quibus eadem perfruetur? Similiter converte te ad omnes Sanctos, & videbis, quia nemo ſine certamine coronatus eſt, nemo ſe non certaſſe vellet. ſeminarunt omnes in lacrymis, & ideo jam in exultatione metunt. laborarunt modicum, & invenerunt ſibi multam requiem. tranſierunt per ignem & aquam, & ſic educti ſunt in refrigerium. Abſterſi ego omnem lacrymam ab oculis eorum, & jam non erit amplius neque luctus, neque clamor, nec ullus dolor, quoniam priora tranſierunt. Si ergo illi ſic glorificaverunt Deum in corpore ſuo, & calicem ſalutaris acceperunt, quid tu retribues Domino, pro omnibus quæ retribuit tibi? Eadem certe te inſignivi imagine; eodem ſanguine te redemi, & vocavi in eandem hæreditatem incorruptibilem, & æternam, conſervatam in cœlis. Vt quid ergo non potes cum his ſanctis bibere calicem meum? Et tamen cum illis vis eſſe conſors regni mei, vis cum his coronari & dividere ſpolia,quibuſcum pugnare non vis?

Ho-

Homo. Miſer ego poſitus à longe anhelo, & ſuſpiro. Excitant me, fateor, Sanctorum prælia: delectant & præmia: Trahunt exempla ad imitandum. Velle quidem adjacet mihi, perficere autem non invenio: memorare quæſo, Domine, quæ mea ſubſtantia: nonne ventus eſt vita mea? Quid potero miſer ego, niſi tu operi manuum tuarum dexteram porrexeris? Tu es virtus & corona Sanctorum omnium. Te cooperante tam miranda geſſerunt Amici tui. Tu quoque præveni me gratia tua, & adjuvandò proſequere. Omnia poſſum in te, qui me confortas. Deduc me Domine in ſemitam mandatorum tuorum, quam ipſi Sancti tam alacriter cucurrerunt, quia tu dilatabas cor eorum, ut per illorum veſtigia veniam ad te, & una cum Sanctis tuis laudem te, & adhæream tibi in omni æternitate.

Christvs. Confide, mi homo: Ego Sanctis meis certamen forte dedi, ut vincerent, & diſcerent quoniam omnium fortior eſt patientia. Tecum vero nunc mitius agitur. Nec enim eſt cur putes ad hoc requiri tempus perſecutionis. Pie vivere volenti, non facile deerit perſecutio. Tu ſaltem in parvis proba conflictibus, quam viriliter ſtare poſſis in majori certamine.

Ecce Apoſtoli mei reliquerunt omnia, & ſecuti ſunt me; tu ſaltem affectum relinque, & ſi bona hujus vitæ affluant, noli cor apponere. Martyres ſanguinem ſuum fundere, & mori pro nomine meo non dubitabant: tibi vero non dicò, morere, pone vitam, vince Tyrannos, aut ſanguinem pro me funde: ſed mortifica membra tua quæ ſunt ſuper terram. Carnis deſideria reprime. Abnega temetipſum. Eſto patiens, humilis, manſuetus. Ne reddas malum pro malo. Ori tuo pone cuſtodiam, ſepi aures tuas ſpinis. Averte oculos tuos, ne videant vanitatem. Reconciliare fratri tuo. Frange eſurienti panem tuum. An hæc & ſimilia gravia tibi erunt? Non potes ferre mortem? Fer ſaltem patienter contu-

meliam, aut levem injuriam. Nondum uſque ad ſanguinem reſtitiſti, uti tot Martyrum meorum millia. Ecce ipſæ juvenculæ & tenellæ Virgines ſexum & ætatem ſuperant, & conculcato mundo, carne, ac dæmone, devictis quoque Tyrannis, illibata mente, ac corpore ad vexillum crucis evolant; & tu non poteris caſtigare corpus tuum, & in ſervitutem redigere? Sed ſuaviter vivendo, & delicate nutriendo ſervum, id eſt, corpus tuum, ſperas tam molli, ac lata via, te recta ire in cœlum. Age, non eſt hæc via Sanctorum. Surge qui dormis, & ego illuminabo te. Non eſt abbreviata manus mea. Ego qui Sanctis adfui, tibi non deero: ſi tu ipſe non deſis tibi. Itaque ferventer Sanctos lauda, frequenter invoca; diligenter imitare. Ego, ut illorum, ſic & ero merces tua magna nimis.

CAP. II.

DE CVLTV ET VENERATIONE

SS. Angelorum, & præcipue ANGELI *Cuſtodis, Admonitio.*

PRæcipuo devotionis cultu ſanctos Angelos venerari par eſt. Id à nobis tum excellens naturæ Angelicæ dignitas; tum ſingularis eorum in nos amor & beneficia poſtulant. Sunt enim creaturæ nobiliſſimæ, ſpiritales ſubſtantiæ: Aulici Dei, & ſemper vident faciem Patris qui in cœlis eſt. Neque hoc tamen, *ait S. Bern.* miniſterium evacuat pietatis: qui cœlos incolunt, terras non deſpiciunt. Omnes enim adminiſtratorii Spiritus ſunt, miſſi in miniſterium propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis. *Serm. 2. de S. Victor.*

Diligunt nempe concives ſuos, *inquit S. Auguſt.* per quos ſuæ ruinæ ſciſſuras reſtaurari exſpectant. ideoque magna cura & vigilantiæ ſtudio adſunt nobis: omnibus horis & locis ſuccurrentes, & providentes neceſſitatibus noſtris.

noſtris. Ambulant enim nobiſcum in omnibus viis noſtris; intrant, & exeunt nobiſcum, attente conſiderantes, quam pie, quam honeſte, in medio pravæ nationis converſemur.

Adjuvant laborantes, protegunt quieſcentes, hortantur pugnantes, coronant vincentes, congaudent gaudentibus, & compatiuntur patientibus. Quoties bene agimus, gaudent Angeli, & triſtantur Dæmones. Quoties à bono deviamus, Diabolum lætificamus, & Angelos ſuo gaudio defraudamus, *&c. S. Auguſt. in Soliloq. cap.* 27.

Singulari vero reverentia Angelos noſtros Tutelares, quibus mandavit Deus de nobis, ut cuſtodiant nos in omnibus viis noſtris, colere & obſervare debemus: & ſæpius in illis Dei laudare clementiam, qui tam fideli fortique præſide unumquemque adverſus maligni hoſtis inſidias, & tam varia præſentis vitæ pericula communivit.

Cæterum gratiſſimus Angelis & nobis utiliſſimus cultus erit; Præſentiam illorum ſemper, & ubique revereri. Præclare Bernardus: In quovis angulo, Angelo tuo reverentiam habe. Tune audeas illo præſente, quod me vidente non auderes? in Pſ. *Qui habitat. Serm.* 3.

Porro viſum eſt ſapientibus, nihil efficacius malis obſiſtere conantibus quam ſi quis viri gravis intuitum, ſola etiam mente ſibi proponeret. Sed *quem pudet hominis Ethnici verbis Chriſtianum compellare, hunc pudeat iſto minus pium videri.* Accipe, *inquit,* utilem & ſalutarem clauſulam, quam te affigere animo volo. Aliquis VIR BONVS (*Talis utique Angelus cuſtos*) nobis eligendus eſt, ac ſemper ante oculos habendus, ut ſic tanquam illo ſpectante vivamus; & omnia tanquam illo vidente faciamus. Magna pars peccatorum tollitur, ſi peccaturis teſtis adſiſtat. Aliquem habeat animus, quem vereatur, cujus auctoritate etiam ſecretum ſuum ſanctius faciat. O felicem illum, qui non actus tantum, ſed & cogitatus emendat.

Itaque hujus moniti memor, Tutelaris tui ductum diligenter obſer-

obſerva, & prompte ſequere. Sæpius per diem; in periculis & tentationibus ſemper illum invoca, ut protegat te fideli cuſtodia, omnes greſſus tuos dirigat, actus proſperet, occaſiones malas, & pericula ſubmoveat: hoſtium fraudes & inſidias avertat.

Ita piis viris in more poſitum fuiſſe legimus, qui ad omne negotium angelico ſe præſidio munire ſtudebant, non proprios tantum cuſtodes Angelos invocare ſoliti, ſed eos quoque, quibuſcum cauſſa ſalutis, pacis, aut divinæ gloriæ tractandum erat. Vnde & Angelos Regnorum, Provinciarum, Civitatum, Locorum, & præſides ſolicite implorabant. Exempla habes, (ut alios omittam) in S. Franciſco Xaverio. Turſell. lib. 6. vit. c. 5. *in S. Aloyſio*; Cepar. lib. 2. vit. c. 3. *in Petro Fabro.* Orland. Hiſt. Soc. lib. 3. n. 29. *S. Franciſcus quàm fuerit devotus erga S. Michaëlem,* vide Bonav. in vit. cap. 9. *Hos imitare, & deprehendes arcanum hoc eſſe, ſed efficax ad res felicius agendas, ad multa pericula declinanda præſidium.*

LITANIÆ
DE SANCTIS ANGELIS.

Ex Sacra Scriptura collectæ.

KYRIE ELEISON. Chriſte eleiſon.
Kyrie eleiſon.
Chriſte audi nos.
Pater de cœlis DEVS, miſerere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miſerere nobis.
Spiritus S. Deus, miſerere nobis.
S. Trinitas unus Deus, miſerere nobis.

S. Michaël princeps cœleſtis exercitus, — *Dan.* 10.
Qui prælium magnum in cœlo cum Dracone commiſiſti, — *Apoc.* 12.
Qui Draconem cum Angelis apoſtatis de cœlo projeciſti, — *Ibid.*
Qui cum Diabolo diſputans, de corpore Moyſi altercatus es. — *Iud. Epiſt.* *Deut. ult.*

} Ora pro nobis.

S. Ga-

S. Gabriel, qui Danieli divinam viſionem patefeciſti, *Dan.* 9.
Qui cum Azaria & ſociis ejus in fornacem deſcendens, flammam ignis excuſſiſti, *Dan.* 3.
Qui Zachariæ Ioannis ortum & miniſterium prænunciaſti, *Luc.* 1.
Qui miſſus à Deo ad Mariam in Nazareth, Incarnationis Verbi Dei nuncius extitiſti. *Ibid.*
S. Raphaël unus è ſeptem ſpiritibus qui adſiſtunt ante Dominum, *Tob.* 12.
Qui Tobiam Iuniorem fidus viæ comes ſalvum duxiſti, *Tob.* 5.
Qui dæmonium à Sara depuliſti, *Tob.* 8.
Qui Tobiæ ſeniori viſum reſtituiſti. *Tob.* 12.

Ora pro nobis.

S. Seraphine, qui ignito carbone os Iſaiæ purgaſti; *Iſa.* 6.
S. Cherubine, qui ad cuſtodiendam viam ligni vitæ conſtitutus fuiſti, *Gen.* 3.

Vel,

Qui ſuper ſolium Dei excelſum & elevatum ſtatis, *Iſaiæ.* 6.
Qui jugiter Deo, Sanctus, Sanctus, Sanctus, concinitis, *Ibid.*
Qui ab Abraham habitu peregrinorum hoſpitio ſuſcepti eſtis, *Gen.* 18.
Qui Sodomitas cæcitate percuſſiſtis, *Gen.* 19.
Qui Loth cum ſuis, de medio impiorum eduxiſtis, *Ibid.*

Orate pro nobis.

Qui Abraham cognita ejus obedientia, ab immolatione unici Filii revocaſti, *Gen.* 22.
Qui per ſcalam Iacob aſcendiſtis & deſcendiſtis, *Gen.* 28.
Qui cum Iacob luctatus, eum in femore percuſſiſti, *Gen.* 32.
Qui Iacob de cunctis malis eruiſti, *Gen.* 48.

Qui

Qui Domos Iſraëlitarum pertranſiens, primogenita Ægyptiorum percuſſiſti, *Exod.* 12.

Qui Iſraëlitas ex Ægypto per mare rubrum, & deſertum in terram promiſſionis deduxiſti, *Exod.* 14. &c.

Qui Moſi legem Dei tradidiſtis, *Actor.* 7.

Qui Balaam cum aſina ad maledicendum Iſraëlitis pergenti reſtitiſti, *Num.* 22.

Princeps exercitus Domini, qui in auxilium Ioſue miſſus fuiſti, *Ioſ.* 5.

Qui ob peccatum Davidis ſeptuaginta millia virorum de populo peſtilentia percuſſiſti, 2 *Reg.* 24.

Qui Danieli in lacum Leonum cibum procuraſti, *Dan.* 14.

Qui una nocte in caſtris Aſſyriorum centum octoginta quinque hominum millia peremiſti, 4 *Reg.* 19.

Qui Heliodorum theſauros templi rapere volentem acriter caſtigaſtis, 2 *Mach.* 3.

Qui Ioſeph trepidum ad conjugium Mariæ Virginis animaſti, *Matth.* 1.

Qui Chriſti Nativitatem Paſtoribus annunciaſti, *Lucæ* 1.

Qui nato Salvatore gloriam Deo, & pacem hominibus gratulando decantaſtis, *Ibid.*

Qui Ioſeph de fuga cum puero IESV & Matre ejus in Ægyptum monuiſti, *Matth.* 2.

Qui Chriſto in deſerto, poſt depulſum tentatorem, miniſtraſtis, *Matth.* 4.

Qui Chriſtum in agonia poſitum confortaſti, *Lucæ* 22.

Qui lapidem à ſepulcro Chriſti revolviſti, *Matt.* 28.

Qui juxta ſepulcrum Chriſti in albis ſedentes,

Ora pro nobis. *Vel,* Orate pro nobis.

tes, Chriſtum redivivum mulieribus prædicaſtis, *Ioan.* 20.
Qui Chriſto in cœlos aſcendente ejus Diſcipulis apparuiſtis, *Actor.* 1.
Qui Apoſtolos è carcere eductos palam in templo ſtatuiſti, *Actor.* 5.
Qui Petrum è vinculis & manu Herodis mirabiliter liberaſti, *Actor.* 12.
Qui Herodem divinos honores uſurpantem percuſſiſti, *Ibid.*
Qui Lazarum in ſinum Abrahæ deportaſtis, *Lucæ* 16.
Qui hominum curam & cuſtodiam à Deo mandatam accepiſtis, *Pſal.* 90.
Qui ſemper faciem Patris, qui in cœlis eſt, videtis, *Matt.* 18.
Qui ſuper uno peccatore pœnitentiam agente gaudetis, *Lucæ* 15.
Adminiſtratorii ſpiritus qui capientibus hæreditatem ſalutis in miniſterium miſſi eſtis, *Hebr.* 1.
Miniſtri Dei, qui facitis voluntatem ejus, *Pſal.* 102.
Qui Cornelio Centurioni per Petrum ſalutis monita procuraſti, *Actor.* 10.
Qui orantium preces ad Deum defertis, *Tob.* 14. & *Actor.* 10.
Qui cum Chriſto in majeſtate ſua ad judicium procedente venturi eſtis, *Matt.* 25.
Qui ad ſupremum tribunal totum mundum tuba citabitis, 1 *Theſſ.* 4.
Qui Electos in fine ſeculi congregaturi eſtis, *Matt.* 24.
Qui de Chriſti regno omnia ſcandala colligetis, *Ibid.*
Qui malos de medio juſtorum ſeparabitis, *Matt.* 13.
Omnes ſancti beatorũ Spirituum Ordines,

(Bracketed response: Ora pro nobis. *Vel,* Orate pro nobis.)

A cun-

A cunctis periculis per SS. Angelos tuos, libera nos Domine.

Ab inſidiis Diaboli per SS. Angelos tuos, libera nos Domine.

A peſte, fame, & bello per SS. Angelos, libera nos Domine.

A ſubitanea & improviſa morte per SS. Angelos, libera nos Domine.

Peccatores, te rogamus audi nos.

Per SS. Angelos tuos, te rogamus audi nos.

Vt nobis parcas, te rogamus audi nos.

Vt Eccleſiam tuam regere & conſervare digneris, te rogamus audi nos.

Vt Reipub. Chriſtianæ pacem & unitatem largiri digneris, te rogamus audi nos.

Vt omnibus fidelibus defunctis requiem æternam donare digneris, te rogamus audi nos.

Agnus Dei, *&c.* Pater Noſter.

Pſalmus ex variis Pſalmis.

LAudate Dominum de cœlis: laudate eum in excelſis.

Laudate eum omnes S. Angeli ejus: laudate eum omnes virtutes ejus.

Benedicite Dominum omnes Angeli ejus: potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem ſermonum ejus.

Benedicite Domino omnes virtutes ejus: miniſtri ejus, qui facitis voluntatem ejus.

Benedic anima mea Domino: & noli oblíviſci omnes retributiones ejus.

Qui redimit de interitu vitam tuam: qui coronat te in miſericordia & miſerationibus.

Quoniam Angelis ſuis mandavit de te: ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis.

In

In manibus portabunt te : ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.

Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis : & conculcabis leonem & draconem.

Immittit Angelus Domini in circuitu timentium eum: & eripiet eos. Gloria Patri.

℣. In conſpectu Angelorum pſallam tibi Deus meus.
℟. Adorabo ad templum ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo Domine.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

DEus, qui miro ordine Angelorum miniſteria hominumque diſpenſas : concede propitius, ut à quibus tibi miniſtrantibus in cœlo ſemper aſſiſtitur, ab his in terra vita noſtra muniatur. Per Dominum noſtrum.

Oratio ad S. Michaëlem Archangelum.

O Sancte Michaël Archangele, cœleſtis militiæ Princeps, qui ſemper ſtas in adjutorium populo Dei, & præliatus es cum magno Dracone, Serpente antiquo, eumque projeciſti de cœlo, & Eccleſiam Dei fortiter propugnas, ut portæ inferi non poſſint prævalere adverſus eam; Oro te ex intimo corde, ut & mihi adſis in hoc difficili & ancipiti prælio, quod mihi fragili & inermi creaturæ cum eodem hoſte gerendum eſt.

Tu eſto mecum, ô Princeps fortiſſime, ut ſuperbo Draconi, quem tu virtute divina glorioſe viciſti, quemque Chriſtus ſupremus Rex noſter, in aſſumpta noſtra natura proſtravit, fortiter reſiſtere, eique feliciter prævalere poſſim; & ita de hoſte triumphans una tecum, & cum ſanctis Angelis jugiter laudem Dei clementiam, qui quidem Angelis malis poſt peccati ruinam, juſto judicio negavit miſericordiam; nobis tamen homi-

nibus poſt lapſum, tam miſericorditer reſurgere dedit ad gratiam.

Oratio ad S. Angelum Cuſtodem.

OBſecro te Angelice ſpiritus, Cuſtos ac Tutor meus fidelis, ut me cuſtodiæ ac protectioni tuæ ex divina bonitate commiſſum, in via pacis, proſperitatis & ſalutis, hodie ſemperque dirigas; atque ab omni ſpiritu malo, gravique tentatione defendas.

Noſti enim dulciſſime Cuſtos, quia conditus ſum ad Dei ipſius noſtri Creatoris imaginem; redemptus quoque pretio tam magno, id eſt, Chriſti ſanguine, de poteſtate Satanæ: Tibi vero Dei providentia in curam & tutelam traditus. Et quorſum hæc omnia? niſi, ut non perderet hoſtis invidia, quem tanta circumdat Dei bonitas & clementia.

Adſiſte tu ergo mihi fideli cuſtodia; ne fruſtrentur in me tanta divinæ bonitatis inſignia. Rogo te chariſſime Angele, per amorem clementiſſimi Dei, quo, cæteris Angelis reprobis de faſtigio felicitatis ſuæ per ſuperbiam corruentibus, tu una cum bonis in gratia & gloria ſervatus es; Precor, inquam, ut & ego te favente & juvante ſentiam efficax Dei auxilium, quo ſerver à lapſu & periculis, in gratia vero, boniſque operibus, & Dei creatoris mei cultu & amore conſtans permaneam; donec ad viſionem ejus in cœleſti patria perveniam, eumque una tecum & Sanctis omnibus laudem per omnia ſæcula. Amen.

Alia brevis, ad S. Angelum Cuſtodem.

O Angele Dei, qui cuſtos es mei, me tibi commiſſum pietate ſuperna, hac *die*, vel *nocte*, *hora*, illumina, cuſtodi, rege & guberna.

℣. Angelis ſuis Deus mandavit de te. ℟. Vt cuſtodiant te in omnibus viis tuis.

Omni-

OMnipotens æterne Deus, qui me licet indignum ad imaginem tuam creaſti, & Angelum tuum ſanctum ad mei cuſtodiam deputaſti, da mihi ſervo tuo, illius ductu & cuſtodia malorum omnium tam animæ quam corporis pericula feliciter pertranſire, & poſt hujus vitæ curriculum, cum illo ad æterna gaudia pervenire. Per Dominum.

CAP. III.

De Patronis è numero Sanctorum eligendis, & indies peculiari devotione colendis.

PAtronum è Sanctorum numero certum unum pluresve elige, dilige, & imitari ſtude, per horum manus, omnia tua opera Deo indies offer. Eorum patrocinio te mane & veſperi, & ſæpius interdiu, præſertim in rebus arduis & adverſis, in periculis & tentationibus commenda. Hos velut arbitros & teſtes actionum tuarum habe; ſed & directores habere ſatage. Valet enim hic quoque monitum Philoſophi, quod ſupra de Angelis allatum eſt.

Porro cum feſtos eorum dies Eccleſia celebrat, tunc quoque tu pie ac devote cliens Patronos tuos peculiari aliquo pietatis Exercitio honorare memento: videlicet pridiano jejunio; eleëmoſyna aliqua ſpirituali vel corporali; oratione ſolito diligentiore; carnis caſtigatione, &c. *Sic honorati & conciliati SS. Patroni non deerunt ſuis clientibus, in neceſſitatibus & anguſtiis.*

EXERCITIVM
quotidianum,
Seu Commendatio ſui ad Deum, & ſanctos Patronos.

PAter de cœlis Deus, miſerere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miſerere nobis.
Spiritus ſancte Deus, miſerere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, miſerere nobis.
Sancta Maria, ora pro nobis.

Sancte Michaël Archangele, ora pro nobis.
Sancte Angele cuſtos, ora pro me, & tuere.

Similiter recenſe, & invoca cæteros Patronos tuos. Deinde ora hoc, vel ſimili modo:

OBLATIO SVI AD DEVM.

O Dulciſſime Domine Ieſu Chriſte; in unione charitatis qua te æterno Patri tuo commendaſti & obtuliſti, pro ſalute noſtra in cruce moriens, & ad exemplum trium Magorum, Tibi recens nato tria myſtica munera ardenti cordis affectu offerentium, & in virtute charitatis, qua unquam placuerunt, & ſervierunt tibi omnes Sancti & Electi tui, ego indignus peccator offero tibi Deo creatori meo tria munuſcula, exigua illa quidem, attamen Vni Tibi ſummo jure debita; Offero, inquam, Intellectum, Voluntatem, & Memoriam meam:

Offero Corpus, Animam, & Statum vitæ, ad quem me vocare dignatus es.

Omnes Cogitationes, Locutiones, & Actiones meas, AD MAJOREM NOMINIS TVI GLORIAM, ad meam ſalutem, & proximorum ædificationem pure & plene refero.

Rogo te, clementiſſime Ieſu, ex intimo corde, per viſcera æternæ bonitatis tuæ, & per virtutem charitatis, qua clamans ad Patrem tuum, exauditus es pro reverentia tua, & per dulcedinem amoris quo tres Magos, & eorum munera tam benevole & clementer ſuſcepiſti. Rogo te per omnem miſericordiam, & bonitatem, quam ab initio mundi in hanc uſque horam erga miſeros & peccatores oſtendiſti, ut & me reſpicias oculis miſericordiæ tuæ: & gratam habeas iſtam licet indignam oblationem meam; & ſic deinceps me regas efficaci gratia tua, ut ad tuam GLORIAM, meam, & Proximorum ſalutem, omnia quæ in me, aut circa me ſunt, dirigantur

gantur & diſponantur. Tibi enim placere, tibi adhærere deſiderat anima mea, nunc & in æternum.

OBLATIO SVI
ad beatam Virginem.

SAncta Maria, Mater Dei, & virgo, ego licet indignus, qui ſerviam tibi, attamen de materni cordis tui clementia confiſus, eligo te hodie coram Angelo meo cuſtode, & tota cœleſti curia, in meam Matrem & peculiarem Dominam, Patronam, & Advocatam. Firmiterque propono me deinceps Tibi & Filio tuo ſervire velle fideliter, & adhærere perenniter.

Obſecro te Mater ſacratiſſima, per amorem quo Filius tuus jam moriturus in cruce ſemetipſum Patri ſuo, Te vero Diſcipulo ſuo & hunc viciſſim tibi commendavit, ut me ſuſcipias in curam & tutelam tuam, & adſis mihi in omnibus periculis & anguſtiis totius vitæ meæ; ſed præcipue adſiſtas in hora mortis meæ. Amen.

COMMENDATIO
ad SS. Patronos.

O Sancti Patroni mei, mihi ſingulariter electi & dilecti: Commendo me vobis ex toto corde per amorem Domini noſtri IESV Chriſti, & rogo vos per ſingularem illam & ineffabilem Dei omnipotentis bonitatem & miſericordiam; qua vos ab æterno ſibi elegit amicos, & gloriæ ac regni ſui prædeſtinavit hæredes.

Obſecro vos quoque per copioſam illam & efficacem Dei gratiam: qua vos in via, velut vaſa miſericordiæ præmuniit & præparavit ad gloriam.

Vos enim etſi in hac valle miſeriæ, & fragili carne conſtituti, attamen induti virtute de cœlo adverſus omnes hoſtes veſtros ſtetiſtis immobiles: nec ullis Mundi inſidiis, aut carnis illecebris, aut Dæmonis artibus à charitate Chriſti Ieſu potuiſtis ſeparari; ſed illi in finem &

 mor-

mortem uſque conſtanter adhæſiſtis, ideoque velut invicti pugiles, nunc cum Chriſto duce veſtro regnatis & triumphatis in gloria.

Congaudeo, & congratulor ex animo gloriæ & felicitati veſtræ, Deumque laudo, qui vos ita dilexit, & evexit, ô ſancti Patroni mei; ſed interim ſuſpirat & anhelat, ad Vos gemens ac tremens anima mea, inter tot hoſtes, & ſalutis diſcrimina, rogans vos per divinæ miſericordiæ viſcera, & ſuprema illa, quibus nunc in cœlis fruimini, gaudia; ut mei clientis veſtri memores apud Altiſſimum tanquam Patroni fideles, obtineatis mihi efficacem Dei gratiam, qua & ego ſequar veſtigia veſtra, & fortiter hoſtibus meis, Mundo, Carni, ac Dæmoni reſiſtam: nec ullis unquam ipſorum inſidiis viribuſque ſuccumbam; ſed Chriſto Salvatori meo in mortem uſque exemplo veſtro conſtanter adhæream, & ſic vitam hanc mortalem inſtituam, ut nunc vobis in gratia, & tunc conjungar in gloria, & Deum una vobiſcum laudem per omnia ſæcula. Amen.

COMMENDATIO
ET
OBLATIO

Ad ſanctos tres Magos & Reges, quorum ſacra Corpora religioſe aſſervat & colit

AGRIPPINA COLONIA.

O Sancti Magi, Reges inclyti, Gentium primitiæ, Patroni magnifici, Rogo vos per amorem Domini noſtri Ieſu Chriſti, quo vos Reges ita dilexit, & allexit Rex Regum, ut deſertis ſedibus veſtris & ſpretis longinquæ viæ periculis & incommodis, veniretis ad viſitandum, & adorandum cœli terræque Regem in Bethlehem natum.

Rogo

Rogo vos per virtutem gratiæ ſupernæ, qua vos miſericorditer præventi recens natum mundo Salvatorem tam ardenter & ſtudioſe quæſiviſtis; & inventum tam religioſe & reverenter adoraſtis; & eluſis Herodis impii Regis inſidiis feliciter in regionem veſtram rediiſtis.

Rogo vos per eximias illas virtutes, Fidem, Religionem,& Charitatem veſtram, quæ tunc in vobis,non ſtella tantum, oculos, ſed magis ipſo Iuſtitiæ Sole recens orto, mentes veſtras illuminante, mirabiliter effulſerunt. Vos enim, quamvis parvulum infantem, ſine ullo apparatu regio, in humili tugurio; in vili præſepio, inter jumenta jacentem & vagientem videretis, attamen ut Dominum ſupremæ majeſtatis forti & indubia fide agnoviſtis, & ut Regem Cœli & Terræ myſticis veſtris muneribus magnifice honoraſtis, & ut Deum, ac Creatorem veſtrum intima devotione, in terram procidentes, humiliter adoraſtis.

Rogo, inquam, vos per has virtutes veſtras, & per amorem, & humanitatem, qua vos, & munera veſtra ſuſcepit Salvator, dum parvulus natus eſt nobis; ut & me ſuſcipiatis in tutelam veſtram, & obtineatis mihi Tria à Chriſto munera pretioſa, & mihi nimis utilia; Fidem vivam, Spem firmam, Charitatem fervidam.

Obtinete mihi quoque Tres virtutes ſumme neceſſarias, virtutem puræ Caſtitatis, ſinceræ Humilitatis, & veræ Pietatis; ut his velut donis, à Chriſto liberaliter ego præventus, viciſſim tanto promptius, & gratius offeram illi quantulacunque bona & dona mea; id eſt, Thus devotæ Orationis; Myrrham Mortificationis; & Aurum Charitatis, ſeu bonæ operationis. Ad majorem ejus gloriam, qui eſt Rex ſæculorum immortalis. Amen.

ORATIONES
ad Sanctos.

Ex P. Caniſio, S. I.

Precatio de quovis beato Apoſtolo.

BEnedictus ſis Domine, perennis fons bonorum omnium, qui ſanctos Apoſtolos Filii tui primogenitos, ac primos Euangelii præcones, Eccleſiæque Chriſtianæ columnas ac fundamenta præ Sanctis omnibus delegiſti, ut eorum ſalutaribus doctrinis & admirandis operibus fides Catholica apud Iudæos & Gentes, totoque terrarum orbe plurimum illuſtraretur.

Tuam igitur majeſtatem humilliine rogo, ut ſicut ſuper Apoſtolicæ confeſſionis petram à te fundati, & per eoſdem religionis noſtræ principes ad fidei unitatem vocati, atque in una Eccleſiæ domo congregati manemus: ita non ſolum Apoſtolicam illorum doctrinam & traditionem firmis gratiſque animis retineamus, verum etiam ſanctam eorum converſationem irreprehenſibiliter vivendo ſectemur.

Et cum Chriſtiana profeſſione ardentem inprimis charitatem, jugemque patientiam conjungamus. Per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.

Intercede pro nobis beate N. Chriſti Apoſtole, prædicator veritatis atque Martyr, tuiſque precibus obtine, ut Catholicæ fidei ſinceritas, variis & peregrinis doctrinis exſtinctis, in orbe refloreſcat, & ego terminis Apoſtolicæ prædicationis atque traditionis innitens, ea quæ vocationi meæ congruunt, ſollicite præſtem, nihil autem Chriſti amore & Eccleſiæ unitate in omni vita antiquius ducam. Per eundem Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Precatio de quolibet ſancto Chriſti Martyre.

BEnedicam Dominum, tam glorioſum, potentem ac mirabilem in ſancto ſuo N. qui tam præclare in utraque, tum militante tum triumphante, fulget Eccleſia.

Pretioſa ejus in terris vita, pretioſior mors, pretioſiſſima ejuſdem in cœlis gloria, qua Rex æternus coronavit militem ſuum pro fide atque juſtitia ad mortem uſque certantem, quia fundatus erat ſupra firmam petram, & tanquam aurum in fornace probatum reſplenduit.

O invictum Chriſti athletam, quem non hujus vitæ blandimenta, non hoſtium inſidiæ, non ſuppliciorum vis aut tortorum immanitas; non vita, neque mors, aut ulla creatura à charitate, quæ eſt in Chriſto Ieſu, ſeparare potuerunt. O Sancte N. ora pro nobis, ut adverſa omnia, tum nos ipſos, & mortem quoque Dei amore vincamus, utque Chriſti calicem exemplo tuo intrepide bibamus, qui tecum à communi Domino in cœlis coronari deſideramus.

Precatio ad quemvis S. Confeſſorem.

DOmine Ieſu Chriſte Rex gloriæ, & ſplendor Sanctorum, gratias ingentes agimus tibi, qui tot præclara lumina, & ardentes quaſi faces in Eccleſia, collocaſti, ut qui in domo tua vivunt, & aliena luce indigent, Sanctorum tuorum vocibus, monitis, virtutibus, exemplis & ſcriptis paſſim illuminentur.

Inter alios vero Confeſſores ſanctum N. eximie ſublimaſti, multis ut eſſet exemplo & patrocinio: cujus & precibus apud te cupimus adjuvari, ut cum tuis Confeſſoribus fidem Catholicam non ſolum corde & ore, ſed etiam vita & opere perfecte confiteamur.

Vtque ſcientes & facientes Domini voluntatem, in domo tua, tamquam accenſa luminaria, undiquaque ſplen-

dere, & nomen tuum ſemper glorificare poſſimus. Qui vivis & regnas, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Ad quamlibet ſanctam Fœminam, præſertim Virginem.

LAudemus Deum noſtrum, qui inter cætera potentiæ ſuæ miracula etiam in ſexu fragili multa & miranda patravit; alias quidem aliis præcellentibus virtutum & gratiarum dotibus ornans; ſed præcipue generoſum & pluſquam virilem animum teneris & infirmis vaſculis, præſertim virginibus, inſerens, ut tyranni minas, mortem & tormenta contemnerent, & ad agonem non aliter quam ad delicias & epulas pergerent.

Hæc Dei magnalia in te hodie præcipuè veneror, ô dilectiſſima Chriſti ſponſa, N. & ſimul per tantam tibi à Chriſto conceſſam gratiam ſupplex precor, ut & mihi majorem gratiam Deo placendi, meamque vocationem complendi impetres: Et maxime quidem, ut in vera fide, charitate & patientia indies proficiam; mundi illecebras & carnis voluptates ſanctæ continentiæ, & abſtinentiæ ſtudio vincam, nihilque Chriſti jugo ſuavius, & amore charius ſentiam, quoad tecum beata immortalitate potitus, Deum laudem in ſæcula.

Precatio ad quemlibet Sanctum, cujuſcumque ordinis.

GRatulor tibi ex animo ſancte Dei N. quem Rex æternus gloria & honore cœleſti mirificè coronavit, & ſupremæ curiæ principibus in regno ſuo ſublimiter aggregavit.

Et quoniam non eſt, cur de teipſo ſolicitus eſſe velis aut debeas, noſtri & fratrum curam, quæſo, geras, & in charitate illa quæ non excidit, amanter procures quæ nobis ad bene beateque vivendum inprimis neceſſaria eſſe noſti.

Succurre interceſſione tua in his tantis vitæ periculis, & inter hoſtes medios conſtitutis, ut à maculis expurgati, ad

ti, ad vos communemque patriam ſecure proficiſcamur. Per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum..

Precatio ad Sanctos omnes Eccleſiæ triumphantis vetus ac generalis.

OMnes Sancti tui, quæſumus, Domine, nos ubique adjuvent, & interceſſione ſua lætificent, ut dum eorum merita recolimus, patrocinia ſentiamus. Et pacem tuam noſtris concede temporibus, & ab Eccleſia tua cunctam repelle nequitiam. Iter, actus, & voluntates noſtras, & omnium famulorum tuorum, in ſalutis tuæ proſperitate diſpone. Benefactoribus noſtris ſempiterna bona retribue, & omnibus fidelibus defunctis requiem æternam concede. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum.

DE FESTIVITATIBVS

Sanctorum rite peragendis, utilis admonitio ex S. Bernardo.

T*Ria ſunt, quæ in feſtivitatibus Sanctorum vigilanter conſiderare debemus;* Auxilium *Sancti;* Exemplum *ejus;* Confuſionem *noſtram.* Auxilium *ejus, quia qui potens in terra, potentior eſt in cœlis, ante faciem Domini Dei ſui. Si enim, dum hic viveret miſertus eſt peccatoribus & oravit pro eis, nunc tanto amplius, quanto verius agnoſcit miſerias noſtras, orat pro nobis Patrem, quia beata illa Patria charitatem ejus non imminuit, ſed augmentavit. Neque enim, quia impaſſibilis omnino, ideo & incompaſſibilis factus eſt, ſed nunc potius induit ſibi viſcera miſericordiæ, cum ante fontem miſericordiæ exiſtit.*

Debemus etiam attendere Exemplum *ejus, quia quamdiu in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt, non declinavit neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram, ſed viam regiam tenuit, donec veniret ad illum, qui dicit,* Ego ſum Via, Veritas, & Vita. *Intuemini humilitatem operum ejus, auctoritatem verbo-*

verborum ejus, & tunc videbitis, quomodo tam verbo, quam exemplo luxerit inter homines, qualia nobis veſtigia dereliquerit, ut ambulemus per ea, & non erremus in eis.

Sed & diligentiori intuitu confuſionem *noſtram inſpiciamus; quia homo ille ſimilis nobis fuit, paſſibilis, ex eodem luto formatus, ex quo & nos. Quid ergo eſt, quod non ſolum difficile, ſed & impoſſibile credimus, ut faciamus opera quæ fecit, ut ſequamur veſtigia ejus? Confundamur fratres, & contremiſcamus ad vocem iſtam, ſi forte hæc confuſio adducat nobis gloriam, ſi forte gratiam generet nobis timor iſte.*

Homines iſti fuerunt, qui præceſſerunt nos, qui tam mirabiliter proceſſerunt per vias vitæ, ut vix eos homines fuiſſe credamus. Sic ergo in Sanctorum feſtivitatibus & gaudere & confundi debemus: gaudere, quia Patronos præmiſimus: confundi, quia eos imitari non poſſumus. Serm. in vigil. SS. Petri & Pauli.

CAP. IV.

MODVS
Recitandi Orationem Dominicam:

Vna cum memoria & veneratione SANCTORVM.

Pater noſter, qui es in cœlis.

O PATER Æterne, in cujus domo manſiones multæ ſunt, ubi locum Electis filiis tuis paravit Vnigenitus tuus; ad quem poſſidendum, jam plurimi ipſo duce feliciter pervenerunt, & nunc revelata facie vident Te ſuaviſſimum Patrem ſuum. Ecce nos exules Filii Evæ, de exilio ad Patriam, imo ad Te Patrem noſtrum, intimis votis, & ſuſpiriis anhelamus: idque tanto ardentius & confidentius, quia fratres noſtros olim carnis & naturæ conditione nobis ſimiles, illuc jam nos præceſſiſſe novimus; unde & nos tua gratia per eorum veſtigia, & patrocinia eo perventuros ſperamus. Nam qui

qui tam abundanter replet in bonis deſiderium eorum, num & nobis, utpote filiis ſuis unam benedictionem non reſervaverit? Meritorum quidem & juſtitiæ noſtræ fiduciam non habemus: Sed quia copioſa Filii tui Redemptio non relinquit nos meritis inopes, hæc tibi pie Pater, inprimis obtendimus. O Pater, reſpice in faciem Chriſti tui, in quo tibi bene complacuit.

Et ecce ſupplices quoque pro nobis ad thronum gloriæ tuæ veniunt ipſi Electi tui, fratres noſtri (unum enim eundemque Patrem habemus in Cœlis) jam quidem de ſalute ſua ſecuri, ſed de noſtra ſolliciti. Nam & nos ſibi cohæredes habere deſiderant; & orationibus meritiſque ſuis nos ad portum felicitatis provehere ſatagunt.

Horum quoque intuitu nos ô clemens exaudi, qui propter Dilectos tuos, Abraham, Iſaac, Iacob, Davidem, *&c.* non ſemel propitium & beneficum in alios te fore promiſiſti. Itaque ante omnia petimus, ut

I. *Sanctificetur nomen tuum.*

Adoramus te ſanctiſſime Deus, quia tibi ſoli debetur omnis honor & gloria; unde & honorem ac amorem ſancti nominis tui per nos ſemper & ubique diffundi ac promoveri rogamus. Omne quod agimus, dicimus, cogitamus, ad ſolius nominis tui gloriam dirigi volumus & optamus.

Ad hoc ſicut excitamur exemplo, utinam ſic & adjuvemur auxilio ſanctiſſimæ Virginis MARIÆ, quæ electa in Matrem Filii Dei, magnificabat non ſeipſam, ſed Dominum, eo quod reſpexiſſet humilitatem ancillæ ſuæ; & feciſſet illi magna, qui potens eſt, & ſanctum Nomen ejus.

Itidem nos monent SS. ANGELI, quorum unicum officium & ſtudium eſt, ſanctificare & laudare nomen Domini. Vnde & indeſinenter tibi canunt, *Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Nato autem Salvatore, mox gloriam Deo in

in excelſis concinunt; ſed neque nunc deſinunt laudare Deum; quin & nos ad Deum per ſancta opera ſanctificandum identidem monitis & inſtinctibus ſuis exſtimulant. Sic ergo luceat lux noſtra, ſic opera pateant, ut qui vident, Deum inde glorificent.

2. *Adveniat regnum tuum.*

Adoramus te Domine, quia Rex es ſummæ majeſtatis & potentiæ; & per Filium feciſti nos hæredes Regni tui. Vnde & per preces, lacrymas, gemitus & ſuſpiria SS. PATRIARCHARVM & PROPHETARVM rogamus, ut quemadmodum illi regnum novi & Æterni Regis; Meſſiæ, inquam, Filii tui Adventum in carne tot ſuſpiriis, & ardentiſſimis Votis deſiderarunt; ut nimirum veniret tandem Rex ille manſuetus, pacificus, Rex gloriæ, potens in prælio, deſideratus tam diu cunctis Gentibus, ſeſſurus in ſede David Patris ſui, & redempturus Iſraël (neque enim licebat illis ingredi in regnum Dei, niſi prius introiret Rex gloriæ, aditumque patefaceret:) ſic & nos, patefacto jam regni cœleſtis introitu, deſideremus ab incolatu hujus ſæculi ad regnum majeſtatis tuæ citius perduci; ubi melior eſt dies una ſuper millia, in tabernaculis peccatorum. O beati qui habitant in domo tua Domine! O regnum tuum, regnum omnium ſæculorum! O quando perveniet in nos regnum Dei!

3. *Fiat voluntas tua ſicut in cœlo, & in terra.*

Adoramus te, Pater ſuaviſſime, quia non vis, nec potes velle, niſi quod juſtum, ſanctum, ac ſalutare eſt; unde & ſupplices oramus per merita & interceſſionem SS. APOSTOLORVM & DISCIPVLORVM tuorum, ut ſicut illi vocati à te, promptiſſime voluntati tuæ paruerunt, dum ad unius juſſionis vocem, mox relictis omnibus, te ſequuti ſunt; & demum juſſi ire in mun-

mundum univerſum, ad prædicandum Euangelium, nullis difficultatibus aut remoris abſterriti, ſuſceperunt opus impoſitum; & hoc unum deinceps egerunt, ut homines docerent facere Voluntatem Dei, & ſervare mandata ejus, quorum obſervantia unica eſt homini ad ſalutem via; ita, inquam, fac, ut & nos ſtudeamus cognoſcere, quæ ſit voluntas Dei bona, beneplacens, & perfecta; cognitam vero perficere ſerio curemus; ne ſimus ex iis, qui ſcientes Dei voluntatem, nec facientes, plagis multis fiunt obnoxii. Da quod jubes Domine, & jube quod vis.

4. *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.*

Adoramus te, benigniſſime Pater, quia paſcis nos à juventute noſtra, & tam corpori, quam animæ paterno affectu neceſſaria provides. Vnde & precamur te per merita ac patrocinia SS. MARTYRVM tuorum, ut ſicut illos in hoc ſæculo inter tot preſſuras, pœnas, & certamina, cibaſti pane lacrymarum in menſura; ſed & ſæpe aluiſti eos in fame; vel certe (quia non in ſolo pane terreno vivit homo) pane filiorum, id eſt, patientiæ, ſpei, verbi tui, & conſolationis; pane vitæ & intellectus confirmaſti cor eorum, nunc vero vincentibus das edere de ligno vitæ, quod eſt in medio Paradiſi tui. Sic & nobis in tot vitæ hujus anguſtiis & neceſſitatibus dare digneris eſcam corporis & animæ, in tempore opportuno; ne deficiamus in via, qua ſuſtinemus & ſequimur te. Vtinam aſſequamur, & ſatiemur cum ipſis nos quoque ab ubertate domus Dei.

5. *Et dimitte nobis debita noſtra.*

Adoramus te, Pater miſericordiſſime, quia multus es ad ignoſcendum, & præſtabilis ſuper malitia. Vndè & ſupplices rogamus te per merita & interceſſionem SS. CONFESSORVM tuorum, ut ſicut illi viſcera charitatis

ritatis & miſericordiæ erga proximos nunquam clauſa geſſerunt; quin omnes offenſas & injurias libenter & ultrò dimiſerunt inimicis ſuis; orarunt pro perſequentibus ſe, & benefecerunt his, qui oderunt eos; ſic & nos parati ſimus ad dimittendum proximis propter te; ut tu viciſſim facilior ſis ad ignoſcendum nobis, & propitius fias peccatis noſtris; neque ſecundum iniquitates noſtras retribuas nobis.

6. Et ne nos inducas in tentationem.

Adoramus te, Pater amantiſſime, qui neminem tentas, ſed intentator malorum es. Vndè & humillimè ſupplicamus per merita & orationes SS. VIRGINVM, ut ſicut illæ, licet ætate, ſexu, ac viribus debiles, attamen virili animo per gratiam tuam omnes tentationes, id eſt; Mundi illecebras, Carnis ſpurcitias, Dæmonis inſidias, fortiter & feliciter vicerunt, ita & nobis tua gratia & ipſarum interceſſione detur, nullis unquam tentationibus cedere; ſed amore tui, viriliter reſiſtere omnibus, quæ nos poſſent ſeparare abs te, cui ſoli adhærere nobis bonum eſt, nunc & in æternum. Interim nihilominus tu Domine proba & tenta nos utrum ſincere diligamus te. Sed ne patere nos tentari ſupra id, quod poſſumus; ſed fac cum tentatione proventum & exitum: nam ſi gratiam tuam addas: & fidem nobis adaugeas, omnia poterimus in eo, qui nos confortat.

7. Sed libera nos à malo.

Adoramus te, Pater mitiſſime, quia ſolus es bonus, & ſummum hominis bonum. Vnde & rogamus per merita, preces, & patrocinia Omnium SANCTORVM, & Electorum tuorum, tecum jam in cœlo regnantium, ut ſicut illos ex hac corruptione *carnis*, in qua fomes omnis *malitiæ* eſt, & ex hoc *mundo*, qui totus in *maligno* poſitus eſt; & à *Satana* qui incentor *malorum* eſt, liberaſti, eoque per-

perduxiſti, ubi liberati ab omni malo, jam felices fruuntur omni bono, quod Tu ipſe es; ſic & nos ab omnibus malis & miſeriis erepti, Electis tuis tandem aggregemur, ubi pariter te Summum & omne bonum obtinere, & una cum ſanctis in æternum laudare poſſimus. Amen.

Subjunge in fine orationem Eccleſiæ, qua claudit Prædicationem Dominicam: nam hoc loco apprime congruit.

LIbera nos, quæſumus Domine, ab omnibus malis præteritis, præſentibus, & futuris: & intercedente beata & glorioſa ſemper Virgine Dei genitrice Maria, cum beatis Apoſtolis tuis Petro & Paulo, atque Andrea, & omnibus Sanctis, da propitius pacem in diebus noſtris: ut ope miſericordiæ tuæ adjuti, & à peccato ſimus ſemper liberi, & ab omni perturbatione ſecuri. Per eundem Dominum noſtrum, *&c.*

CAP. V.

LITANIÆ SANCTORVM Rhythmicæ, &

Varii Hymni Rhythmici ad diverſos SS. Eorum ſimul Elogia paucis complectentes.

SVmme PATER, ſancte DEVS,
Sator mundi, factor meus,
Potens & propitius,
Salva, precor, creaturam,
Pro qua carnis hanc naturam
Tuus ſumpſit Filius.
IESV noſtram ſuſcepiſti
Carnem, Crucemque ſubiſti
Cœli miſſus culmine.
Quidquid carnis per reatum
Cor contraxit inquinatum,
Tuo lava ſanguine.
Sancte SPIRITVS, benignè
Charitatis urens igne

 Renes

Renes & præcordia:
Mentes, precor, noſtras munda,
Et ſuperni nos ſecunda
Roris abundantia.
DEVS Trinus in perſonis,
Individuus in donis,
Vnus in ſubſtantia,
Noſtram fac infirmitatem
Per Spem, Fidem, Charitatem
Tua firmet gratia.
O MARIA fulges Polo;
Sed poſt Deum præes Solo;
Nec non Salo Domina,
En nos Tibi mancipamus;
Tu fac clemens quod rogamus,
Fortes ad certamina.
Alma DEI Creatoris,
Sed & Rei peccatoris
Mater clementiſſima,
O ſis reis Advocata;
Hinc es Mater; & hinc nata
PROLES ex te maxima:
Virgo potens & præclara,
Super omnes Virgo rara;
Partu Virgo clarior,
Corde ſimus fac purgato,
Quo ſit Tibi, quin & Nato
Cultus noſter carior.
Michaël Dux Angelorum.
Qui Draconem de Cœlorum
Profligaſti ſedibus,
Ne ſuperbi deprimamur,
Fac demiſſos, ut jungamur
Per te Cœli civibus.
Gabriel qui nunciaſti,
Cum Mariam ſalutaſti,
Grandia myſteria,
Fac ut toto redamemus.
Corde Deum, & laudemus
Tanta pro clementia.
O *Raphael* qui Tobiæ
Ducem te præbebas viæ,
Cæco lucis copiam,
En errantem, fer tutelam,
En me cæcum, fer medelam:
Eia, fac ut videam.
Age *Cuſtos*ININglorioſe,
Serve Dei generoſe,
Creatura nobilis,
Mei, precor, curam gere,
Dux fidelis, & tuere
Præſens in periculis.
Sancti *Seraphim* ardentes
Per amorem, noſtras mentes
Inflammate fortiter;
Vt ardenter redamemus,
Et vobiſcum collaudemus
Deum nunc & jugiter.
Sancti *Cherubim* lucentes,
Noſtras illuſtrate mentes
Numinis notitia:

Dei

Dei noſſe majeſtatem ;
Sed & noſtram vilitatem ,
Per vos præſtet gratia.
Commendate nos ô *Thro-*
ni ,
Chriſti plagis, paſſioni ,
Sanguiniſque pretio.
Donis Ieſû ſic fruamur ,
Vt in throno tunc ſiſtamur
Iudici propitio.
O vos *Dominationes*
Veſtræ nos Orationes
Muniant Dominio.
Cedat Satan , Caro , Mundus
His , queîs Chriſtus Rex , ſpes, pondus ,
Pars, ſors, & poſſeſſio.
Precor vos ô *Principatus* ,
Vt qui Princeps nobis natus ,
Datus & in pretium ;
Solus in nos dominetur ,
(Mundi Princeps exturbetur)
Cordis ſervans atrium.
Poteſtates opem ferte ;
En quot hoſtes nos apertè ,
Quot occultè vulnerant!
Chriſti ſudor, & flagella ,
Cruor , clavi , crux , mors , bella.
Perſequentum conterant.
O *Virtutes* vos cœlorum ,
Mirâ terris vi geſtorum ,
Et ſignorum præſides ;
Per vos noſtra ſuſtentetur ,
Nam ſe nixa collabetur
Fluida maceries.
Archangeli ſummo Deo
Aſſiſtentes, mihi reo
Ferte patrocinium.
Dum tentati ſuſpiramus ;
O ſi per vos ſentiamus
Cœlitus auxilium.
Ave Cœtus *Angelorum*
Summo Regi Beatorum
Præſens ad obſequia.
Reſtauranda pro ruina
Malignorum, nos divina
Per vos ſervet gratia.
Patriarchæ & Prophetæ
Zelum nobis obtinete ,
Veſtra per præſidia :
Vt vobiſcum reguſtemus ,
Quæ nunc ſola ſpe tenemus ,
Bona cœli grandia.
Sancti *Reges*, qui jam nato
Regi Regum corde grato
Tria fertis munera.
Mentem *Thus* det elevatam ,
Myrrha carnem caſtigatam ,
Aurum formet opera.
O *Præcurſor* Chriſti , magnus
Paſtor à te dictus *Agnus* ,
Mundi tollit crimina.
Hoc Paſtore fac regamur ,

Donec hîc peregrinamur,
  Exules à Patria.
Ave *Ioſeph* ſponſe digne
Matris Virginis benignæ,
  Cuſtoſque caſtiſſime.
Lunæ ſplendor atque Solis,
Amor Sponſæ nos & Prolis
  Fac accendat intimè.
Petre Claviger Cœlorum,
Et Patrone peccatorum,
  Chriſti clarus gratia,
Fac nos verè pœnitentes;
Vt quod noſtras fœdat mentes
  Lavet pœnitentia.
Paule Vas electionis,
Quantis te replevit donis
  Mira Dei pietas!
Ora Chriſti per amorem,
Ne nos mortis in errorem
  Mundi trahat vanitas.
Fac *Andrea* qui ſubiſti,
Vt fidelis ſervus Chriſti,
  Crucem cupidiſſimè,
Nobis abſit gloriari,
Niſi Cruce ſalutari,
  In qua ſalus animæ.
O *Ioannes* Chriſti care,
Cui Mater ſine pare
  Datur in cuſtodiam,
Mortis, precor, in agone
Te cum Matre mecum pone
  Hoſtis contra furiam.
O *Iacobe* qui bibiſti,
Velut conſors Regni Chriſti,
  Paſſionis calicem:
Fac ut expers mentis vanæ,
Toto corde Chriſtianæ
  Sequar vitæ tramitem.
Cœtus vos *Apoſtolorum*,
Terræ Duces,& Cœlorum
  Clara luminaria,
Chriſtum, precor, exorate;
Vt nos pari charitate
  Trahat ad cœleſtia.
Euge *Stephane* beate,
Martyr Chriſto conſecrate,
  Primus rubens ſanguine,
Fac amore nos ferventes,
Et adverſis non cedentes,
  Promptos hoſti parcere.
Fortis pugil ô *Laurenti*,
Quem nil movit vis tormenti,
  Nec Tyranni feritas;
Quæ te fecit ſic invictum,
Vt nos armet ad conflictum
  Fortis, ut mors, charitas
O *Vincenti* qui viciſti,
Et invictus jam cepiſti
  Præmia vincentium,

Des

Des invictum robur menti:
Soli Chriſtus nam vincenti
Manna dat abſconditum.
O cruore purpurata,
Et jam Chriſto ſociata,
Salve cohors *Martyrum*,
Quantam regno vim Cœlorum
Intuliſtis, nec malorum
Vis effregit animum!
Nec nunc deſunt perſequentes,
Quin in noſtras ſævit mentes
Mundus, Caro, Satanas;
Nec tam dira ſunt tormenta,
Quam nociva blandimenta,
O nos ſervet charitas.
Sancte Pater *Auguſtine*,
Bonitatis qui divinæ
Clarus es indiciis,
Fac nos ſolvat peccatorum
Vinclis *Deus*, & malorum
Liberet ſuppliciis.
Salve Pater *Benedicte*,
Legiſlator, Dux invicte,
Potens patrocinio,
Vitæ nobis dux & mortis
Sis, ut bonæ tecum ſortis
Perfruamur gaudio.
O *Bernarde*, ſine felle
Tibi mens, ſed omni melle
Dulcius eloquium:
Noſtra quoque mens miteſcat,
Ieſus illi fac dulceſcat
Omne ſuper gaudium.
Euge turba *Confeſſorum*
Fide viva, zelo morum,
Chriſti flagrans munere,
Ope veſtra dum fovemur,
Et nos Chriſtum profitemur
Ore, Corde & Opere.
Ave Virgo *Catharina*
Doctos vincens, & divina
Prævalens ſcientia.
Contra Sophos infrunitos
Pia fac nos eruditos
Niti Sapientia:
Virginum ſalvete chori,
Quibus datum mundo mori,
Carniſque deliciis,
Veſter caſtas nobis mentes
Sponſus amans continentes
Veſtris donet meritis.
Ave dulcis *Magdalena*,
Charitate Dei plena,
Peccatorum gloria:
Toto fac pœniteamus
Corde, tecum diligamus
Ieſum ſuper omnia.
Anna ſalve labe carens,
Sancta Dei *Matris* parens,

Magnis fulgens meritis:
Mater præſto ſis cum Nata;
Sed & Proles nos beata
Vitæ donet præmiis.
Ave Cohors Electorum,
Angelorum & Sanctorum
Cœtus omnis inclyte:
Veſtra ſemper nos tutela
Chriſti ducat in ſequela,
Et ſalutis tramite.
Omnes *Sancti* triumphantes
Et in Cœlis jubilantes
Perenni lætitia,
Noſtra Deo præſentate
Vota, ſimul nos ſervate
Stabiles in gratia.
Omnes *Sancti*, qui regnatis
Chriſto juncti, quem laudatis
Cunctis procul hoſtibus:
Per vos noſtra mancipetur,
(Vt vobiſcum coronetur)
Vita Dei laudibus.
O quos nunc viator orat,
Quantùm *Deus* vos honorat!
Quanta beat gloriâ!
Honor Illi, lauſque pura
Sit ab omni Creatura,
Qui dat unus omnia.

HYMNVS RHYTHMICVS
ad SS. Angelos.

LAus erumpat ex affectu,
Dum pſallentes in conſpectu
Cœli ſtamus Civium.
Vox jucunda, laus decora,
Quando voci concanora
Puritas eſt cordium.
Angelorum choros laudet,
Quiſquis ad eorum gaudet
Provehi conſortia.
O laus digna, qua Sanctorum
Recenſetur Angelorum
Celebris victoria!
Draco victus profligatur,
Et adhærens effugatur
Inimica legio.
Exturbatus eſt turbator,
Præceps ruit occupator
De ſublimi ſolio.
Sub tutela Michaëlis
Pax in terris, pax in cœlis,
Laus & jubilatio.
O quam potens hic virtute
Pro communi ſtans ſalute
Triumphat in prælio!
Hinc incentor pravitatis,
Throno pulſus claritatis,
Hunc oberrat aëra.
Dolos ſtruit, virus fundit;
Angelorum ſed retundit
Æmulum cuſtodia.
Tres diſtinctæ Ierarchiæ
Trinitatis Theoriæ,

Vacant & myſterio.
Sed nec deſunt contemplantes,
In conſpectu Throni ſtantes,
Noſtri miniſterio.
O quam miræ charitatis
Eſt ſupernæ Civitatis
Trina diſtributio!
Quæ nos amat & tuetur,
Vt ex nobis reſtauretur
Ejus diminutio.
Sicut inter ſunt mortales
Status plures; nec æquales
Gradus dantur gratiæ.
Sic contingit & Beatis,
Vt ſit ſummæ Deitatis
Diſpar gradus gloriæ.
Sicut lunæ nunc & ſolis,
Et ſtellarum magnæ molis
Impar fulget claritas;
Sic in illa regione,
Iuſta datur portione
Gloriæ diſparitas.
Vetus homo novitati,
Se terrenus puritati
Conformet cœleſtium.
Coæqualis his futurus,
Etſi nondum planè purus,
Spe præſumat præmium.
Hos devote veneremur
(Vt ab ipſis adjuvemur)
Alacres obſequio.
Deo jungat nos amore,
Angelorum cum fervore,
Æmula devotio.
De ſecretis reticentes
Interim cœleſtibus,
Erigamus ſurſum mentes,
Supplices cum manibus;
Vt cœleſtis tueatur
Cohæredes Curia:
Et utrimque concinatur
Iugis Deo gloria. Amen.

HYMNVS RHYTHMICVS
De Vita & Elogiis
S. Ioannis Baptiſtæ.

PRæcurſorem ſummi Regis,
Et Præconem novæ legis
Ornat cœli gloria.
Sed & ortus gratioſa,
Nec non mortis pretioſa
Terris eſt memoria.
Pater ſenex novum Natum
Dandum ſtupet; dum Legatum
Audit miſſum cœlitus.
Nam ætatem & naturam
Spectans, ægrè rem futuram
Credere decrepitus.
Pater hærens hoc infirmat,

Quod atteſtans mox confirmat
Linguæ deſtitutio.
Dum non paret verbo Parens,
In ſublato fit apparens
Sermone punitio.
Præcurſore nondum nato;
Nec dum partu reſerato
Dona clarent cœlica.
Noſtro ſole tunc excluſus,
Verioris eſt perfuſus
Luce ſolis myſtica.
Prius novit diem verum,
Quam noſtrorum ſit dierum
Vſus beneficio.
Ille notus nondum natus,
Nondum naſcens eſt renatus
Meſſiæ commercio.
Alvo Deum Virgo claudit,
Clauſo clauſus hic applaudit
Ventris è cuſtodia.
Linguæ geſtus obſequuntur,
Dum pro lingua ſic loquuntur
Infantum prodigia.
Mater parit; Pater credit:
Redeunte fide, redit
Linguæ beneficium.
Eia felix partus Matris,
Quo ſoluta lingua Patris
Celebrat myſterium.
Thori fructus Matri dantur,
Et jam Matris expiantur
Sterilis opprobria.
Ortu tanti Præcurſoris
Multi timent, ſed timoris
Comes eſt lætitia.
Se de mundo ſervans mundum,
Mundè vivit intra mundum
In ætate tenera.
Sed è mundi mox convictu
Cedens, loco, veſte, victu
O quam præfert aſpera!
Lege vitæ ſub anguſta,
Mel ſylveſtre cum locuſta,
Cibum non abhorruit,
Camelorum tectus pilis,
Per deſertum, mundo vilis;
Cœlo magnus claruit.
Quem dum replet lux ſuperna,
Veræ lucis fit lucerna;
Veri *Solis* Lucifer.
Novus præco novæ legis;
Imò novus novi Regis
Pugnaturi ſignifer.
Singulari Prophetiâ
Prophetarum monarchia
Sublimatur omnium.

Hi venturum, Hic præſentem,
Hi promiſſum, Hic viventem
Monſtrat orbis Dominum.
Ardens vita, verbo lucens:
Et ad veram lucem ducens,
Multa docet millia.
O præclarus mos docendi,
Vbi formam dant vivendi
Doctoris veſtigia!
Non lux quidem fuit iſte,
Sed ut daret tibi, Chriſte,
Lucis teſtimonium.
Non lux erat, ſed lucerna;
Verum Chriſtus lux æterna;
Lucem creans omnium.
Dum baptizat Chriſtum foris,
Chriſtus reddit dignioris
Aquæ beneficium.
En ut ambos curat Numen,
Iſti Flamen, illi flumen
Addidit præconium.
Qui baptizat, elevatur,
Baptizatus non lavatur,
In quo nulla macula.
Aquæ lavant, quin lavantur,
Queis lavandi vires dantur,
Vi mundantis omnia.
Contemplemur omnes iſtum,
Quem putabat turba Chriſtum,
Stupens ad prodigia.
Qui cervicem non erexit,
Sed indignum ſe deſpexit
Domini corrigia.
Atteſtante palam Chriſto,
Non ſurrexit major iſto
Natus de muliere.
Seſe Chriſtus ſic excepit,
Qui de carne carnem cepit
Sine carnis opere.
O columna veritatis,
Non arundo levitatis,
Nuſquam palpans crimina!
Scribas pungit & Doctores,
Vocans legis transgreſſores,
Viperæ genimina.
Arguebat & Herodem,
Vnde vinctus ab eodem,
Sed haud victus carcere.
Fert injuſtè juſtus pœnam,
Rem deteſtans, vah, obſcœnam
Regis & adulteræ.
Inde ſævit vis Tyranni,
Sed hinc crevit laus Ioanni,

Tyranno ſupplicium.
Stultus ſervit ſapienti,
Quia juſtus in præſenti
Probatur per impium.
In natalis ſui cœna,
Capitali plecti pœna
Rex Ioannem juſſerat.
Spiculator ſaltatrici,
Læna defert Genitrici
Caput, quod petierat.
Crux deſignat ſublimari
Chriſtũ, ſed hunc minorari
Capitis abſciſſio.
Mors eſt juſti pretioſa,
Quam præceſſit glorioſa
Vitæ converſatio.
Nos ad laudem tui, Chriſte,
Præcurſoris & Baptiſtæ,
Reddimus encomia.
Tu nos ab hac mortis valle
Duc ad vitam recto calle,
Per ejus veſtigia. Amen.

HYMNVS RHYTHMICVS
De S. PETRO Apoſtolo,
Vitam & elogia ejus breviter complectens.

PEtri laudes exequamur:
Ad quas *Petræ* provocamur:
Baſis & memoriâ.
Laus Auctori cedat mundi;
Primus Paſtor in Secundi
Celebretur gloriâ.
Petrus ſancti fax Amoris,
Lux doctrinæ, dux fervoris,
Norma ſapientiæ.
Sed exemplar & Timoris,
Factus lapſum poſt erroris,
Forma pœnitentiæ.
Hunc piſcantem Piſcatoris
Ad capturæ dignioris
Opus traxit gratia.
Nam qui jubet ſic piſcari,
Piſces vitæ vult ſervari,
Quos prehendunt retia.
Petrus Chriſti ſe vocantis,
Nulla tamen tunc patrantis
Signa vel prodigia:
Voci cedit, verbo credit,
Sequi juſſus, mox obedit,
Inſequens veſtigia.
Vanis præfert veritatem,
Linquit rete, linquit ratem,
Quin relinquit omnia.
O beate Bar-Iona
Cui Chriſtus cœli bona
Spondet, & ſubſellia!
Pede calcat fluctus maris,
Sed nutantem ſalutaris
Regit illum dextera.
Fidem quatit ſi tempeſtas,
Tua, Chriſte, mox poteſtas
Fac tranquillet æquora.
Mota Chriſti quæſtione,

Brevi claudit ſub ſermone
Fide neceſſariam.
Hunc perſonam dicit u-
nam:
Sed nec tacet opportunam
Naturæ diſtantiam.
Carni ſcire quod negatum,
Hoc cœleſti revelatum
Pandit magiſterio.
Spiritalis hinc ſtructura
Architecti ſurgens curà,
Petri ſtat imperio.
Poteſtate nam miranda,
Ligas hic, quæ ſunt liganda;
Rata ſunt quæ ſolveris.
Claves tibi Chriſtus dedit,
Quibus cœli porta cedit,
Et tremendas Inferis.
Transformantis ſe Meſſiæ,
Moyſis, necnon Heliæ
Frueris colloquio.
Hic manere ſi fors datum,
Tali ſorte te beatum,
Cenſes & conſortio.
Sed quid erit majeſtatem,
Et perenni Deitatem
Contemplari gloria?
Iunctis ubi tot Beatis,
Dies una claritatis
Melior quam millia?
Petrus Chriſto ſalvatori
Fidus comes, optat mori
Pariter cum Domino.
Zelus calcar eſt Amoris,
Sed & caſus ſit Timoris
Iugis admonitio.
Chriſtus caſum mox futu-
rum
Sciens pandit, ne ſecurum
Sterneret præſumptio.
Sed proſtratum Patientis,
Anxiumque Reſurgentis
Reſtauravit viſio.
Quod negando ter pecca-
vit,
Simplex Amor expiavit,
Trinaque confeſſio.
Qui ſequuti delinquentem,
Quis det ſequi pœnitentem
Simili cordolio?
Chriſtus carum Petro gre-
gem
Commiſſurus, prius legem
Charitatis ponderat.
Amat *Petrus,* & amatur;
Sed rogatus tremens fatur:
Cautum caſus fecerat.
Auro carens & argento
Coruſcat miraculis:
A nervorum ſub momento
Claudum ſolvit vinculis.
Paralyſi diſſolutus
Æneas erigitur:
Petrum præſens Dei virtus
Ad votum proſequitur.
Accerſitus ad Tabitæ
Funus, prece fuſâ, vitæ
Reparat officia.
Vmbrà ſanat hic languen-
tes;

Mor-

Morbos pellit non cedentes
Medici peritià.
Sacri gregis cùram gerit,
Defraudantes gravi ferit
Conjuges ſupplicio.
Fraudes odit & fallaces:
Hinc tam gravis in mendaces
Dei ſævit ultio.
Vinctum tenet hunc Herodes;
Sed fruſtratur; dum cuſtodes
Adhibet præſidio.
Vinclis ruptis relaxatur,
Et ſecurus ſpatiatur
Angeli ſubſidio.
Petrum Simon magus odit;
Magum Simon Petrus prodit,
Præſidentem mox explodit,
Satanæ negotio.
Dum volare Magus quærit,
Gravi ruens lapſu perit;
Sic divina juſtè ferit
Obſtinatos ultio.
Nero fremit furibundus;
Malus luget impium;
Nero cujus Vrbs ac Mundus
Horruit imperium.
Inde Petro crux paratur
A miniſtris ſcelerum.
Crucifigi ſe teſtatur
Velle Chriſtus iterum.
Crucem videns præparari,
Suo gaudet conformari,
Magiſtro diſcipulus.
Sed eodem ſitu lignum
Haud ſubire cenſus dignum,
Cælum ſpectat pedibus.
Ergò Chriſtum ſequens, Cruce
Scandis Cœlum; quo te Duce
Nobis detur aditus.
Eja portas Gregi pande,
Memor iſtud Tibi grande
Munus datum cœlitùs.
Paſtoris noſtri meritis,
Ac prece ſalutiferà,
Nos à peccati debitis
Æterne *Paſtor* libera.
Amen.

HYMNUS

In laudem S. LAURENTII Martyris.

Laureato per agonem
Laudis geſtit mens ſermonem
Promere *Laurentio.*
O ſi puras ex amore
Corde laudes dem & ore
Martyrum delitio!
Accuſatus non negavit,
Et

Et ardores non expavit
Ardens Chriſti charitas.
Sic nec igne depravata,
Sed fornace comprobata
Fulget auri puritas.
Sicut chorda muſicorum
Tenſa ſonum dat canorum
Plectri miniſterio;
Sic in cheli tormentorum
Melos Chriſti confeſſorum
Dedit hujus tenſio.
Tortor vide, quali fide
Stat invictus inter ictus,
Minas & incendia.
Spes interna, vis ſuperna
Conſolantur, & hortantur
Virum de conſtantia.
Nam theſauros dũ requiris,
Per tormenta non acquiris
Tibi; ſed Laurentio.
Hos in Chriſto coacervat,
Cujus pugnam Chriſtus ſervat
Triumphantis præmio.
Neſcit Sancti nox obſcurum,
Vt in pœnis quid impurum
Fide tractet dubia.
Neque cæcis lumen daret;
Si non ei radiaret
Numinis præſentia.
Fidei confeſſio
Lucet in Laurentio.
Non ponit ſub modio,
Statuens in medio
Lumen coram omnibus.
Iuvat Dei famulum
Crucis ſuæ bajulum,
Aſſum quaſi ferculum,
Fieri ſpectaculum
Angelis, Hominibus.
Non abhorret prunis volvi,
Qui de carne cupit ſolvi,
Et cum Chriſto vivere.
Neque timet occidentes
Corpus, ſed non prævalentes
Animam perimere.
Sicut vaſa figulorum
Probat fornax, & eorum
Solidat ſubſtantiam,
Sic & ignis hunc aſſatum,
Teſtem cœlis comprobatũ
Reddit per conſtantiam.
Nam cum vetus corrumpatur,
Alter homo ſolidatur
Veteris exitio.
Vnde nimis confortatus
Eſt Athletæ principatus
In Dei ſervitio.
Hunc ardorem factum foris
Rorem putat vis amoris,
Et zelus juſtitiæ.
Ignis urens, non comburens
Vincit prunas, quas adunas
O miniſter impie!
Parum ſapis vim ſinapis,
Si non tangis, vel non frangis.

Sed

Sed & fragrat, quando flagrat.
Thus injectum ignibus.
Sic arctatus, & aſſatus,
Sub ardore, ſub labore,
Dat odorem pleniorem
Martyr de virtutibus.
O Laurenti laute nimis,
Rege victo Rex ſublimis;
Chriſti potens gratia:
Regis Regum fortis miles,
Qui duxiſti pœnas viles,
Certans pro juſtitia:
Qui tot mala deviciſti,
Contemplando bona Chriſti,
Et æterna præmia,
Fac nos malis eluctantes,
Demum cœlo jubilantes
Tecum frui gloria.

HYMNVS COMMVNIS

In feſto cujuſcunque SANCTI.

LVx illuxit triumphalis,
In qua vitæ temporalis
Iam decurſo ſtadio,
Stolâ primâ decoratur;
Et ſecundam præſtolatur
Sanctus N. cum gaudio.
Hujus fidem, geſta, mores,
Et pro Chriſto tot labores
Digne decet recoli.
Vt qui vita, verbis, ſignis,
Caſtus, pius, & inſignis,
Factus eſt lux ſeculi.
Præſens illi vita vilis,
Ad ſuperna mens ſublimis;
Zelat pro juſtitia.
Blandimentis, aut tormentis
Non evertit ſtatum mentis
Dolus aut ſævitia.
Hic contempſit mundi flores;
Pompas, opes, & honores
Arbitrans ut ſtercora.
Mundi calcans hoc deſertum,
Non cucurrit in incertum,
Viâ pergens regiâ.
Non loricam, enſem, ſcutum:
Verum fide cor imbutum
In conflictum protulit.
Rarus ſermo, durus victus,
Parcus ſomnus; his invictus
Armis hoſtem domuit.
O feſtiva dies iſta,
Qua te felix Agoniſta.
Coronavit Dominus!
Finis fuit in agone,
Sed honoris & coronæ
Nullus erit terminus.
Mole carnis liberatis,
Et à Chriſto decoratis

Regni diademate.
Nunc adeptus quod quæ-
rebas,
Clarè vides, quod videbas
Prius in ænigmate.
Luctus, labor, & certamen,
Tranſierunt; ſed ſolamen,
Requies & præmia,
Quæ nunc à te Ieſu Chri-
ſte,
Tuo dantur Agoniſtæ,
Finis erunt neſcia.
Sors mutata jam doloris;
Vrbs æterni nam decoris
Nil admittit aſperum.
Nunc illuxit, ô germane
Dei cultor, illud mane
Quod non habet veſpe-
rum.
Invenisti fidum ducem,
Qui te duxit ad hanc lu-
cem,
Dei Patris Vnicum.
Hunc dum ſequi geſtis pu-
rè,
Non aberras, ſed ſecurè
Iter carpis cœlicum.
In hac valle lacrymarum,
Sicut cervus ad aquarum
Fontes, anhelaveras:
Nunc torrente voluptatis,
Domo fruens ubertatis,
Affatim te ſatias.
Adventanti gratulatur,
Cum concive gloriatur
Angelorum Curia.
Gaude felix N. & exulta,
Quia merces tua multa.
Et immenſa gloria.
Inter cœli Senatores
Iam locatus, fac exores
Chriſtum mundi Iudi-
cem:
Vt quam ſontes, heu, time-
mus
Te Patrono declinemus
Iram Dei vindicem.
Culpas lava, carnem frena:
Fac exortes omni pœnâ,
Precum efficaciâ.
Vt in Chriſto vera Vite
Radicati, veræ vitæ.
Capiamus præmia.
Amen.

FINIS SECT. II.

ILLV-



ILLVSTRISSIMIS
GRATIÆ PRÆCONIBVS,
VIVIS POENITENTIÆ
SPECVLIS,
PECCATORVM PATRONIS:
DAVIDI REGI & PROPHETÆ,

Viro ſecundum cor Dei;

Sed tamen Homini; qui cecidit, ut caſu ſuo nos cautos redderet.

Cujus (ô magna DEI pietas!) unica vox, ſed ab imo profecta corde, meruit indulgentiam.

APOSTOLICI quoque COETVS VERTICI PETRO BAR-IONÆ,

COELI CLAVIGERO, ECCLESIÆ BASI, OVIVM PASTORI:

Sed qui & ipſe permiſſus eſt labi, ut lapſis diſceret compati:

Qui immemor ſui, & deſertor Domini, ſed mox reſipiſcens, flevit amarè.

Tam conſtans EIVS, quem negavit, AMOR fuit, tantum unus Chriſti reſpectus valuit.

TIBI quoque MARIÆ PECCATRICI
Quondam famoſæ,

Sed nunc AMICÆ, imo SPONSÆ formoſæ:
Cui dimiſſa ſunt peccata multa,

QVIA DILEXISTI MVLTVM.
O efficax OCVLORVM imber!

PEDES rigat SALVATORIS,
Et ſordes abluit criminis.

NEC TV HIS SEJVNGENDVS ES
BEATE LATRO,

Cui CRVX Compendium, & Scala PARADISI
fuit. O ter felix LATRO, qui
REGEM agnoſcis,

Quem Crucis & ignominiæ conſortem vides,
REGNVM,

Et ecce, mox eodem die voti compos, Regni, &
Gloriæ conſors factus es.

O POENITENTIVM EXEMPLA!
O PECCATORVM SOLATIA!

Qui ſequuti ſumus PECCANTES,
Sequamur POENITENTES,

Et ſequemur æternum cum Chriſto
REGNANTES.

SECTIO

SECTIO III.

De Pœnitentia ſeu converſione Peccatoris, & Exercitiis huc ſpectantibus.

PRO FERIA TERTIA.

CAP. I.

Colloquium Chriſti & Hominis de modo agendæ pœnitentiæ.

§. 1. *Deploratio ſtatus & miſeriæ hominis peccatoris.*

HOMO.

INfelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? ut quid vivo diutius, ut quid etiam terram occupo; ego lignum aridum & infrugiferum; ego ſemper ingratus,& injurius in Deum meum;dum non niſi peccata peccatis accumulo, & ſic theſaurizo mihi iram in die iræ, & juſti judicii Dei? Heu ſcio & nimis experior, quia non habitat in carne mea bonum; & corpus quod corrumpitur,aggravat animam.Facio igitur malum, & pecco quotidie;&,quod gravius eſt,rarò aut nunquam recogito,quam grave ſit,quod delinquo,nec ſtudeo condignis lacrymis & gemitibus placare mihi faciem Dei creatoris mei, quem toties ad iram provoco.

Heu quam multa habeo quæ defleam, cum nihil ſit, unde merito rideam! Tenebræ cordis, & lubrica conſcientia,caſus in vitia,& gratiæ jactura,tot laquei & peccandi pericula, quid niſi flere & gemere movent? Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum? Et plorabo die ac nocte,damna temporis præteriti, & pericula futuri; & mala animæ meæ, quæ multiplicata ſunt ſuper numerum. Ah Domine Deus meus, quid unquam fiet de me, cum deficiam quotidie, & non deſi-

nam offendere te? Quando convaleſcam de infirmitate mea? Quando reſurgam, qui dejectus ſum in limo profundi! putas adhuc ſpes eſſe poterit reſurgendi? putaſne mortuus homo rurſum vivet?

En de profundis clamo ad te Domine; O exaudi vocem meam: Non eſt mihi ſpes de me; Et utinam firmior ſit in te. Deſperatio enim mihi ingeritur valida, quia infirmitas mea indies creſcit ex culpa. Et ſi dixero, nunc incipiam; tempus eſt jam de ſomno ſurgere; tempus enim nunc acceptabile eſt, & dies ſalutis; ſtatim adeſt peccatum præ foribus quaſi jugum grave, & ſicut talentum plumbi deprimens collum meum: & erigitur adverſum me inimicus meus, & conſuetudo mali quaſi victum, & vinctum trahit me compedibus ſuis.

Vide Domine afflictionem meam, erue me à circumdantibus me, quia confortatus eſt timor eorum ſuper me. Periit enim conſilium à me, & fortitudo mea defecit. Confractum eſt brachium meum, & gladius meus ſalvarè me non poterit. Tu ſolus es qui mihi ad refugium relictus es; ſed quem ego, heu, nimis ſæpè reliqui; unde & meritò timeo relinqui, imò jam vereor, ne projectus ſim à facie oculorum tuorum. Nam vultus tuus ſuper facientes mala, ut perdas de terra memoriam eorum. Domine ante te omne deſiderium meum, & gemitus meus à te non eſt abſconditus.

§. 2. *Redargutio & confuſio Peccatoris.*

CHRISTUS. Audivi gemitus tuos, ô homo, & clamor cordis tui pervenit ad aures meas: nam juxta ſum his, qui tribulato ſunt corde, & humiles ſpiritu ſalvare paratus ſum. Verum & tu pauliſper audi juſtas querelas meas. Ego quidem calamum quaſſatum non contero, nec linum fumigans extinguo: meum enim non eſt perdere quenquam ex his quos dedit mihi Pater meus. Sed tu ipſe vide quam merito contra te exardeſceret ſicut ignis ira

mea.

mea. Ego condidi te ad imaginem & ſimilitudinem meam, & ſanguine meo redemi te, prius mancipium Satanæ, ut ſervires mihi. Verumtamen tu ſervire me feciſti in peccatis tuis, præbuiſti mihi laborem in iniquitatibus tuis. Reduc in memoriam; & judicemur ſimul. Narra, ſi quid habes, ut juſtificeris.

Nonne ego ſum pater tuus, qui poſſedi te, & feci, & creavi te? Tu vero Patrem qui te genuit dereliquiſti, & oblitus es Dei creatoris tui. Si Pater ego ſum, ubi eſt honor meus? Et ſi Dominus ego ſum, ubi eſt timor meus? Ecce Filium te mihi enutrivi & exaltavi, tu autem ſpreviſti me. Cur, qui in domo Patris tui poteras enutriri croceis, & veſtiri duplicibus, maluiſti abire in regionem longinquam, adhærere alienigenis, amplexari ſtercora, & nudus fame ac frigore tabeſcere? quid feci tibi, aut quid moleſtus fui, ut deſereres me? Quare me dereliquiſti fontem aquæ vivæ, & fodiſti tibi ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas?

Animam tuam mihi in cariſſimam ſponſam elegeram; tu autem maluiſti poſt alios amatores ire. Ego viam rectam & planam monſtrabam tibi; nam ſum ipſa via, veritas, & vita. Vt quid ergo laſſatus es in via iniquitatis, & ambulaſti vias difficiles, in quibus non niſi contritio & infelicitas, & viam pacis noluiſti cognoſcere?

Ego legem vitæ & diſciplinæ dederam tibi, ut ſervando mandata mea, oſtenderes quod diligeres me, & vitam haberes; Tu vero odiſti diſciplinam meam, & ſermones meos projeciſti retrorſum. O quoties vocavi ego, & renuiſti! quoties extendi manum meam, & non aſpexiſti; & ſpreviſti omne conſilium meum! Nonne jugum meum ſuave, & onus meum leve? ut tu potius ires emere tibi quinque juga boum, & abires poſt concupiſcentias cordis tui, quæ mergunt homines in interitum & perditionem? Fili hominis uſquequo gravi corde? ut quid diligis vanitatem & quæris mendacium?

HOMO. Vere ſcio quod ita ſit, & quod non juſtificetur homo compoſitus Deo. Si juſtificare me voluero, veritas condemnabit me; Si innocentem aſſeruero, pravum me comprobabis. Si voluero contendere tecum, non potero tibi unum reſpondere pro mille. Peccavi. Quid faciam tibi ô cuſtos hominum? Ecce iniquitatem meam ego cognoſco, & factus ſum mihimetipſi gravis. Cur non tollis peccatum meum? nam ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me iniquitates meæ. Fateor, iram merui, non indulgentiam. Vnde ſi ejicis me à facie tua, juſte facis. Sed ſi miſerum & indignum vel inter mercenarios recipis, miſericorditer facis. O ſi ſuperexaltet miſericordia judicium, quia ipſa eſt ſuper omnia opera tua.

Ecce miſer ego, peregrinus & exul à cœleſti Ieruſalem deſcendens incidi in latrones, & exſpoliatus tunica immortalitatis, & multis plagis acceptis, ſemivivus relictus ſum; & jam putruerunt cicatrices meæ à facie inſipientiæ meæ, & non eſt ſanitas in carne mea. Si tu, me neglecto, præterieris, quis miſerebitur mei, aut quis alligabit vulnera mea? Si tu non infuderis vinum conſolationis, & miſericordiæ oleum; quis idoneam medicinam conficiet? ſi denique denarium, id eſt, ſalutis pretium tu non perſolveris; quis ad hoc ſufficiet?

§. 3. *Pœnitentiæ neceſſitas, & Excitatio Peccatoris.*

CHRISTVS. Animæquior eſto, ô homo, & noli timere. Perditio tua ex te: tantummodo ex me auxilium tuum. Ego ſum Samaritanus, Verus ille medicus, qui ad hoc in mundum veni ut mederer contritis corde. Ego qui languores tuos ipſe portavi; imò qui vulneribus tuis ex ſanguine meo remedium præparavi. Nolo enim mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat: ideoque veni quærere, & ſalvum facere quod perierat. Non veni vocare juſtos, ſed peccatores. Neque enim opus eſt benè habentibus medico, ſed male habentibus. Memento vocis

meæ,

neæ, qua invitavi ad me omnes peccatores terræ, dicens; Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos.

Veni ergo & tu, & revertere per aliam viam in regionem cœleſtem, quam monſtravi peccatoribus, ut ambularent in ea. Via autem hæc eſt, Pœnitentia. Si ergo vis vitam; Diverte à *malo* & fac *bonum*, memor eſto unde excideris, & pœnitentiam agens prima opera fac. Redi prævaricator ad cor, & vide quia amarum eſt reliquiſſe Dominum Deum Creatorem tuum. Depone omnem malitiam; abjice opera tenebrarum; fac fructus dignos pœnitentiæ; abnega impietatem & ſecularia deſideria. Atque deinceps ſobriè, juſtè & piè vive in hoc ſeculo. Hæc eſt via, quæ ducit ad vitam, & alia non erit præter eam.

HOMO. O quam dulcia faucibus meis hæc eloquia tua Domine! ſuper mel & favum ori meo. Iam utique ſecundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam. O fidelis ſermo & omni acceptione dignus! quia Chriſtus venit in hunc mundum peccatores ſalvos facere, quorum primus ego ſum. Iam ergo memor eſto verbi tui, in quo mihi ſpem dediſti: Recipe filium prodigum, & profugum à facie tua; & nunc revertentem ad dulciſſimum Patrem ſuum, brachiis dilectionis amplectere. Ne projicias me à facie tua, & dimitte omne malum ſervo tuo, & ne deleas de libro viventium nomen meum.

§. 4. *Incitatio peccatoris ad maturandam pœnitentiam.*

CHRISTVS. Ego ſum, ego ipſe ſum, qui deleo iniquitates tuas, propter me; & peccatorum tuorum non recordabor. Ego qui juſtifico impium, dimittens ei omnia delicta, propter nomen meum: nam & miſereri potius eligo, quam iraſci, & parcere malo, quam punire. Quid ergo times? quid trepidas ad ſinum tantæ pietatis

accedere? paratior ſum ad indulgendum, quam tu ad pœnitendum.

Sed vide, ne tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem. Multa hic ſunt moræ & dilationis incommoda. Nonne dum æger es, non differs curam valetudinis, ſed mox accerſis medicum, & principiis obviandum cenſes, ne fortè fruſtra paretur medicina, poſtquam morbus per longiorem moram invaluit.

Prudenter; ſed cur idem non facis, cum animus tuus æger eſt! tunc certè multo periculoſius laboras, quam ſi corpus tuum, & intima viſcera peſtis, aut veneni vis pervaſiſſet. Quid ergo ſtertis, quid moraris? ſurge, propera, & convertere ad Deum ſalvatorem tuum: ne quando ut leo rapiat animam tuam, & non ſit qui redimat, neque qui ſalvum faciat. Memento creatoris tui in diebus juventutis tuæ: & cave ne aſſueſcas cuicunque peccato. Nihil enim fortius hominem ligat, quam mala conſuetudo. Vt difficile eſt, naturam expellere, ſic malam conſuetudinem, quæ eſt quaſi altera natura. An verò mundo & carni florem, at fecem debes mihi, qui tibi dedi omnia; nec vilia, ſed optima: & tui cauſa fui in laboribus à juventute mea?

Homo. Durus eſt multis hic ſermo Domine: nec poſſunt eum capere. Vnde iſtæ eorum voces: Venite & fruamur bonis, quæ ſunt, & utamur creatura tanquam in juventute celeriter. Non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos roſis, antequam marceſcant. Nec deſunt inter illos, qui longitudinem dierum ſibi promittunt; & interim ducunt in bonis dies ſuos, quaſi in fine ſat tempeſtivum ſit, recogitare annos præteritos in amaritudine animæ ſuæ; & tunc demum rogare te, ut delicta juventutis & ignorantias eorum non memineris. Quaſi juſtum hoc ſit, ubi abundavit delictum, ſuperabundet & gratia. Et hæc quidem dicunt inſipientes in corde ſuo; cujus rei vita & ipſa opera teſtimonium perhibent.

§. 5. Pœ-

§. 5. Pœnitentia non differenda ſpe longioris vitæ.

CHRISTVS. Scio, quia ſtultorum infinitus eſt nu-
merus; ſed tu, noli æmulari in malignantibus; & ſi te la-
ctaverint peccatores, ne acquieſcas eis. Ne ambules cum
is, prohibe pedem à ſemitis eorum. Nam cum irruerit re-
entina calamitas, & interitus quaſi tempeſtas ingruerit:
uando ſuper eos venerit tribulatio & anguſtia, tunc in-
ocabunt me, & non exaudiam; eò quod deſpexerint
mne eonſilium meum; & increpationes meas neglexe-
int. Audi quiſquis ſpe longioris vitæ differs meliorem:
Stulte, quid ſi hac nocte, quid ſi hac hora, repetam à te
nimam tuam, quo putas, infelix ibit? ô quot millia homi-
um deluſit iſta ſpes, aut magis ſtulta præſumptio! at nunc
n inferno poſiti ſunt, mors depaſcit eos; & hoc maxi-
ne torquet illos, quia neglexerunt operari bona, dum
empus haberent. nimirum ob ſpem incertam, certum
alutis remedium neglexerunt, nec tam voluerunt deſere-
e, quam differre pœnitentiam. Sed dilatio iſta perditio
uit: præciſa eſt enim velut à texente vita eorum, dum
dhuc ordiri viderentur: mortui ſunt, antequam ſe mori
cirent; & qualis eorum in extremis pœnitentia fuerit,
u ipſe collige. hoc ſcilicet, illos maximè tunc pœnituit,
c etiamnum, ſed fruſtra pœnitet, quod pœnitentiam
empore opportuno neglexerint, & pœnas æternas pau-
cis horis, quod facilè poterant, non redemerint.

Vtinam tu ſaperes damno alieno, & cautior fieres in
e tam ardua. Promiſi ego quidem veniam pœnitenti;
ed vitam non promiſi in craſtinum differenti. Hodie er-
go ſi vocem meam audieris, noli obdurare cor tuum; ne-
cis enim quando veniam tibi: quid ſi ut fur in nocte, &
ora, qua minimè putabis? vigila itaque, & omni hora
paratus eſto.

Ecce, quid eſt vita tua, niſi vapor ad modicum parens?
quid corpus mille caſibus, miſeriis, & periculis obno-

xium? quod ventus quandoque & levis febricula, aut caſus aliquis ſubitus in momento proſternit, & huic tam fragili fulcro tu audes inniti & fidere?

Nonne ſtultam iſtam fiduciam ſatis arguunt tot obvia quotidie mortalitatis exempla; quæ, ſine diſcrimine ætatis, ſexus, conditionis, ſed non ſine certo providentiæ meæ conſilio, frequenter ingeruntur oculis tuis, ut diſcas, quam inanes ſint hominum ſpes, quam fallaces cogitationes; & memineris, accidere tibi poſſe, quod cuiquam potuit. & felix, & ſapiens eſt, qui ex alieno malo emendat ſuum.

HOMO. Iuſtus es Domine, & rectum judicium tuum; ſed parce mihi, ſi loquar ad Dominum meum, ego pulvis & cinis. Nunquid voluntatis tuæ eſt mors impii? nonne miſerationes tuæ ſuper omnia opera tua? & cum iratus fueris, miſericordiæ recordaberis? Nonne tu dixiſti; Nolo mortem peccatoris? &, impietas impii non nocebit ei, in quacunque tandem die converſus fuerit ab impietate ſua? An non ergò pœnitendi tempus erit, quouſque eſt vivendi?

§. 6. *Non differenda Pœnitentia intuitu divinæ miſericordiæ.*

CHRISTVS. Nimis inſipiens es,ô homo, quiſquis tibi blandiris ſpe miſericordiæ, immemor juſtitiæ meæ: ideone tu malus eris, quia ego bonus ſum?

An ideo miſericors & facilis ad veniam prædicor, ut tu pecces ſecurius, & liberius ad iram me provoces, & tandem, cum me pro libitu tuo ſaturaſti opprobriis, nihilominus miſericordiam meam tibi fidenter promittas? Fateor, magna eſt miſericordia mea erga peccatores, dum tempus eſt miſerendi: ſed tu, qui toties à me per internas inſpirationes, toties per præcones verbi mei monitus es, at ſemper reſtitiſti ſpiritui meo, & inſtar aſpidis ſurdæ, & obturantis aures ſuas, non exaudiſti vocem meam, quomodo miſericordiam meam in fine ſperare

ıre audes, qui ſecundum duritiam & impœnitens cor ıum theſaurizas tibi iram in die iræ?

Eſt potius cur timeas, ne fortè ob contemptum mi-ricordiæ meæ ultrò toties oblatæ, tradaris in reprobum ·nſum, & deinceps totus abeas poſt deſideria cordis tui; : ita cum in profundum veneris, contemnas: adeoque ındem indignus miſericordia ſoli juſtitiæ reſerveris. hac nim merito ultione percutitur peccator, ut moriens bliviſcatur ſui, qui vivus & ſanus oblitus eſt mei.

Ne ergo dicas, Miſeratio Domini magna eſt, multi-ıdinis peccatorum meorum miſerebitur; ut enim miſe-cordia, ſic & ira ab illo citò proximant, & in peccato-·s reſpicit ira illius. Tu potius ambula dum lucem ha-es, ne tenebræ te fortè comprehendant, quodcunque oteſt manus tua, inſtanter operare. Neſcis, quid olim ıcies, aut poſſis, cum defecerit virtus tua. Nunc ado-·ſcentior corrige viam tuam, in cuſtodiendo ſermones ıeos. Ecce nunc tempus acceptabile, nunc dies ſalutis, hos negligis, nimis temerè aliud tibi ſpatium Pœniten-æ polliceris. Sera Pœnitentia raro vera: non tam enim eſeruntur peccata, quam deſerunt, quia peccandi vires eficiunt; & mirum valde eſt, quod rei tam incertæ & ubiæ audeas ſalutem tuam committere, qui alibi certiſ-ıma quæque ſollicitè perquiris. Nunc offero tibi gra-am meam, quæ repudiata olim forſan juſtè negabitur.

O ſi ſcires quam periculoſum & noxium ſit, in va-uum gratiam meam recipere, & vocantem me repelle-:, anhelares ad me, ſicut cervus ad fontes aquarum: ſata-eres, ut per bona opera certam vocationem tuam face-:s: age nunc ergo, quod tunc actum voles, cum plus age-: non poteris, & non egiſſe, cum poteras, vehementer olebis; ſed nec reſiduum amplius dolori remedium in-enies. Quæ ſeminaverit homo, hæc & metet. hæc vita ſt tempus ſementis, in morte tempus meſſis aderit; ſi ſe-ıinaveris in carne tua corruptionem, de carne metes

cor-

corruptionem. Tu itaque nunc ſemina in lacrymis, quod tunc in exultatione metas.

Intelligite hæc, qui obliviſcimini Deum; intelligite, ne quando rapiat, & non ſit qui eripiat.

Ecce ego dimiſi nonaginta novem oves in deſerto, & te unam errantem quæſivi: & jam velut paſtor bonus paratus ſum tollere te in humeros meos, ut reducam te gaudens in ovile meum. noli diutius defraudare me deſiderio meo, & Angelos meos gaudio, quo gaudent ſuper uno peccatore pœnitentiam agente.

HOMO. Verè erravi ſicut ovis quæ periit; ſed tu require ſervum tuum Domine, qui veniſti quærere & ſalvum facere quod perierat. Tibi ſoli peccavi & malum coram te feci; ſed en occaſionem illuſtrandæ gloriæ tuæ, ſi juxta promiſſiones tuas, miſero & humili præſtes miſericordiam tuam: & vincas, cum judicaris, ſiniſtra hominum judicia, qui de te non ſentiunt in bonitate, ſed in vindicandis hominum delictis rigidum valdè & immitem judicant. Ego vero conſcius clementiæ, & bonitatis tuæ revertar ad te, ut filius prodigus ad Patrem miſericordiarum. Ne projicias me à facie tua.

§. 7. Examen Conſcientiæ, primo diſpoſitio ad Contritionem & Confeſſionem.

CHRISTVS. Revertere, fili mi, quid foris veſceris ſiliquis porcorum, cui apud me paſci licet delitiis filiorum? Revertere in toto corde tuo, & ego recipiam te in amplexus meos. Sed ecce modum: Recogita inprimis omnes annos & dies in peccatis actos in amaritudine animæ tuæ; & ſeriò teipſum examina; diligenter omnes conſcientiæ latebras excute. Si obiter tantum & perfunctoriè hoc egeris, multa te effugient: pravum enim & inſcrutabile eſt cor hominis, & quis cognoſcet illud? Nihil difficilius, quam NOSSE SEIPSVM: ſed nec quidquam utilius. Vanum autem eſt, ſcire omnia, ſi teipſum

teipſum neſcias. Morbum ſuum noſſe, ſanitatis initium eſt.

Homo. In multis offendimus omnes. & tu quidem Domine probaſti me & cognoviſti me, & omnes greſſus meos dinumeraſti; quia omnia nuda & aperta ſunt oculis tuis; tu ſcis optimè quid ſit in homine, & intelligis cogitationes meas de longè. Sed delicta quis noſtrum intelligit? ab occultis meis munda me Domine. vereor enim omnia opera mea, ſciens, quod non parcas delinquenti. multiplicatæ ſunt iniquitates meæ, ſuper capillos capitis mei; & non potui, ut viderem. Sed tu, ô lux vera, qui illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, illumina tenebras mentis meæ, ut videam, ubi declinaverim à mandatis tuis; & rurſus dirigar in viam rectam. Reſponde mihi, quantas habeo iniquitates & peccata.

§. 8. *Contritio, prima pars Pœnitentiæ.*

Christus. Facilè reſpondebit tibi conſcientia tua, niſi fortè cauteriatam aut obduratam habueris. interroga illam ſeriò, non ſilebit. Nonnè ſæpius non rogata angit & arguit, & ſecreto verbere flagellat peccati reum? Si quæ tamen poſt diligens examen non occurrunt memoriæ, illa meæ committe miſericordiæ: nec te ſcrupulis fatiga: volui enim ego hoc Pœnitentiæ ſacramentum tibi potius eſſe ad ſolatium quam tormentum. Attamen amor ſui facit non rarò, ut declinet homo cor ſuum in verba malitiæ ad excuſandas excuſationes in peccatis. Tu verò in teipſum fungere partibus Rei, Accuſatoris, & Iudicis, omni affectu ſepoſito; cumque te nocentem deprehenderis, non parcas tibi; ſed ſeverius teipſum coargue, & dole ex intimo corde, quod offenderis & contempſeris me Deum Creatorem & Salvatorem tuum, quem ſummo Amore, utpote ſuper omnia bonum, complecti debueras.

Cogita,

Cogita, quantopere ob rei viliſſimæ jacturam ſubinde doleas & plores: & non doles, cum feciſti detrimentum animæ tuæ, & amiſiſti me, ſummum bonum tuum? Dominum me fateris, ſed ubi eſt Timor meus? Patrem vocas me, & ubi eſt Amor meus? Quoties ego Tibi ſecreto locutus ad cor, dixi, imò dixit tibi propria conſcientia tua; Perverſa eſt via tua, non hac itur in cælum; hæc eſt via lata, quæ ducit in perditionem, non hac iverunt, qui Deo placuerunt. Vſquequo tu diliges vanitatem & quæres mendacium? ſed tu projeciſti nihilominus ſermones meos retrorſum; & ecce adhuc ego ſto ad oſtium & pulſo, & vix admittor.

HOMO. Non intres in judicium cum ſervo tuo, quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens. Memento, quæſo Domine, quod ſicut lutum feceris me, & in pulverem reduces me, & cum nihil oderis eorum, quæ feciſti, cito anticipent me miſericordiæ tuæ, quia pauper factus ſum nimis.

§. 9. *Modus excitandi in ſe Contritionem ſeu dolorem de peccatis.*

CHRISTVS. Memento ô homo, quæ fecerim tibi. quid enim habes quod non accepiſti? & vide, quia malum & amarum eſt, dereliquiſſe te Dominum Creatorem tuum, & tam ingratum & injurium eſſe ſummo benefactori tuo.

Ego CREAVI Te ad imaginem & ſimilitudinem meam, & ſignavi ſuper te lumen vultus mei, ut agnoſceres & laudares me Creatorem tuum, & conſtitui te ſuper opera manuum mearum. Sed tu, cum in honore eſſes, non intellexiſti; comparatus es jumentis inſipientibus, & factus es ſicut equus & mulus quibus non eſt intellectus.

Sed & ego hactenus tam paterne ac provide CONSERVAVI te, & fovi te, ſicut aquila provocans ad volan-

volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitans. ego vires & valetudinem, ego in tot periculis & adverſis ſalutem præſtiti, ego victui neceſſaria, & alia innumera beneficia tribui: tu vero quoties ipſis donis & beneficiis meis inſolentior factus, his in mei contumeliam abuſus es; dum incraſſatus, & impinguatus dereliquiſti Deum factorem tuum?

Et ſi hæc parva videntur, recole multo majora. Cum perditus eſſes Satanæ mancipium, & æternæ mortis debitor, ego tui cauſſa de cœlo veni, & HOMO FACTVS ſum, propter te ſervi formam accepi, cum eſſem Dominus omnium: tot labores & dolores ſuſtinui, & REDEMI te pretio magno, non corruptibilibus auro vel argento, aut gemmis pretioſis, ſed ſanguine meo, ut glorificares & portares me in corde, & corpore tuo. & quid ultra debui facere vineæ meæ, & non feci?

Sed quid retribuiſti mihi, pro his omnibus, quæ retribui tibi? nonne mala pro bonis, & odium pro dilectione mea? expectavi, ut faceres uvas, & ecce labruſcas. Vendidiſti animam tuam ſine pretio, cujus pretium eſt SANGVIS meus. Nam quid ſunt iſthæc omnia, ob quæ tam facile & ſæpe perdis animam tuam, & prodigis ac vilipendis ſanguinem meum, quid, niſi fumus & umbra? quid aliud fœda carnis voluptas, quid inaniſſima mundi vanitas? aut turpis lucri cupiditas? hæc omnia Apoſtolus meus, cæterique amici mei arbitrati ſunt velut ſtercora, ut me lucrifacerent. Tu verò tanti ea facis, ut ſæpe me malis offendere, quam hominem, æterna bona & gaudia perdere, quam caduca; & mandata mea potius, quam mundi judicia contemnere.

Et quid prodeſt tibi, ſi univerſum mundum lucreris, animæ vero tuæ detrimentum patiaris? Hæccine reddis mihi homo ſtulte & inſipiens?

HOMO. Quis ſtabit ad loquendum tibi, aut reſpondebit unum pro mille? agnoſco, quia tu es Deus longanimis,

nimis, & patiens, & multæ miſericordiæ, qui miſereris omnium, & diſſimulas peccata hominum propter pœnitentiam. ô quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum? quia non cuſtodivi legem tuam, & in vanum accepi animam meam, pro qua tu dilectam animam tuam dediſti in mortem. Quid dicam tibi, ô immenſa bonitas? peccavi, ſed parce mihi, & noli me condemnare, qui pro me damnari voluiſti.

CHRISTVS. Ego dilexi te in charitate perpetua, & te viciſſim ad amorem mei tam ſuaviter, & tantis præmiis invitavi: tu vero cucurriſti velut adultera poſt amatores multos; & ut eſſes amicus mundi, mihi inimicus fieri non horruiſti. Dereliquiſti me, fontem aquæ vivæ, & fodiſti tibi ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas, cum poſſes haurire aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. Maluiſti, inquam, hoſtem ſequi, qui obſequium ſibi præſtitum, & brevis voluptatis uſuram æternis ſuppliciis penſat, quam me, qui ſequentes me gloria & honore corono.

§. 10. *Dolor de peccatis cum ſpe veniæ.*

HOMO. Peccavi Domine, & malum coram te feci. Sed abſit ut dicam cum impio: Major eſt iniquitas mea, quam ut veniam merear. Quin ſcio, quia multus es ad ignoſcendum; & licet peccata mea multiplicata ſint valde, tamen & miſericordiæ tuæ non eſt numerus. Deſperarem utique, ſi neſcirem miſericordias Domini. Et tentator quidem non dormit; ſed huic oppono, mi Ieſu, memoriam abundantiæ ſuavitatis tuæ, quam exhibuiſti Davidi graviter peccanti: Adulteræ, Proditori, Mariæ peccatrici, Petro neganti, Chananeæ clamanti, Latroni ſeditioſo pendenti, ipſis etiam Crucifixoribus tuis. Sperent ergo in te, qui noverunt nomen tuum, quoniam non derelinquis quærentes te Domine, imo qui etiam non quærentes invitas.

Erravi, ſicut ovis quæ periit. Doleo ex intimo corde, ob amorem tui. Et utinam nunquam offendiſſem te, utinam deinceps non offenderem in æternum. O quis mihi tribuat, ut ſim juxta menſes priſtinos, & ſecundum dies, in quibus fruebar adhuc paterna dulcedine vultus tui! verumtamen nunc etiam reſpice in me, & miſerere mei, quia unicus & pauper ſum ego; ſuſcipe ſervum tuum in bonum, quo enim ultra fugiam à facie tua? Nuſquam mihi bene fuit ſine te, poſtquam fui profugus à te. Ne projicias me à facie tua, nec ſimul tradas me cum peccatoribus. Sacrificium tibi ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum non deſpicias. Qui ſcrutaris cor & renes, tu noſti deſiderium cordis mei, & gemitus meus à te non eſt abſconditus.

CHRISTVS. Numquid oblivi ſci poteſt mater infantem ſuum, ut non miſereatur filio uteri ſui! & ſi illa oblita fuerit, ego non obliviſcar tui: ego enim dedi animam meam pro te, & lavi te in ſanguine meo: ſi fuerint peccata tua ut coccinum, quaſi nix dealbabuntur, & ſi fuerint rubra quaſi vermiculus, velut lana alba erunt.

HOMO. O quam bonus & ſuavis eſt Domine ſpiritus tuus in omnibus! Benedic anima mea Domino, & noli obliviſci omnes retributiones ejus: qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui ſanat omnes infirmitates tuas, qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in miſericordia & miſerationibus, qui replet in bonis deſiderium tuum; renovabitur ut aquilæ juventus tua. Gratias tibi ago Domine ex intimis medullis animæ meæ, quia vitam & miſericordiam hucuſque dediſti mihi, nec in ipſis peccatis, ut quidem poteras, perdidiſti, ut nimirum bonitas tua ad pœnitentiam me adduceret.

§. II. *Altera pœnitentiæ pars*, Confeſſio.

CHRISTVS. Sed, ut plenius reſtituaris gratiæ meæ, poſtquam confeſſus es adverſus te injuſtitiam tuam mihi,

vade & oſtende te quoque Sacerdoti, cui poteſtatem dedi ligandi atque ſolvendi. Qui enim abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur: qui autem confeſſus fuerit & reliquerit, miſericordiam conſequetur. Fili, pro anima non confundaris dicere verum. Eſt enim confuſio adducens peccatum; & eſt confuſio adducens gloriam. Aperi itaque vicario meo integre,& ſincere conſcientiam tuam, & ille tibi cœlum aperiet; ad hoc enim traditæ ſunt illi claves regni cœlorum.

Quid erubeſcis coram homine, tui ſimili & peccatore dicere, quod non erubuiſti coram me facere? ubicunque enim es, ſemper apertus es oculis meis, qui contemplantur in omni loco bonos & malos. Faceſſat ergo hic pudor: tunc ſolum utilis, cum vis peccare: noxius, cum vis pœnitere. Quid enim eſt celare peccata, niſi vulnera tegere, & neceſſarium medici manum nolle admittere, donec computreſcant à facie inſipientiæ tuæ. Siccine pluris tibi eſt honor tuus, quam ſalus tua? & propalari times apud unum hominem tui ſimilem, poſtea coram toto mundo accuſandus & damnandus?

Quid facies miſer in die illa tremenda, quando revelabo abſcondita tenebrarum, & manifeſtabo conſilia cordium? & nihil occultum erit, quod non ſciatur? & quod in tenebris dictum geſtumque eſt, in lumine coram toto orbe patebit? non ergo pudeat dicere, quod non puduit facere.

O quam multis ſacramenta mea, vaſa gratiæ & ſalutis, intempeſtivi pudoris vitio fiunt lapis offenſionis, & petra ſcandali! Sed tu vince hunc præpoſterum pudorem, & humilia te coram Sacerdote, quem vice mea delegavi tibi, uti medicum & conſiliarium. Dic iniquitates tuas, ut juſtificeris.

HOMO. Dixi, Confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino, quin & Homini,quem loco tui veneror. tu Domine remitte impietatem peccati mei. Homo

ſum,

ſum, & ſcio, quia non habitat in carne mea bonum; & ſi dixero, quia peccatum non habeo, mendax ſum; & me ipſum ſeduco. Errare, labi, ignorare, decipi, hoc meum eſt; cur negem aut diſſimulem? cur innocentior aut ſanctior apud hominem videri velim; quam tu me eſſe noſti: qui vides intima quæque cordis mei? aperiam potius illi candide omnia vulnera mea; ut ita facilius curer ab illo; quem ut deſtinatum à te mihi medicum agnoſco.

§. 12. *Fuga occaſionum & recidivæ.*

CHRISTVS. Fili peccaſti,ne adjicias iterum. Sed & de priſtinis deprecare,ut tibi dimittantur. Rediens ergo à Confeſſione, jam velut totus in Iordane, id eſt, balneo ſanguinis mei, mundatus es à lepra peccatorum tuorum: vide ergo ne revertaris velut ſus ad volutabrum, aut inſtar canis ad vomitum: ecce jam ſanus factus noli amplius peccare,ne quid deterius tibi contingat. Facilis relapſus, argumentum eſt pœnitentiæ minus ſeriæ.

Propone ergo firmiter, omnia prius pati, quam me rurſus offendere. ad hoc vero plurimum tibi proderit, noſſe in quod vitium feraris proclivius. item quibus peccandi occaſionibus labi ſoleas frequentius, ut hic te potiſſimum munias, ubi te infirmiorem, & magis periculo obnoxium deprehenderis.

Diligenter vero, & non obiter ipſam ſcrutare radicem,à qua una fere pullulant omnes illæ ſpinæ,tribuli, & noxia germina animæ tuæ. Illam ergo ſi excideris, aut ſaltem repreſſeris, multum profeciſti.

Verum hæc res ſerio à paucis agitur, hinc hærent ſemper in eodem luto, accuſant conſcientiam, non ſanant. Deponunt peccata ſua, & proponunt meliora; ſed mox redeunt ad vomitum. Nunc deflent commiſſa, & paulo poſt rurſus deflenda committunt: atque hunc ludum omni fere vita mecum ludunt, donec mors inex-

inexſpectata eos rapiat, & demergat in profundum; & puteus inferni ſuper eos urgeat os ſuum.

Cave, ô homo, ne imiteris eos qui ſic abutuntur patientia ac longanimitate mea: & toties gratiam meam in vacuum recipiunt; rurſum crucifigentes ſibimetipſis Filium Dei, & oſtentui habentes. Dico tibi, difficile eſt eos rurſus renovari ad pœnitentiam. Terra enim ſæpe venientem ſuper ſe bibens imbrem, & generans herbam opportunam illis, à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo. Proferens autem ſpinas, ac tribulos, reproba eſt; & maledicto proxima; cujus conſummatio eſt in combuſtionem. Nonne etiam homo hominem à quo ſæpius offenditur, tandem prorſus excludit à gratia & amicitia ſua?

HOMO. Heu Domine, lætatus ſum paulo ante in his quæ dicta ſunt mihi à te ad conſolandum me. Sed nunc rurſus verba profers terrore & amaritudine plena. Quid dicam, Domine mi? Confundor & erubeſco levare faciem meam ad te, quoniam iniquitates meæ multiplicatæ ſunt ſuper caput meum. Nam & ego vilis factus ſum nimis, toties iterans vias meas, & canis abominabilis oculis tuis, toties reverſus ad vomitum. Quo ibo à ſpiritu tuo, & quo à facie tua fugiam?

CHRISTVS. Quo, mi homo, niſi ad ejus miſericordiam, cujus potentiam peccando contempſiſti. Nemo veſtrûm recte fugit à me, niſi ad me: à mea ſeveritate ad meam bonitatem. Quis enim locus te excipiet fugientem, ubi me non invenies præſentem? Iſta autem ingerens tibi, ſi contriſtavi te ad pœnitentiam; bene quidem. Quæ enim ſecundum Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur. Hoc unum moneo te, ut aliorum periculo & damno ſapias; qui ore quidem confitentur peccata ſua; cor autem eorum non eſt rectum cum Deo; quin ſemper eadem repetunt, & ſic tandem pereunt.

Quam

Quam facile eſſet multis effugere peccata, ſerio ſi vellent pericula fugere? Nimis proni ad mala ſunt ſenſus hominis ab adoleſcentia ſua; & tu inter ipſas occaſiones, ſeu incentiva peccandi illæſus tranſibis? Numquid poteſt homo abſcondere ignem in ſinu ſuo, ut veſtimenta illius non ardeant? aut ambulare ſuper prunas, ut non comburantur plantæ ejus? ecce David, Salomon, Petrus, aliique plures ſapientia & ſanctimonia celebres erant; his tamen occaſio in ruinam fuit, unde & tibi in exemplum humanæ fragilitatis, & cautelæ proponuntur. Illi enim tam facile lapſi docent te quoque labi poſſe; & tu audeas tibi fidere, & in mediis periculis ſecuritatem promittere? beatus homo, qui ſemper eſt pavidus.

§. 13. *Bonum propoſitum.*

HOMO. Iuravi & ſtatui cuſtodire judicia juſtitiæ tuæ. Sed quid ego poſſum facere ſine te? fruſtra ego propono, niſi tu gratiam apponas, & operi manuum mearum porrigas dexteram. Volo ego quidem ſervire tibi, ſed ſine te non valeo; tu ergo, qui dediſti velle, da perficere. Confirma hoc Domine, quod operatus es in me, nec projicias me à facie tua, & Spiritum ſanctum tuum ne auferas à me. Confige Timore tuo carnes meas, & Amore tui vulnerea cor meum, ut his velut duobus pedibus ambulem jugiter in ſemita mandatorum tuorum.

§. 14. *Tertia Pœnitentiæ pars,* Satisfactio.

CHRISTVS. Ambula coram me, & ego ero tecum, in omnibus viis tuis, & dirigam greſſus tuos. Sed, an neſcis, peccatori, quantum ſe glorificavit, & in delitiis fuit, tantum illi deberi tormentum? nonne æquum eſt, ut pro menſura delicti, ſit & plagarum modus? tu, ſi ſapis, præverte ſententiam Iudicis; & in temetipſum animadverte: ne forte tandem mittaris in carcerem, non exiturus inde, donec reddas noviſſimum quadrantem.

Facilius eſt, modo divinæ juſtitiæ ſatisfacere, dum adhuc tempus eſt miſericordiæ & dies ſalutis: facilius hic ſolvere delicta, quam reſervare in illud tempus, cum ego juſtitias judicabo.

Itaque convertere ad me in toto corde tuo, in *jejunio*, in fletu, & planctu. Voluptates quidem & carnis delitias ſequendo ſæpius offendiſti me; nonne æquum eſt, ut caſtiges corpus tuum, & in ſervitutem redigas, ut ſicut caro læta te traxit ad culpam, ſic afflicta reducat ad veniam?

Sed & *Oratio* humilium & manſuetorum mihi ſemper placuit, meque permovit ut propitius fierem peccatis eorum. Eandem ergo & tu ſerio adhibebis, ut ego tanquam verus Pontifex & advocatus ad dexteram Patris interpellem pro te, & pretium ſanguinis mei, & merita paſſionis meæ, quibus ſatisfeci pro peccatis totius mundi, offeram æterno Patri meo.

Eleemoſynis quoque redime peccata tua: nihil æque me flectit ad miſericordiam, quam ſi videam vos egenis & afflictis fraternæ charitatis affectu miſereri. Si vero iis miſericordiæ viſcera clauſeris, & eorum clamorem audire neglexeris, vide ne ipſe aliquando clames, & non exaudiaris. Vis ergo ſatisfacere pro peccatis tuis? Ecce, bona eſt Oratio cum Iejunio, & Eleemoſyna.

Porro Satisfactio omnium optima, mihi gratiſſima, tibique utiliſſima eſt, adverſus ipſa vitia, & vitiorum radices omnem pœnitentiæ vim dirige. Itaque ad illa virtutum exercitia ſerio, ac potiſſimum te convertе, quæ ipſos vitioſos animi tui affectus magis oppugnent; quæque magis moleſta ſint carni, qua parte pronior eſt ad peccandum. Nam quorſum pedi malagma admoves, dum ſaucium caput remedium poſcit? Sua cuique morbo, ſic & vitio remedia ſunt. Pœnitentiam certam non facit, niſi odium peccati, quando ſic pœnites, ut tibi amarum ſapiat in animo, quod antea dulce

dulce fuit in corpore, tunc vere pœnites, & me tibi concilias.

Sed dura tibi forte videntur, quæ moneo; at duriora ſunt iſta à quibus te per hæc monita præſervari cupio. Attamen, dic mihi, nonne tu hactenus duriora pro mundo, & carne tua paſſus es? quod illis placuit, quod Satan ſuggeſſit, feciſti prompte & alacriter; quod ego præcepi, conſului, rogavi, per amorem & ſanguinem meum, ut mortificationem meam circumferres in corpore tuo, reſpuiſti. An fallor?

Ecce ego arguam te, & ſtatuam contra faciem tuam. Nonne ſi ſpes aliqua lucri, honoris aut præeminentiæ affulſiſſet tibi, mox omnem moviſſes lapidem, longiſſima itinera, terra marique ſuſcepiſſes? Si morbo correptus fuiſſes, omnem potius ſubſtantiam erogaſſes in medicos, ferrum & ignes paſſus eſſes, quam vitæ periculum ſubiſſes. Si ab alio injuria, damno aut contumelia læſus fuiſſes; quid non feciſſes pro commodo, fama & honore tuendo? At vero, ut mihi placeres, quam exiguum eſt, quod egiſti? Vere, ſi laboraſſes modicum, inveniſſes multam tibi requiem; & ſi decimam partem eorum, quæ feciſti pro ſæculo, feciſſes pro cœlo; ſalvus utique & beatus viveres: nam jugum meum ſuave, & onus meum leve.

Verum credere iſtud vix poteras; quid mirum? non guſtabas, quam ſuavis ſit Dominus, nec ſapiebas ea, quæ ſurſum ſunt; utpote ineſcatus his, quæ ſunt ſuper terram. Sed quem fructum habes ex illis, in quibus nunc erubeſcis, quorum finis mors eſt? Liberatus autem à peccato, ſervus factus es juſtitiæ; ſicut ergo exhibuiſti membra tua ſervire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc ea exhibe ſervire juſtitiæ in ſanctificationem, & tunc cognoſces, quam ſuavis & bonus ſim ego, his qui recto ſunt corde.

HOMO. Vere Domine, ubi converto me ad omnia,

in quibus hactenus fruſtra ſudavi, nihil video in omnibus, niſi vanitatem & afflictionem animi; & nihil permanere ſub ſole. Tu autem Domine in æternum permanes. Quid ergo? Tibi, ô Domine, adhærere deinceps mihi bonum eſt, & ponere in Te VNO ſpem meam. & quid me ſeparabit à Charitate tua? utinam hoc nec vita, nec mors, nec ulla creatura valeat. Sed quomodo veniam ad te, & uniar tibi, niſi traxeris me in funiculis charitatis tuæ? Trahe me, quæſo, ut curram ad te velut cervus ad fontes aquarum. Adjuva me propter gloriam nominis tui, quia tu es Deus Salvator meus.

Prolixius excurrit hoc colloquium quam ab initio deſtinaveram. Sed quid refert? paulo accuratius ea materia tractari debuit, cujus uſus quotidianus eſt, maximeque neceſſarius. nam quotidie peccamus. Et hæc diligentius expendiſſe fortaſſe proderit, ut non tam ſæpe, aut certe, non fœde peccemus.

LITANIÆ POENITENTIVM,

Ex Sacra Scriptura collectæ.

Quarum uſu excitatur Peccatoris animus ad ſpem indulgentiæ, & ſtudium Pœnitentiæ.

KYRIE ELEISON. Chriſte eleiſon.
Kyrie eleiſon.
Chriſte audi nos. Chriſte exaudi nos.
Pater de cœlis DEVS, miſerere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miſerere nobis.
Spiritus ſancte Deus, miſerere nobis.
S. Trinitas unus Deus, miſerere nobis.

PARS I.

Deus qui non vis mortem peccatoris, ſed magis ut convertatur & vivat, — Miſer. nob. — *Ezech.* 33.
Qui Angelis peccantibus non pepercisti, ſed in tartarum cruciandos detruſiſti, — Miſer. nob. — 2 *Pet.* 2.

Qui

Qui Adam poſt lapſum ad agnitionem culpæ & reſipiſcentiam vocaſti, *Gen.* 3.
Qui impium Cain de venia deſperantem à facie tua projeciſti, *Gen.* 4.
Qui Noë diluvio & impiorum exitio per Arcam clementer eripuiſti, *Gen.* 7.
Qui Loth de medio peccatorum eduxiſti, *Gen.* 19.
Qui Pharaonem ficte pœnitentem & induratum, tandem horribiliter puniviſti, *Exod.* 14.
Qui populum Iſraël de tribulatione ad te clamantem, è dura Pharaonis ſervitute liberaſti, *Ibid.*
Qui Moyſi quadraginta diebus jejunanti legem in monte dediſti, *Exod.* 34.
Qui precibus Moyſis, populi prævaricantis peccata dimiſiſti, *Exod.* 32.
Qui Ionam ex ventre ceti ad te clamantem ſalvaſti, *Ion.* 2.
Qui Ninivitis in jejunio, ſacco, & cilicio pœnitentibus peperciſti, *Ion.* 3.

Miſerere nobis.

I.I.

Qui Davidem per Nathan ad agnitionem culpæ venire feciſti, 2 *Reg.* 12.
Qui Davidis confitentis, & in cilicio pœnitentis peccatum tranſtuliſti, 2 *Reg.* 12.
Qui eidem ob peccatum numerati populi, trium plagarum optionem detuliſti, 2 *Reg.* 24.
Qui Achab humiliato & pœnitenti peperciſti, 3 *Reg.* 21.
Qui Iudith in cilicio & cinere pro ſalute populi deprecantem exaudiſti, *Iudith* 9.
Qui Ezechiam cum populo in ſacco, cinere, & jejunio te invocantem ab exercitu Aſſyriorum liberaſti, 4 *Reg.* 19.

Qui-

Qui Manaſſem pœnitentem exaudiſti, & in regnum ſuum reſtituiſti, *2 Par.* 33.
Qui Eſther jejunantem in oculis Regis Aſſueri gratiam invenire feciſti, *Eſth.* 14.
Qui Mardochæum in ſacco & cinere te invocantem à patibulo liberaſti, *Ibid.* 16.
Qui Machabæis jejunantibus, & in ſacco & cinere te invocantibus auxilio fuiſti, 1 *Mach.* 3.
Qui Sacerdotes pro populo plorare, orare & ſacrificare juſſiſti, *Ioel.* 2. *& alibi.*

III.

Qui veniſti in hunc mundum peccatores ſalvos facere, 1 *Tim.* 1.
Qui redempturus mundum, Ioannem pœnitentiæ præconem præmiſiſti, *Matth.* 3.
Qui eundem victus, & veſtitus aſperitate mirabilem, ſpeculum pœnitentiæ dediſti, *Ibid.*
Qui quadraginta diebus & totidem noctibus jejunaſti, *Matth.* 4.
Qui dives in miſericordia, propter nimiam charitatem qua dilexiſti nos, cum eſſemus mortui peccatis, convivificaſti nos in Chriſto, *Eph.* 2.
Qui Matthæum in telonio ſedentem tua gratia prævenſti, *Matth.* 9.
Qui Publicanum cum dolore & humilitate pectus percutientem, juſtificationis gratia donatum teſtatus es, *Luc.* 18.
Qui Paralyticum, dimiſſis primum peccatis, à morbo liberaſti, *Luc.* 5.
Qui Filii prodigi ad Patrem revertentis exemplo, peccatoribus ſpem veniæ & indulgentiæ præbuiſti, *Luc.* 15.

Miſerere nobis.

Qui

Qui Mulieri Samaritanæ fontem aquæ vivæ patefeciſti, *Ioan.* 4.
Qui Zachæi pœnitentis, & aliena reſtituentis domui ſalutem attuliſti, *Luc.* 19.
Qui Chananæam in oratione perſeverantem benigne exaudiſti, *Matt.* 15.
Qui mulierem in adulterio deprehenſam clementer abſolviſti, *Ioan.* 8.
Qui publicanos & peccatores recepiſti, & cum eis manducaſti, *Luc.* 5, & 15.
Qui Mariæ Magdalenæ multum diligenti peccata multa dimiſiſti, *Luc.* 7.
Qui Petrum ter negantem benigne reſpiciens, ad agnitionem criminis & lacrymas pœnitentiæ permoviſti, *Luc.* 22.
Qui latroni pœnitenti, pendens in cruce, Paradiſum promiſiſti, *Luc.* 23.
Qui peccatum non feciſti, & peccata noſtra in corpore tuo ſuper lignum pertuliſti, *1 Petr.* 2.
Qui attritus es propter ſcelera noſtra. *Iſai.* 53.

Miſerere nobis.

I V.

Qui diligis omnia, quæ ſunt, & nihil odiſti eorum quæ feciſti, *Sap.* 11.
Qui quaſi aurum in fornace probas Electos tuos, *Sap.* 3.
Qui das locum & tempus pœnitentiæ in peccatis, *Sap.* 12.
Qui flagellas omnem filium quem recipis & diligis, *Hebr.* 12.
Qui quos amas, arguis, & caſtigas, *Apoc.* 3.
Qui non vis aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti, *2 Petr.* 3.
Qui veniſti quærere & ſalvum facere quod perierat, *Luc.* 19.

Qui

Qui miſereris omnium, & diſſimulas peccata hominum propter pœnitentiam, — *Sap.* 11.
Qui factus es propitiatio pro peccatis noſtris, — 1 *Ioan.* 2.
Qui peccatorum in jejunio, fletu, & planctu ſe ad te convertentium miſereris, — *Ioël* 2.
Qui miſericordiam vis & non ſacrificium, — *Luc.* 5.
Qui non veniſti vocare juſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam, — *Ibid.*
Qui benignitate tua nos ad pœnitentiam adducis, — *Rom.* 2.
Qui Paulum perſequentem ac devaſtantem Eccleſias mirabiliter vocaſti, — *Act.* 9.
Qui eundem triduo jejunantem & orantem illuminaſti, — *Ibid.*
Qui poſt pœnitentiam, omnium peccatorum noſtrorum non recordaris amplius, — *Ezech.* 18.
Deus benigne, miſericors, patiens, & multæ miſericordiæ, & præſtabilis ſuper malitia. — *Ioël* 2.

Miſerere nobis.

V.

Propitius eſto, Parce nobis Domine.
Ab omni malo, libera nos Domine.
Ab omni peccato, libera nos Domine.
A ſubitanea mala morte, libera nos Domine.
Per Baptiſmum & ſanctum jejunium tuum, libera nos Domine.
Per labores & dolores tuos, libera nos Domine.
Per ſanguinem tuum, quem in remiſſionem peccatorum noſtrorum effudiſti, libera nos Domine.
In die tribulationis, & anguſtiæ, & tremendi judicii tui, libera nos Domine.

VI. Pec-

V I.

Peccatores, Te rogamus audi nos.

Vt ad veram pœnitentiam nos perducere digneris,

Vt nos ipſos dijudicare, & judicium tuum evadere poſſimus, 1 *Cor.* 11.

Vt dignos pœnitentiæ fructus tempeſtive faciamus, *Matth.* 3.

Vt ſicut exhibuimus membra noſtra ſervire immunditiæ & iniquitati, ſic ea nunc exhibeamus ſervire juſtitiæ ad ſanctificationem, *Rom.* 13.

Vt non demus ultra locum Diabolo, nec Sol unquam occidat ſuper iracundiam noſtram, *Epheſ.* 4.

Vt abnegantes impietatem & ſecularia deſideria, ſobrie, juſte, & pie vivamus, *Tit.* 2.

Vt caſtigemus corpora noſtra & in ſervitutem redigamus, 1 *Cor.* 9.

Vt non regnet peccatum in mortali noſtro corpore, *Rom.* 6.

Vt non exhibeamus membra noſtra arma iniquitatis, *Ibid.*

Vt non diligamus mundum, neque ea quæ in mundo ſunt, 1 *Ioan.* 2.

V I I.

Vt non conformemur huic ſeculo, ſed reformemur in novitate ſenſus noſtri, *Rom.* 12.

Vt non plus ſapiamus, quam oportet, ſed ſapiamus ad ſobrietatem, *Ibid.*

Vt non inebriemur vino in quo eſt luxuria, *Epheſ.* 4.

Vt tanquam vera Chriſti membra carnem noſtram crucifigamus cum vitiis & concupiſcentiis, *Gal.* 5.

[Response to each petition above, printed vertically beside the brace:] Te rogamus audi nos.

Vt

Vt omnis ſermo malus ex ore noſtro non procedat, ſed ſi quis bonus ad ædificationem fidei, *Eph.* 4.
Vt omnis amaritudo, ira & indignatio tollatur à nobis, *Ibid.*
Vt non efficiamur inanis gloriæ cupidi, *Ibid.*
Vt deponamus veterem hominem cum actibus ſuis, & novum induamus in juſtitia & ſanctitate veritatis, *Ibid.*
Vt non ſecundum carnem vivamus; ſed ſpiritu facta carnis mortificemus; *Rom.* 8.
Vt divitias bonitatis, patientiæ, & longanimitatis tuæ nunquam contemnamus, *Rom.* 2.
Vt adeuntes ad thronum gratiæ cum fiducia, miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno, *Hebr.* 4.
Vt induti armaturam Dei poſſimus ſtare adverſus inſidias Diaboli, *Eph.* 6.
Vt cum metu & tremore, ſalutem noſtram operemur, *Phil.* 2.
Vt omnia detrimentum arbitremur propter Chriſtum, *Phil.* 3.
Vt peccatis mortui, juſtitiæ vivamus, 1. *Petr.* 3.
Vt per multas tribulationes hujus ſeculi, nos in regnum Dei introire concedas, *Act.* 14.
Vt nos hic urere & purgare & in æternum parcere digneris,
Vt nos exaudire digneris,
Fili Dei,

} Te rogamus audi nos.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miſerere nobis.
Chriſte audi nos. Chriſte exaudi nos.
Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.
Pater noſter.

℣. Et

℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo.

℣. Domine non ſecundum peccata noſtra facias nobis. ℟. Neque ſecundum iniquitates noſtras retribuas nobis.

℣. Domine ne memineris iniquitatum noſtrarum antiquarum. ℟. Cito anticipent nos miſericordiæ tuæ, quia pauperes facti ſumus nimis.

℣. Adjuva nos Deus ſalutaris noſter. ℟. Et propter gloriam nominis tui Domine, libera nos, & propitius eſto peccatis noſtris propter nomen tuum.

℣. Ab occultis meis munda me Domine. ℟. Et ab alienis parce ſervo tuo.

℣. Ne memineris Domine delicta noſtra, vel parentum noſtrorum. ℟. Neque vindictam ſumas de peccatis noſtris.

℣. Ne tradas Domine beſtiis animas confitentium tibi. ℟. Et animas pauperum tuorum ne obliviſcaris in finem.

℣. Domine averte faciem tuam à peccatis meis. ℟. Et omnes iniquitates meas dele.

℣. Redde mihi lætitiam ſalutaris tui. ℟. Et ſpiritu principali confirma me.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

DEus qui nullum reſpuis, ſed quantumvis peccantibus per pœnitentiam pia miſeratione placaris: reſpice propitius ad preces humilitatis noſtræ, ut tua valeamus implere præcepta.

DEus qui juſtificas impium, & non vis mortem peccatoris; majeſtatem tuam ſuppliciter deprecamur, ut nos famulos tuos de tua miſericordia confidentes cœleſti protegas benignus auxilio, & aſſidua protectione

ne conſerves; ut tibi jugiter famulemur, & nullis tentationibus à Te ſeparemur.

DEus qui non mortem ſed pœnitentiam deſideras peccatorum, fragilitatem conditionis humanæ benigniſſime reſpice, & conatus noſtros pietate tua proſequere, ut per immenſam miſericordiam tuam peccatorum noſtrorum veniam, in tuo ſervitio conſtantiam, & tandem præmia perſeverantibus promiſſa feliciter conſequamur. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, *&c.*

CAP. III.

VARIÆ ORATIONES Pœnitentium.

Orationes adverſus ſeptem Vitia Capitalia; quæ ſingula ſingulis Pſalmis Pœnitentialibus ſubjungi poſſunt.

I. *Adverſus* SVPERBIAM.

DOmine Ieſu Chriſte, mitis & humilis corde, qui à teipſo nos Humilitatis documentum ſumere, verbo & exemplo juſſiſti; nam cum in forma Dei eſſes æqualis Æterno Patri, formam ſervi accipiens, humiliaſti temetipſum; factus obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis;

Tolle à nobis omnem ſuperbiam, mentiſque tumorem; ut nulla in re gloriantes, præterquam in Te, neminemque deſpicientes, ſubmiſſe de nobis ſentiamus: Teque ſolum humili corde laudemus. Et ſi quid boni habere videmur; non à nobis, ſed à Te deſcendere, perenni omnium bonorum fonte, agnoſcentes, non nobis, ſed nomini tuo gloriam perpetuo demus. Amen.

II. *Ad*

II. *Adverſus* AVARITIAM.

LIberaliſſime Deus, qui bonorum noſtrorum non eges; & bona tua nobis tam abunde largiris; ſed & de bonis ad uſum vitæ conceſſis, nos liberales erga proximos inopes eſſe jubes: ideóque eleemoſynas & charitatis opera nobis aſſidue commendas: Inclina cor noſtrum in teſtimonia tua, & non in Avaritiam; Da nobis temporalia pro nomine tuo libenter tribuere, & liberaliter communicare.

Cupiditatem vero, quæ omnium malorum radix eſt, à cordibus noſtris evelle: Vt aliena non appetentes, propria autem, non ex triſtitia, aut neceſſitate, ſed plena manu pioque animo largientes, ſicut hilares datores à te diligi, paratumque à conſtitutione mundi regnum percipere valeamus. Amen.

III. *Adverſus* GVLAM.

DOmine Ieſu, Abſtinentiæ ſpeculum, qui ut ſalutarem abſtinentiam nobis verbo & exemplo commendares, carnis noſtræ mortalitate aſſumpta, quadraginta diebus & totidem noctibus jejunaſti: & non in ſolo pane, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei, hominem vivere docuiſti: Da faucibus noſtris mellifluum eloquiorum tuorum guſtum, quæ ſunt dulciora ſuper mel & favum: Vt ciborum lautitiem, & omnia Gulæ irritamenta reſpuentes, ſobrie & pie vivamus in hoc ſeculo: & ſimplici victu, eoque moderato contenti, dona tua cum gratiarum actione ſumamus; nec deo ventri, ſed tibi Deo viventi, & nos tam benefice paſcenti ſerviamus. Amen.

IV. *Adverſus* LVXVRIAM.

DOmine Ieſu Chriſte, caſtarum mentium cuſtos, & pudicitiæ amator, qui ut munditiã tibi maxime pla-

cere oſtenderes, ex puriſſimæ Virginis Matris utero carnem humanam aſſumere dignatus es; Reſpice propitius fragilitatem noſtram. Cor mundum in nobis crea; & ſpiritum rectum innova in viſceribus noſtris. Et da nobis carnis concupiſcentiam continentiæ freno cohibere; omnia libidinis incentiva vincere, & carnem ipſam timore tuo configere: ut hoc domeſtico hoſte devicto, tibi caſto corpore ſerviamus, & mundo corde placeamus. Amen.

V. *Adverſus* INVIDIAM.

IEſu amantiſſime, charitatis exemplar, qui amore Dei & proximi, univerſa legis præcepta concludis: Da nobis te Deum & Redemptorem, ex toto corde, ex tota anima, menteque tota diligere; quando tu tantopere nos prior dilexiſti, ut animam tuam pro nobis dederis.

Deinde ut proximos noſtros ex intimis amemus viſceribus, effice: illumque ſolum odio habeamus, cujus invidia mors introivit in orbem terrarum: ut de proximorum proſperitate gaudentes, eorumque adverſitati condolentes, de nullius infelicitate lætemur. Sed omnibus Invidiæ ſtimulis repulſis, ad te, qui vera charitas es, perveniamus. Amen.

VI. *Adverſus* IRAM.

MItiſſime Ieſu, qui ut agnus manſuetus, qui portatur ad victimam, & ſicut ovis ad occiſionem ductus, non aperuiſti os tuum, ſed tractus, illuſus, conſputus, percuſſus, & denique Cruci affixus, non modo malum pro malo non reddidiſti; ſed inſuper pro transgreſſoribus Deum Patrem oraſti: Inſere quæſo cordibus noſtris manſuetudinis & patientiæ virtutem; ut Iræ furorem comprimentes, manſueto corde malum in bono vincamus, & inimicos noſtros diligamus: quo beneficentiâ noſtra, tanquam ardentibus prunis incenſi, ad mutuum inflammen-

men-

nentur amorem, atque ita unanimes uno ore, ac fraterna charitate honorificemus te Patrem noſtrum in terris, & tandem aſſequamur in cœlis. Amen.

VII. *Adverſus* ACEDIAM.

DOmine Ieſu, qui nullum fugiens laborem, noſtri cauſa fatigatus ex itinere, ſæpius eſuriſti, ſitiſti, variaque pertuliſti incommoda: ſed & in oratione frequens pernoctaſti: Expelle à corde & corpore noſtro omnem deſidiam & torporem; ut ad tibi ſerviendum in vigiliis, jejuniis, & orationibus prompti ſimus & alacres; ac nos totos ad tuam gloriam, & proximorum ſalutem exponamus: ut non dormitet anima noſtra præ tædio, ſed viam mandatorum tuorum alacriter curramus, ubi dilataveris cor noſtrum, per amorem tui & proximi ne forte tepiditas noſtra aliquando nauſeam tibi moveat, & incipias nos evomere ex ore tuo.

Accende igitur in nobis, ignem tuæ charitatis, noſtramque imbecillitatem perfice, ut in te, & à te corroborati, per bona opera vocationem noſtram certam facere ſatagamus; & quodcumque poteſt manus noſtra, inſtanter operetur; ut tibi ſoli placeamus; & tu ſis tandem merces noſtra magna nimis. Amen.

Tres breves & nervoſæ Orationes pro remiſſione peccatorum & emendatione vitæ. Ex precibus German. P. Caniſii.

ORATIO I.

O Dulciſſime Domine Ieſu Chriſte, ego indignus peccator admoneo Te omnium ſanctarum cogitationum, quas unquam ab æterno hucuſque habuiſti, & illius maxime, qua tu, ô Verbum Æternum Homo FIERI cogitaſti. Admoneo Te quoque omnium piarum cogitationum, quas unquam pro tui nominis honore ſancti in cœlis, piique homines in terris habuerunt, aut deinceps habebunt.

 O cle-

O clementiſſime Domine, precor ex intimo corde, ut tu viciſſim ignoſcas mihi omnes vanas, turpes, & malas cogitationes, quas hucuſque contra aut præter tuam voluntatem habui, aut ut alii haberent, quomodocunque cauſſa fui. *Pater noſter. Ave Maria.*

ORATIO II.

O Piiſſime Domine Ieſu Chriſte, ego miſer peccator admoneo te omnium bonorum & ſalutarium verborum, quæ unquam locutus es ſuper terram, vel quæ ab aliis in nomine tuo unquam prolata ſunt, aut deinceps proferenda.

Rogo te humiliter ô bone Ieſu, dimitte mihi omnia verba quæ hucuſque contra divinam voluntatem tuam locutus ſum, aut ut alii loquerentur auctor fui. *Pater noſter. Ave Maria.*

ORATIO III.

O Suaviſſime Ieſu Chriſte, ego peccator indignus, ſed pretioſo ſanguine tuo redemptus, admoneo te omnium bonorum operum, quæ ſalutis noſtræ cauſſa operatus es in medio terræ, vel quæ unquam ab aliis in nomine tuo facta ſunt, aut poſthac facienda.

Obſecro te, piiſſime Domine, ignoſce mihi quidquid unquam malè agendo contra legem tuam, & nominis tui gloriam ignoranter, vel ſcienter commiſi, vel ut ab aliis committeretur cauſſa fui.

Porro ô benigniſſime Domine, omnes cogitationes meas, omnia verba, omnia opera, dirige & ordina ſecundum tuum divinum beneplacitum, ad laudem nominis tui; eaque juxta perfectiſſimum exemplar ſanctiſſimæ converſationis & vitæ tuæ conforma. Tuus ſum, & ero, ô Domine, vivens & moriens. in manus tuas, me & omnia mea commendo. *Pater noſter. Ave Maria.*

ORATIO

Pœnitentis, ex Eodem.

O Ieſu Chriſte, Salvator mundi, qui omnes peccatores clementer invitas, & quidquid ad te venerit, ıon ejicis foras, ſed benignè ſuſcipis, foves ac reficis, admoneo te illius immenſæ charitatis, qua te pro nobis ponte in cruce obtuliſti, & largiſſima pretioſi Sanguinis tui effuſione tam abundanter exſolviſti pretium ſalutis noſtræ, & expiaſti peccata mundi.

Per ſacratiſſimam & efficaciſſimam pœnitentiam tuæ ánctiſſimæ vitæ, & mortis innoxiæ rogo te ſupplex, ıt ignoſcas mihi omnia peccata mea, quemadmodum ɹromptè Latroni in cruce pendens ignoviſti, eique Paadiſum promiſiſti.

Projicio nunc omnia peccata mea in profunda & doɔroſa vulnera tua. Quidquid mihi deeſt de ſufficientia ontritionis & pœnitentiæ, hoc tu clementer ſupplere ıigneris ex divitiis ſatisfactionum & meritorum tuoum, & omnium dolorum, pœnarum ac laborum, quos in uo ſanctiſſimo corpore libens aſſumpſiſti, & uſque ad cerbiſſimam mortem pro nobis ſuſtinere voluiſti.

Et quemadmodum tu fons omnis clementiæ, ex mera haritate, & intimo cordis ſuſpirio pro inimicis tuis oraſti, imo ſanguinem quoque tuum pro tuis tortoribus fuiſti; ita me indignum fac quoque participem tuæ ſanctiſſimæ vitæ & paſſionis; ne pereat in me fructus ejus, ɔd omnibus liberatus peccatis, & dignis eorum ſuppliiis, me totum omnino ad te, & tui cultum & amorem onvertam.

Concede mihi ô ſumme clemens Salvator, ut te peccais meis nunquam amplius crucifigam, ſed virtute & meito crucis tuæ de præteritis peccatis meis ſincere doɔam, præſentes tentationes fortiter ſuperem, deinceps

viam crucis & pœnitentiæ teneam, & in bonis operibus in finem uſque perſeverem; Tibi enim vivere, & in te mori cupio.

Commendo tibi corpus & animam, & omnia mea, amicos quoque & benefactores meos, vivos & defunctos. O Ieſu fili David miſerere nobis, & fac nos omnes ſerio declinare peccata, & tua implere mandata, ad majorem tuam gloriam, & noſtram ſalutem. Amen.

ORATIO

Elegantiſſima S. Bernardi *pro remiſſione peccatorum.*

IN unione doloris tui, quo cauſſam doloris mei aſſumpſiſti, & emendationem pro peccatis meis ſuſcepiſti, Domine Ieſu Chriſte; cum univerſitate dolentium, & vere pœnitentium, & te in veritate quærentium, confiteor tibi omnia peccata mea, mala commiſſa, & bona omiſſa, vel non pure, aut negligenter facta, ſicut tu ea noſti in numero, pondere, & menſura, & dies perditos vitæ meæ, in quibus te offendi, & laudem tuam minui, & à te ſummo bono cecidi, & proximum ſimul in caſum traxi.

Suſcipe ergo Domine de mea miſera vita reſiduum annorum meorum. Pro his vero quos vivendo perdidi, quia perdite vixi, cor contritum & humiliatum Deus non deſpicias. Dies mei declinaverunt & perierunt ſine fructu; impoſſibile eſt enim ut revocem eos, ſed placeat tibi, ut recogitem eos in amaritudine animæ meæ.

Domine abyſſus profundiſſimæ miſeriæ meæ abyſſum invocat altiſſimæ miſericordiæ tuæ. Ne contineas in ira miſerationes tuas, & fontem inexhauſtæ miſericordiæ tuæ circa me exiccari non permittas propter peccata mea; qui miſereris omnium; & nihil odiſti eorum quæ feciſti, diſſimulans peccata hominum propter pœnitentiam.

Tuum eſt Domine remittere peccata, miſerere mei; quia

quia jam tempus eſt gratiæ & miſerationis. Et dum tempus eſt emendationis, da mereri gloriam benedictionis, ne in die conſummationis me feriat verbum maledictionis.

Fac me quæſo Domine aſſueta mala relinquere, & tibi placita opera agere, & ſtudium quod hucuſque in peccatis exercui, te adjuvante deinceps in tua voluntate exerceam, ut ubi abundavit delictum, tua gratia reabundet.

Et rogo te per temetipſum, & per amorem piiſſimæ Matris tuæ glorioſæ Virginis Mariæ, & per interceſſionem omnium Sanctorum, atque electorum tuorum, ut ignoſcas omnibus peccatis, negligentiis, & ignorantiis meis; & ne perdas me cum iniquitatibus meis, neque in finem iratus reſerves mala mea.

Recordare Domine Ieſu, quia tuum non eſt perdere ex eo quod Pater tuus dedit tibi; ſed tuum eſt proprium miſereri ſemper & parcere; neminem perdere, ſed ſalvare; quia Pater tuus miſit te in mundum, non ut judices mundum, ſed ut vitam habeamus per te: ut ſis pro nobis, non contra nos. Quod enim debuimus, tu ſolviſti; quod peccavimus, tu luiſti; quod neglexímus, tu ſuppleſti.

Proficiat ergo Domine nunc & in extremis meis plenaria, imo ſuperflua ſatisfactio tua: amara mors tua, & pretium fuſi ſanguinis tui, renovatio ſatisfactionis tuæ, venerabile myſterium Corporis & Sanguinis tui, quod tibi quotidie offertur in Eccleſia pro ſalute fidelium; in quo es tu ipſe Sacerdos & ſacrificium: ille qui offert, pariter, & cui offertur, & hoc ipſum quod offertur, ad promerendum in præſenti gratiam, quam non mereor; ad obtinendum in futuro requiem & gloriam, quam tua amariſſima mors impetravit.

Imperfectum meum Domine viderunt oculi tui, ſed tu pie, miſericors & præſtabilis ſuper malitia, ne imputes mihi ad æternum ſupplicium, qui omnia ad ſummum & perfectum bonum optime & perfectiſſime & ſapientiſſi-

me præordinaſti. & ne permittas me deleri de libro vitæ: ſed offer mihi portionem, quæ me contingit, in ſubſidium, tuæ videlicet pretioſæ Paſſionis, pro qua hominem voluiſti habere tibi cohæredem in terrra viventium.

Te igitur Domine moveat & inclinet ad miſericordiam humanæ fragilitatis conſideratio, quia noſti, quæ ſit hominis ſubſtantia, & quod non vane conſtitueris hominem ſuper terram. & conſerva me opus tuæ pietatis, ne incaſſum circa ipſum laboraveris, & ne infructuoſa ſit in me immaculati cruoris tui effuſio.

Tu qui es purificationem faciens peccatorum, præſta, ut emundatus à peccatorum ſordibus, & illuminatus acie mentis cognoſcam te;atque agnoſcens in directione cordis mei jugiter ad te tendam & aſpirem, ut felici tandem exitu ad te merear pervenire Ieſu Chriſte, qui cum Deo Patre in unitate Spiritus ſancti vivis & regnas in ſæcula ſæculorum. Amen.

Cap. IV.

ORATIO

Dominica,

Varie ad uſum Pœnitentium accommodata.

MODVS

Recitandi Orationem Dominicam cum reflexione mentis ad Parabolam Filii Prodigi; eliciendo affectus compunctionis; per ſequentia vel ſimilia ſuſpiria.

Ex P. Chriſt. Mayer in Induſt.

Pater noſter.

O Pater amantiſſime, qui majori affectu & cura ſolicitus es pro filiis tuis licet indignis, quam ullus pater, imo quam mater ulla pro filio uteri ſui; Heu quo deveni

deveni miſer ego culpa mea, & ſponte à tali Patre diſcedens; gratiamque ejus & bona mihi tam liberaliter conceſſa diſſipans! Eheu fovebar olim velut in ſinu dulciſſimi Patris mei; nutriebar in domo ejus, menſæ particeps eram; utpote filius, & nihil mihi deerat. Nunc verſor in regione longinqua, inter alienos, & ignotos peregrinus, exul, famelicus & nudus.

1. *Sanctificetur nomen tuum.*

Quot nominibus debui, quot modis potui, ſanctificare, redamare, & glorificare te Patrem infinitæ majeſtatis, potentiæ, ſapientiæ, bonitatis; tot beneficiis præventus, tot ſubſidiis munitus! Doleo, quod non fecerim! en ex hoc momento totis præcordiis meis quam intenſiſſime deſidero id facere in æternum.

2. *Adveniat regnum tuum.*

O quam ſtulte duram Mundi, Carnis, Diaboli tyrannidem elegi præ dulci jugo tuo! laſſatus jam in via iniquitatis & perditionis, quam avide rurſus aſpiro ad paternum regnum, ad regnum gratiæ, & gloriæ tuæ, ubi pax, & gaudium in Spiritu ſancto!

3. *Fiat voluntas tua.*

O quot malorum mihi cauſa extitit mea propria, perverſa voluntas, qua contra ſanctiſſimam tuam voluntatem ſic abuſus ſum, ad reatum pœnæ contrahendum, qua uti debebam ad augmentum gratiæ & gloriæ promerendum! non mea, ſed tua ſanctiſſimã voluntas deinceps ſemper, & in omnibus, de me, & à me fiat, ſicut fit à Beatis in cælo.

4. *Panem noſtrum.*

O Pater liberaliſſime, ſatians Electos tuos ab ubertate domus tuæ: à quibus ego nimis ſtulte ſegregavi me:

quanti mercenarii in domo Patris mei abundant panibus, & ego hic fame pereo! Heu nutriebar olim croceis, & pane filiorum; nunc vix ſiliquis porcorum inanem ventrem impleo. O utinam liceat mihi,ſi non ut filio,ſaltem ut mercenario rurſus veſci pane gratiæ tuæ!

5. Et demitte nobis.

En proſtratus coram te clamo: Pater, peccavi in cœlum, & coram te, jam non ſum dignus vocari filius tuus, fac me ſicut unum de mercenariis tuis. Doleo,quod unquam offenderim te: ignoſce, ſicut & ego ignoſco omnibus, propter te.

6. Et ne nos.

Recepiſti me nunc quidem Pater in gratiam cum oſculo pacis, conſtringis me brachiis charitatis; ſed noſti infirmitatem meam; obſecro, ne permittas me in æternum amplius ſeparari à te, & abire vagum in deſideria cordis mei.

7. Sed libera nos.

Præſerva, & libera me ab omnibus malis, hujus & futuræ vitæ, quatenus obſunt gloriæ tuæ & ſaluti meæ promovendæ, ut abſque impedimento tibi perfecte ſerviam in terris, & beate te fruar in cœlis, ubi excluſo omni malo, tu eris omnia in omnibus, & ſummum bonum diligentibus te in æternum. Amen.

ORATIO DOMINICA

adverſus ſeptem vitia Capitalia.

ORatio Dominica *piorum ſenſuum fœcundiſſima eſt,& quaſi Panoplia, ſeu mavis Panarion,adverſus peſtes & morbos animæ, qui omnes ex infauſta ſeptem vitiorum Capitalium radice pullulant. Contra hæc non incongrue adhibetur* ORATIO DOMINICA.

Unde

Vnde ſeptuplex iſthæc malignitas ſub figura Beſtiæ ſeptem capita habentis in Apocal. *deſcribitur, quæ cum abominabilis nimium, & homini infenſa ſit, nunquam ceſſat uno vel altero capitum nos impetere; & malitiæ ſuæ virus in nos diffundere, ita ut cum unum eliditur, alterum ſe erigat; quo debilitato, aliud convaleſcat; ac ſic ſibi invicem ſuccedant.*

Imo non raro ſimul velut agmine facto nos impugnant, prout homo ſalutis ſuæ non incurius ſubinde expertus novit.

Quare Salvator, qui hujuſmodi luctum nobis ad exercitium virtutis & meriti cumulum reliquit, opportunum nobis remedium ad manum dedit in Oratione ſua, quam ſeptem petitionibus, quaſi totidem telis inſtructam nobis tradidit, quibus ſingulis ſingula Beſtiæ illius capita configamus. Itaque dicendo,

Pater noſter qui es in cœlis;

LEva oculos tuos ad Deum, Patrem tuum, qui in cœlis habitat, & alta à longe cognoſcit; imo prope eſt omnibus invocantibus ſe, & his qui tribulato ſunt corde. Cogita ergo, quis & quantus in cœlis ſit adjutor tuus, quam potens & bonus; nempe Deus, & ipſe Pater tuus. Ne ergo time in hoc conflictu; confidens de paterno Dei in te affectu, cum Propheta; Dominus Protector vitæ meæ, à quo trepidabo? Et inprimis quidem dicens,

I. *Sanctificetur nomen tuum.*

Contra primum Beſtiæ caput, id eſt, SVPERBIAM, telum dirige:

Cum enim ſuperbia quæ initium eſt omnis peccati, inſtigat nos ad elationem animi, vel ſtudium proprii honoris, laudis, & excellentiæ; ſapienter hanc peſtem profligamus, ſi illi omnem laudem & gloriam deferamus, qui ſolus ex ſe vere ſanctus & magnus eſt: ideoque merito laudandus, ac glorificandus. Dicamus ergo, O *Pater noſter* cœleſtis, *ſanctificetur nomen tuum*, non noſtrum,

tuum,

tuum, inquam, *nomen* ſanctum agnoſcatur, glorificetur, & laudetur ab omnibus, & per omnia.

Hoc enim vere dignum & juſtum eſt; cum è contra nihil indignius ſit, quam ut ſe extollat, vel honorem & laudem appetat homo peccator, pulvis & cinis, putredo, & vermis, uſurpando ſibi, quod Dei ſolius eſt; cum dicat Apoſtolus, *Soli Deo honor & gloria.* Et Propheta humanam gloriam prorſus abhorreat, dicens, *Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam.*

Ergo ſimili affectu dicamus & nos, *Sanctificetur nomen tuum.* Quia ſi nos ipſi gloriam noſtram non quærimus, erit qui quærat: ſi Deum ſolum in omnibus & per omnia honoremus, ille honorantes ſe honorabit, contemnentes autem ſe reddet inglorios & ignobiles. Qui gloriam Deo debitam uſurpant ſibi, confuſio operiet eos.

2. Diſcuſſo & eliſo ſuperbiæ capite, plerumque diabolus ad *Avaritiæ* tentamenta ſeſe convertit, poſt bonum honeſtum, utile proponens ac ſuadens. Itaque inflammat animas deſiderio bonorum hujus ſeculi, & hoc unice laborat, ut homo his acquirendis & conſervandis tempus & ætatem omnem impendat, in illis ſpem ponat, & à multis divitiis felicitatem ſuam æſtimet.

Nos è contra penſantes, quam ſint hæc vana, caduca, inſufficientia ad ſatiandum cor humanum; promiſſa tamen à Deo ad neceſſitatem, etiam non ſollicitis nobis, ſi primum quæramus regnum Dei & juſtitiam ejus: conſultius ſane terrenis deſpectis, erigimus oculos mentis ad illud cœleſte regnum; ad illam hæreditatem immarceſſibilem, incorruptam, & incontaminatam in Cœlis, quam ſoli merentur accipere, qui divitiis cor non apponunt; qui regnum mundi & omnem ornatum ſæculi contemnunt: & ad cœleſtis regni opes continuo ſuſpirant: orantes ex animo:

Adve-

Adveniat Regnum tuum.

Regnum omnium ſæculorum, ubi replebimur in bonis domus tuæ; & ſatiabimur, cum apparuerit gloria tua: credimus enim videre bona Domini in terra viventium. O quæ & quanta illa! nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus diligentibus ſe.

Interim quoque *regnum tuum* juſtitiæ & gratiæ nobis *adveniat:* quod nos licet pauperes rebus, bonis tamen operibus & meritis divites faciat. Nam pauperem quidem vitam gerimus, ſed habebimus multa bona, ſi timuerimus Deum. Vere enim divitiæ non ſunt terrenæ opes, ſed virtutes, & gratiæ dotes.

3. Sed cavendum, ne expetentibus regnum Dei, languor & torpor obrepat: nec enim *omnis qui dicit, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum: ſed qui fecerit voluntatem Patris qui in cœlis eſt.*

Itaque poſt devictam Avaritiam, proximum contra *Acediam* certamen erit. Eam hoc telo pete:

Fiat voluntas tua ſicut in cœlo, & in terra.

Hoc eſt, utinam ſicut Cœlites, ita & nos terræ incolæ eam faciamus. In cœlo ſumma exultatione laudatur Deus. In cœlo ad obſequium ejus mira promptitudine Angeli aſſiſtunt. Vtinam hoc ſimili devotione, alacritate, & promptitudine à nobis fieri poſſet in terra. Id ſaltem ex animo velle, multum eſt coram Deo; qui bonæ voluntatis inſpector eſt.

4. Quia vero carnis infirmitas cogit nos corporis vires cibo potuque reficere, & huic operi ſe voluptas admiſcet, hac occaſione *Gulæ* vitio diabolus nos illaqueare; & ad exceſſum in qualitate, aut quantitate cibi, inducere nititur. Quo contra ſedulo rogandus nobis eſt Deus, qui nos creavit natura fragiles, & huic indigentiæ, reſtaurandi quotidie per cibum vires, obnoxios; dicendo:

Panem

Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.

O clemens Deus, neceſſaria victus nobis largiri dignare; & ſic nos regere, quatenus cauſſam neceſſitatis non vertamus in negotium voluptatis; nec ad vitæ luxum, ſed ad naturæ ſuſtentationem, uſum earum rerum, quas nobis benigna tua manus largita eſt, referamus; carnis impetum, lege Dei & rectæ rationis coërcentes. Dignare etiam nobis dare panem cœleſtis ſapientiæ, ut guſtantes, quam ſuavis ſit Dominus, Gulæ illecebras reſpuamus; præ cujus etiam ſaporis dulcedine omnes corporis delicias, tamquam porcorum ſiliquas faſtidiamus.

5. Sed dum Gula refrænatur, plerumque Diabolica malignitas *Iræ & Impatientiæ* occaſiones machinatur, ut rancoris vitio ſuperati, abſtinentiæ fructu ſpoliemur; Et Deo reddamur inviſi, inter ipſa etiam jejunia; ſicut & illi apud Iſaiam, *qui ad lites ad contentiones jejunabant.*

Contra hoc virulentum Beſtiæ caput valida manu intorquet telum, qui orat ex animo:

Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.

Remiſſionem enim peccatorum indies à Deo petere neceſſe habemus; nam in multis offendimus omnes. Si vero Deus iniquitates obſervaverit, quis ſuſtinebit? Porro non aliter eam conſequemur, quam ſi in nos peccantibus non iraſcamur, ſed ex corde dimittamus; tunc quidem libera fronte ac ſecurè dicturi; Dimitte nobis, ſicut & nos dimittimus:

Cujus quidem clauſulæ appoſitio merito nobis timorem, & ſollicitudinem incutit. Quid enim ſi non dimittas debitoribus tuis? quid ſi minus plene & ſincere? quid ſi etiam doloſe & ſpecietenus ignoſcas; & interim iram animo foveas, & vindictam mediteris; certe contra te, non pro te Deum invocas, non Patrem habiturus, ſed judi-

judicem: audieſque, Ex ore tuo te judico, ſerve nequam, vis dimitti tibi, ſicut tu dimittis, *&c.*

Nos ergo cautiores facti, faciamus quod monet Dominus: *Cum ſtabitis ad orandum, dimittite, ſi quid habetis adverſus aliquem.* Alioquin, ſi homo homini reſervat iram, quomodo à Deo quæret medelam?

6. Quod ſi lenes animo, & ad omnem injuriam placabiles eſſe didicerimus, curandum reſtat, ne hæc lenitas in mollitiem quandam & remiſſionem animi degeneret, & ſic in *Luxuriam* carnis diabolus nos ſenſim inducat.

Videntes itaque hoc tam deteſtabile malum *Luxuriæ* longe lateque per humanum genus dominari; ita ut non minus hodie, quam olim omnis caro corruperit viam ſuam, vehementer habemus ab hoc peſtifero Beſtiæ capite timere, cum Sapiens dicat: *Multos vulneratos dejecit, & fortiſſimi quique interfecti ſunt ab ea.* ideo Deum ſupplices Adjutorem imploremus. nec enim continentes eſſe poterimus, niſi Deus dederit. Oremus ergo,

Et ne nos inducas in tentationem.

Hoc eſt, ne nos ad reſiſtendum fragiles induci permittas, quia ſi viribus noſtris relinquimur, abſque dubio inducimur & ſuperamur: ea eſt noſtra in malum pronitas.

7. Sed quamvis in congreſſibus præmiſſis improbus inimicus fruſtrari ſeſe ſenſerit, nihilominus non deſiſtit; illo tandem ſibi propriiſſimo vitio, *Invidiæ* ſcilicet veneno, (*nam invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum*) animam perimere ſtudens, ut proximi proſperitas in noſtram cedat crucem & torturam.

Vnde fit, ut non rectis oculis aſpiciamus proximum noſtrum, dolentes de rebus ejus proſperis, & de adverſis gaudentes. A quo peſſimo & diabolico vitio petimus in fine liberari, dicendo.

Sed libera nos à malo.

Invidiæ ſcilicet, quod perfecte malos efficit: quia veneno, quo ille extreme Malus plenus eſt, inficit & incendit. Quid autem pejus, quam bonum alterius in ſuum vertere malum, qui congaudentes alieno bono, illud quaſi ſuum reddere poterant, & ſic ipſuſmet ex eo fieri melior, felicior, ac ſummo Bono vicinior, digniorque.

ORATIO DOMINICA
ad Deum Patrem recitanda;

Vt per virtutes & merita Filii ejus, noſtra vitia & defectus expientur.

Pater noſter.

O Sanctiſſime Pater; per immenſam illam charitatem, qua dediſti nobis, ut filii Dei nominemur & ſimus, rogo Te ex imo corde, ut clementer ignoſcas mihi, quod te amantiſſimum Patrem meum hactenus debito honore & filiali amore proſequi neglexerim; ſed te peccatis meis frequenter & graviter offenderim; teque ex corde meo, in quo velut in cœlo & ſolio tuo, propriam ſedem habere debueras, peccatis meis ſæpius turpiter ejecerim.

O clementiſſime Pater, reſpice in faciem Chriſti Filii tui; & miſerere mei. Rogo in unione illius infinitæ charitatis, qua ab æterno Filium tibi coæqualem genuiſti; & tempore præordinato hominem fieri pro nobis voluiſti: Rogo in virtute abundantiſſimæ ſatisfactionis, quam idem dilectiſſimus Filius tuus, & innocens frater noſter Ieſus Chriſtus, tibi pro me præſtitit, ut ardentiſſimam charitatem divini cordis illius, una cum digniſſima laude & honore; quem in ſumma humilitate tibi exhibuit, benigne ſuſcipias, in compenſationem omnium peccatorum & defectuum meorum.

1. *San-*

1. *Sanctificetur nomen tuum.*

O dulciſſime Pater, obſecro te, ex omni affectu cordis mei, parce mihi, quod ſanctiſſimum nomen tuum, non eo, quo par erat religionis cultu, honore, & reverentia ſanctificaverim: imo etiam ſæpe contumelia affecerim; Chriſtianum quoque nomen, quod gratiâ tuâ gero, moribus indignis tam fœde ſæpius deformaverim.

O ſumme Pater, obſecro te, ut in expiationem omnis culpæ meæ digneris accipere abſolutiſſimam vitæ ſanctimoniam chariſſimi Filii tui, in qua ipſe benedictum Nomen tuum glorificare, & tot ſignis, miraculis, ſermonibus, & operibus, triginta tribus & amplius annis, quibus vixit in terris, laudare ac ſanctificare nunquam intermiſit.

2. *Adveniat regnum tuum.*

O Pater miſericordiarum, rogo Te, ignoſce mihi clementiſſime, quod Te cœli terræque Regem, & regnum tuum æternum, in quo ſolo eſt vera pax, requies & gaudium, nunquam eo quo decuit ardore, & zelo quæſiverim. Rogo dulciſſimam clementiam tuam, ut ſanctiſſimos labores gratiſſimi Filii tui, quibus me & omnes homines ſibi in regno tuo cohæredes fecit ſuſcipere digneris, pro omnibus negligentiis & defectibus meis, quos ego infelix admiſi, dum, quæ ſurſum ſunt, tam negligenter quæſivi & ſapui; tam vero ardenter, quæ ſuper terram.

3. *Fiat voluntas tua.*

O miſericordiſſime Pater, ignoſce mihi quæſo pro infinita bonitate tua, quod divinam, & altiſſimam voluntatem tuam, meæ, ut debui, non ſemper prætulerim: toties velle meum, quod ſemel tibi devoveram, denuo per peccatum uſurpaverim: & piiſſimam voluntatem tuam

circa me factam minus promptè, reverenter, & libenter amplexus ſim.

Obſecro Te, ô æterne Pater, ut promptiſſimam reſignationem cordis amantiſſimi Filii tui, & perfectiſſimam ejus obedientiam, qua tibi factus eſt obediens uſque ad mortem crucis, ſuſcipere digneris in emendationem omnis meæ inobedientiæ, & prævaricationis mandatorum tuorum.

4. *Panem noſtrum.*

O largiſſime Pater, qui aperis beneficam manum tuam, & imples omne animal benedictione, adeoque & me licet indignum paſcis à juventute mea, tot corpori meo, tot animæ bona tam liberaliter providens? Precor ex totis cordis viſceribus, Parce mihi, quod dona & beneficia tua, tum ad corpus, tum ad animum nutriendum ſpectantia, tam ingratus accepi, toties iis ipſis ad tui injuriam, & meam damnationem abuſus ſum; dum vel iis nimium cor apponerem; vel iis inordinate fruerer, vel pro illis debitas tibi gratias non perſolverem.

Obſecro Te, mi Pater, per amorem Filii tui unigeniti, ut ipſius jejunia, famem, ſitim, & mirabilem abſtinentiam, omneſque gratiarum actiones, quas ipſe cibum ſumpturus offerre ſolitus eſt, accipere digneris in compenſationem omnis meæ incuriæ & ingratitudinis, quam unquam in donis & beneficiis tuis percipiendis admiſi.

5. *Et dimitte nobis.*

O Pater immenſæ bonitatis, ſi debita & iniquitates noſtras obſervaveris, quis ſuſtinebit? adeo in multis offendimus omnes. Itaque rogo te, per æternum amorem tuum, ut clementer ignoſcas mihi, quidquid unquam, aut uſpiam quomodocumque deliqui; aut ſi forte peccantibus in me non plane juxta præceptum dimiſi; vel inimicos meos non ex corde dilexi?

O ju-

O juſtiſſime Deus, rogo Majeſtatem tuam, ut, in ſatisfactionem ſuſcipias infinitum pretium Sanguinis, & affectioſiſſimam orationem dilectiſſimi Filii tui, qua pendens in Cruce, inimicis ſuis à te ignoſci poſtulavit.

6. *Et ne nos inducas*, &c.

O benigniſſime Pater, ignoſce mihi, per inæſtimabilem charitatem tuam, quod concupiſcentiis, & pravis deſideriis hactenus, non ſatis diligenter & ſerio reſiſtere conatus ſim; ſed magis Mundo, Carni, ac Dæmoni mala ſuggerentibus conſenſerim. Vnde merito variis malis factus ſum obnoxius. Precor, ô Domine, ſi divinæ providentiæ tuæ conſilio, vis me ſubinde tentationes ſentire; nunquam tamen permittas conſentire. Digneris quæſo ô potentiſſime Deus, glorioſam victoriam Chriſti, Filii tui, qua Mundum, Satanam, Carnemque ſubegit, una cum ſanctiſſima converſatione ejus, omnibuſque laboribus, & doloribus illius ſuſcipere, in ſupplementum omnis negligentiæ & fragilitatis meæ; adeoque me liberes ab omni Malo, & perducas ad omne Bonum; quod utique alibi non eſt, nec aliud, niſi tu SOLVS & VNVS, ô Deus meus, & OMNIA. Amen.

CAP. V.

Inſtructiones & Exercitia pro Confeſſione ſacramentali.

Brevis inſtructio Confeſſionis utiliter inſtituendæ.

INter aſcetica ſeu pia vitæ exercitia nullum frequentius Confeſſione: ſed cujus in multis exiguus aut nullus eſt fructus, quia non tam veræ pietatis & melioris vitæ ſtudio, quam pro conſuetudine obiter & perfunctorie peragitur.

I. Itaque cogita, *quod pia ſacramenti pœnitentiæ frequenta-*

tio ſit medium facillimum brevi magnos faciendi progreſſus in via perfectionis. Nam 1. *Per eam peccata & peccandi affectus, exuuntur.* 2. *Virtutis & profectus ſpiritualis ſtudium excitantur.* 3. *Gratia & Dei charitas augetur.* 4. *Conſcientiæ puritas, tranquillitas & ſecuritas acquiritur; horror mortis minuitur,* &c.

II. *Excita, ſeu renova fervens Deſiderium, firmumque propoſitum debita cum diſpoſitione, cura, ac devotione hoc ſacramentum Pœnitentiæ obeundi; idque intuendo,*

1. Finem *hujus ſacram. adeo pretioſum; qui eſt Venia peccatorum, curatio languorum animæ, Renovatio ſervoris, Augmentum meritorum gratiæ, gloriæ,* &c.

2. Modum *adeo facilem & efficacem merita Chriſti ſibi applicandi, tantoſque divinæ gratiæ theſauros participandi, per crebrum, ſerium, affectuoſum hujus ſacramenti uſum.*

3. Incitamenta huc utilia, *qualia ſunt, Dei voluntas, qui unice deſiderat ſanctificationem noſtram; Divinorum beneficiorum multitudo, Peccatorum gravitas, Vitæ brevitas, Temporis gratiæ incertitudo, Diſtricti judicii metus, Æternitatis horror, Pœnarum alterius vitæ acerbitas,* &c.

III. *Pete efficacem Dei gratiam, qua agnoſcas, deteſteris, aperias, & emendes peccata tua, per infinitam Dei miſericordiam, quæ tam benigne te ad pœnitentiam exſpectat & excitat,* &c.

IV. *Revoca in memoriam peccata tua, certa quadam methodo, qua juvari ſolet memoria. Vide ubi in Deum, in Teipſum, in Proximum peccaveris; cogitatione, verbo, opere. Eaque collige* Breviter, *miſſis generalibus, & impertinentibus, ſeu non neceſſariis, & quæ ſub conditione à pleriſque narrari ſolent, & quæ ad excuſationem ſui magis, quam accuſationem ſpectant.* Integre, *explicando omnium peccatorum, quæ conſcientiam gravant, ſpecies, numerum certum, aut veriſimilem, & circumſtantias neceſſarias, mutantes ſpeciem,*&c. Clare, *certis, ſimplicibus & perſpicuis verbis ſingula exprimendo. certa à dubiis, materiam gravem à levi, actum deliberatum à ſubreptione, ſeu advertentiam ab inadvertentia; conſenſum plenum à ſemipleno,* &c. *ſecernendo.*

V. *Potiſſimum circa veram cordis* Contritionem *labora; Vt de*

de his, omnibuſque peccatis totius vitæ doleas ex ſolo & puro Dei amore, &c.

2. *Vt firmum & conſtans* propoſitum *concipias, hæc omnia, præſertim magis voluntaria, & in quæ ſæpius impingis, ſerio emendandi,* occaſiones *eorum & pericula cavendi: Deo deinceps perfectius ſerviendi, & placendi. Et hæc omnia cum filiali fiduciâ paternæ Dei miſericordiæ,* &c. *Porrò utiliſſimum erit, ſi aſſueſcas frequentare hunc actum contritionis; præſertim ante orationem, in pericula lapſus, poſt lapſum: in tentatione, ante ſomnum, idque vel unico ſuſpirio.* O Ieſu amo Te, & doleo ex corde, quia offendi Te.

REMEDIA

quædam communiora defectus & vitia emendandi.

I. *Concipe, & ſæpius renova ſerium & fervens propoſitum cavendi omnia peccata, maxime ea in quæ pronior es.*

II. *Mane proteſtare coram Deo contra moleſtiores tentationes, & procliviores lapſus, deteſtando eos; ac contra voluntatem tuam eſſe ác ſemper fore, firmiter decernendo.*

III. *Præmeditatione practica ante quodvis opus majoris momenti utere, cum renovatione Intentionis, & Propoſiti, emendandi conſuetos defectus, & petitione grati, idque fiat ſaltem per brevia ſuſpiria.*

IV. *Attende ſcopum ſeu finem cujuſvis operis, & cave ſollicitè, ne aberres, vel impingas in defectus tibi familiares. Serio age, quod agis.*

V. *Exercitium præſentiæ Dei in omnibus adhibe, crebra & affectuoſa ad Deum ſuſpiria ejaculans.*

VI. *Intuere Chriſtum uti vivum ſpeculum & exemplar omnis perfectionis, & imitari nitere, excitans teipſum, eo ipſo quod geris, nomine* Chriſtiani.

VII. *In tentationibus recurre ſtatim filiali affectu & fiducia ad Ieſum, ejuſque dulciſſimum cor, & ſacra vulnera. Item ad ſinum dulciſſimæ Matris Virg. Mariæ, ſic facile evaneſcet omnis tentatio. Renova quoque proteſtationem mane factam contra ejuſmodi ſuggeſtiones & tenta-*

tentationes. Heroice te reſigna. Tempeſtivè te manifeſta Patri ſpirituali, pete conſilium, & ſequere.

VIII. *Renova zelum exſtirpandi radices has N. vel illas N. peccatorum, per examen particulare; per exercitium mortificationis*, &c.

Oratio præparatoria ante Confeſſionem Sacramentalem.

Conditor cœli & terræ, Rex Regum, & Dominus dominantium; qui me de nihilo feciſti ad imaginem & ſimilitudinem tuam, & me proprio tuo Sanguine redemiſti: quem ego peccator non ſum dignus nominare, nec invocare, nec corde cogitare.

Te ſuppliciter deprecor, & humiliter exoro, ut clementer reſpicias me ſervum tuum nequam. Et miſerere mei, qui miſertus fuiſti mulieris Chananææ, & Mariæ Magdalenæ; qui peperciſti publicano, & latroni in cruce pendenti.

Tibi confiteor, Pater piiſſime, peccata mea; quæ ſi volo abſcondere, non poſſum, tibi Domine: parce mihi Chriſte, quem ego nuper multum offendi cogitando, loquendo, operando, & in omnibus modis, in quibus ego fragilis homo & peccator peccare potui, mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa.

Ideo, Domine, precor tuam clementiam, qui de cœlo pro mea ſalute deſcendiſti: qui David à peccati lapſu erexiſti, parce mihi Domine, parce mihi Chriſte, qui Petro te neganti peperciſti. Tu es Creator meus, & Redemptor meus; Dominus meus, & Salvator meus; Rex meus, & Deus meus.

Tu es ſpes mea, & fiducia mea; gubernatio mea, & auxiliatio mea; conſolatio mea, & fortitudo mea; defenſio mea, & liberatio mea; vita mea, ſalus mea, & reſurrectio mea; lumen meum, & deſiderium meum; adjutorium meum, & patrocinium meum.

Te deprecor & rogo, adjuva me, & ſalvus ero; guberna

berna me, & defende me; conforta me, & conſolare me; confirma me, & lætifica me; illumina me, & viſita me. Suſcita me mortuum, quia factura & opus tuum ſum.

Domine, ne deſpicias me, quia famulus & ſervus tuus ſum, quamvis malus, quamvis indignus & peccator; ſed qualiſcumque ſim, ſive bonus, ſive malus, ſemper tuus ſum. Ad quem ergo fugiam, niſi ad te vadam? Si tu me ejicis, quis me recipiet? ſi tu me deſpicis, quis me aſpiciet?

Recognoſce me ergo indignum ad te refugientem, quamvis ſim vilis & immundus: quia ſi vilis & immundus ſum, potes me mundare: ſi cæcus ſum, potes me illuminare: ſi infirmus ſum, potes me ſanare: ſi mortuus & ſepultus ſum, potes me reſuſcitare: quia major eſt miſericordia tua, quam iniquitas mea: major eſt pietas tua, quam impietas mea: plus potes dimittere, quam ego committere; & plus parcere, quam ego peccator peccare.

Non ergo deſpicias, Domine, neque attendas multitudinem iniquitatum mearum; ſed ſecundum multitudinem miſerationum tuarum miſerere mei, & propitius eſto mihi maximo peccatori.

Dic animæ meæ: Salus tua ego ſum: qui dixiſti, Nolo mortem peccatoris, ſed magis ut convertatur & vivat. Converte me Domine ad te, & noli iraſci contra me.

Deprecor te clementiſſime Pater, propter miſericordiam tuam ſupplico & exoro, ut perducas me ad bonum finem, & ad veram pœnitentiam, puram confeſſionem, & dignam ſatisfactionem omnium peccatorum meorum, Amen.

Oratio ante confeſſionem Sacramentalem.

DOmine Deus, qui illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, illumina quæſo ſplen-

dore gratiæ tuæ cor meum,ut ſufficienter cognoſcam defectus & peccata mea, eaque cum vero cordis dolore & contritione confitear,ſicut oportet coram te,& ſacerdote miniſtro tuo, ac plene pro iiſdem ſatisfaciam, eaque emendem,ad laudem & gloriam tuam,& benedictæ Matris tuæ, ac Sanctorum omnium, ac ſalutem animæ meæ, Amen.

Oratio poſt confeſſionem.

GRatias tibi ago pientiſſime Ieſu, quod me indignum peccatorem ad pœnitentiam patienter exſpectaveris, veniam & indulgentiam peccatorum mihi clementer conceſſeris. Suſcipe obſecro hanc humilem confeſſionem meam quam feci, & quicquid mihi nunc defuit ad plenam & ſynceram enumerationem peccatorum meorum, & convenientem pro iiſdem dolorem, tu ex fonte miſericordiæ tuæ, ac theſauro paſſionis tuæ benignè ſupplere digneris, meque perfectè abſolutum habere in cœlis: & præſta auxilium gratiæ tuæ, ut deinceps peccata devitem, ac fidelius tibi ſerviam, intercedente glorioſa Virgine genitrice tua Maria, & omnibus ſanctis, qui tibi placuerunt ab initio mundi: juravi enim & ſtatui deinceps cuſtodire judicia juſtitiæ tuæ, te adjuvante, qui vivis & regnas Deus in ſæcula ſæculorum, Amen.

Alia Oratio ante confeſſionem Sacramentalem.

SVſcipe confeſſionem meam, piiſſime ac clementiſſime Domine Ieſu Chriſte, unica ſpes ſalutis animæ meæ; & da mihi, obſecro, contritionem cordis, & lacrymas oculis meis, ut defleam diebus ac noctibus omnes negligentias meas cum humilitate & puritate cordis.

Appropinquet oratio mea in conſpectu tuo Domine. Si iratus fueris contra me, quem adjutorem quæram? quis miſerebitur iniquitatibus meis? Memento mei Domine,

mine, qui Chananæam & Publicanum vocaſti ad pœnitentiam, & Petrum lacrymantem ſuſcepiſti. Domine Deus meus, ſuſcipe preces meas.

Salvator mundi, Ieſu bone, qui te crucis morti dediſti, ut peccatores ſalvos faceres, reſpice me miſerum peccatorem invocantem nomen tuum: & noli ſic attendere malum meum, ut obliviſcaris bonum tuum: & ſi commiſi unde me damnare potes, tu non amiſiſti unde ſalvare ſoles.

Parce ergo mihi, qui es Salvator meus, & miſerere peccatrici animæ meæ: ſolve vincula ejus, ſana vulnera. Domine Ieſu, te deſidero, te quæro, te volo: oſtende mihi faciem tuam, & ſalvus ero.

Emitte igitur, piiſſime Domine, meritis puriſſimæ & immaculatæ ſemper Virginis Genitricis tuæ Mariæ & Sanctorum tuorum, lucem tuam, & veritatem tuam in animam meam, quæ omnes defectus meos in veritate mihi oſtendat, quos confiteri me oportet, atque juvet & doceat ipſos plene & contrito corde explicare. Qui vivis & regnas cum Deo Patre.

Oratio poſt Confeſſionem.

SIt tibi Domine, obſecro, meritis beatæ ſemper Virginis Genitricis tuæ Mariæ, & omnium Sanctorum, grata & accepta iſta confeſſio mea, & quidquid mihi defuit, nunc & alias de ſufficientia contritionis, de puritate & integritate confeſſionis, ſuppleat pietas & miſericordia tua: ſecundum illam digneris me habere plenius & perfectius abſolutum in cœlo. Qui vivis & regnas.

ACTVS CONTRITIONIS,

ad remiſſionem peccatorum obtinendam efficax; in formam orationis redactus.

Porro circa eum obſervanda ſequentia:

1. *Actus fidei.* 2. *Dolor de peccatis.* 3. *Amor Dei ſuper omnia.* 4. *Propoſitum de futuro.* 5. *Oblatio ſui per Chriſtum.* 6. *Spes veniæ per Chriſtum.* 7. *Petitio gratiæ & auxilii Dei.*

DOmine Ieſu Chriſte, verus Deus & homo, Creator ac Redemptor meus,

2. Pœnitet me ex toto corde, quod offenderim te Dominum & Deum meum,

3. Quem amo ſuper omnia.

4. Et propono firmiter amplius non peccare, omneſque peccandi occaſiones devitare, confiteri & implere pœnitentiam, quæ mihi fuerit injuncta,

5. Et in ſatisfactionem peccatorum meorum offero tibi ſacratiſſimam vitam, Paſſionem, ac mortem tuam, totumque pretium ſanguinis tui pro nobis effuſi, merita quoque B. Mariæ ſemper Virginis, & omnium Sanctorum, atque omnia opera mea, & totam vitam meam.

6. Et confido in bonitate & miſericordia tua infinita, quod per merita pretioſi Sanguinis tui, mihi remiſſurus ſis omnia delicta mea.

7. Et gratiam uberem largiturus, qua vitam ſanctè inſtituere, tibique perfectè uſque in finem ſervire valeam. Qui cum Patre ſanctoque Spiritu vivis ac regnas Deus in ſæcula benedictus, Amen.

Admonitio de Actu Contritionis.

CONTRITIO *adeo res eſt pretioſa & efficax, ut momento vel mille, graviſſima etiam, peccata extinguat, hominem Deo reconciliet; ac beatam æternitatem peccato deperditam recuperet, ſi quem (ſublata Confeſſionis occaſione) ſic mori contingat.* Cor contritum & humiliatum Deus non deſpiciet. *Contritio vero maxime nititur amore Dei ſuper omnia, continetque tres actus:*

PRIMVS, *eſt Dolor ob offenſum Deum, qui digniſſimus eſt, ut ab omnibus, ſuper omnia ametur, & colatur.*

Amici bonum, quod quovis lethali peccato perditur, infinitum eſt,

majus

najus omnibus bonis: hinc & malum, quod quovis lethali peccato in-urritur, infinitum eſt, majus malis omnibus: proinde tanti boni jactu-a, & mali tanti perpeſſio, majorem merito dolorem incutiat, quam i bona cuncta vitæ præſentis, valetudo, fama, vita, cætera omnia ſint erdita. Interire millies, jocus eſt, ſi æternis inferorum ignibus conſe-atur, quibus nos peccatum vel unicum obſtringit.

SECVNDVS, *eſt propoſitum, non amplius delinquendi, tque ſi quid inique ſit acquiſitum, reſtituendi.*

Ex hoc firmo animi decreto, ita paratum ſe quis offert ad omnes)ei leges ſervandas, ut dicat: Dixi, Domine, cuſtodire legem uam: quicquid præcepiſti, ô mi Deus, faciam quam oſſum integerrime.

TERTIVS, *eſt Spes veniæ, & Petitio gratiæ ad ſeriam itæ emendationem.*

Accuſare ſe, & ſe non emendare, eſt Deum tentare: nec quic-uam valet, à malis veniam poſcere, & mala de novo iterare. San-uis autem & mors Domini Ieſu hanc nobis fiduciam ingerit, ut hæc eremus. petamus tanta, ſeriam ſcilicet emendationem vitæ, poſt im graves ac multiplices offenſas.

Accuſatio ſui:

Et propoſitum emendandæ vitæ, ubi quis in culpam, quam ſciverat ſibi maxime cavendam, relapſus eſt.

O Mi amantiſſime Deus, ego ingratus, ego perditus homo ad te redeo, poſtquam ſatis à te per illicita im evagatus: nunc te amicum quæro, quem ipſe mihi oſtem feci. Iterum deliqui: & poſt tot jam caſus, iterum ecidi. Ah! Domine, in culpam illam, quam ſciebam tibi lurimum diſplicere, mihi maximè nocere, in hanc ipſam erum relapſus ſum.

Quantum mihi hæc cavenda eſſet, præſciebam, & ta-nen non cavebam. Ita Majeſtatem tuam ô Deus offen-i; gratiam tuam perdidi, cœlum amiſi, meipſum dam-avi, & quam ob cauſſam? ob rem nihili, & meram va-

nitatem:

nitatem : quid enim aliud eſt voluptas illa, quid commodum illud, *&c.* quæ captabam ?

Scio, Domine, tu mihi ſuper omnia es amandus: agnoſco, mi Deus, quod lex tua & tuus honor, cariora mihi eſſe debeant rebus creatis omnibus, & tamen tam perditè meipſum amo, ut meum honorem, lucellum meum, meamque libidinem, tibi, tuæ legi, tuoque honori prætulerim jam ſæpiſſimè.

Ah! quam adhuc carnalis ſum! & licet ego negem, opera mea loquuntur. Mundus non tantum mihi nondum crucifixus eſt, ſed totus in me vivit & ſpirat, plenus ſum pravis motibus, fœdis concupiſcentiis, deſideriis, & infinitis miſeriis: & tamen non humilior; quin æſtimari & præferri gaudeo.

Vita mea merus eſt Euripus, meriſſima inconſtantia, & mutabilitas: ſenſus mei exteriores, quoquò volunt, liberrimè expatiantur: quam variæ, & quam fœdæ imagines animum meum ſæpius incurſant! Quam ego, ô mi Deus, dura & immobilis cautes ſum, cum de pœnitentia agitur! ad loquendum quam promptus & incautus! ſurdus ad monita ſalutis; ad fabulas & nugas avidus: quæ cœlum & Deum concernunt, nimis peregrina mihi ſunt & faſtidioſa; quæ ad terrena lucra, & corporis commoda ſpectant, facillimè apprehendo.

Cum orandum eſt, totus nauſeo; cum epulandum, totus inhio. ad cultum divinum teſtudo ſum, ad luſum & jocos aquila velocior. ad honeſta repo, ad vetita volo. ad invidiam & ſuſpiciones proniſſimus ſum, ad excuſationem alienæ imperfectionis perdifficilis. mihi mollis & lenis ſum, aliis durus & rigidus. Vix tangor, & en iraſcor, & ferio; certè lingua, cum manu non poſſum. Nemo me lædit, in quem non ultionem mediter & vindictam.

Concupiſcentiæ ignes, ô Deus tu noſti, quam mihi ſint vicini: hic ego quidem diſſimulo & tego, tibi tamen, ô mun-

mundi ocule, aperta ſunt omnia: nullum cordis ſecre-
um eſt, quod tibi celari poſſit. O quoties, & quanta fa-
turum me propono & ſpondeo: mox omnia in ridicu-
um, imò in flagitioſam oblivionem evaneſcunt.

Iure igitur doleo, me dolenda toties committere: nò vel hoc ipſum doleo, me non magis dolere, nec ſatis, t par eſt, propriam ſentire miſeriam.

Et quamvis hactenus ad omnem pietatem lentiſſimus uerim, & heu nimis alacer & feſtinus ad vitia, tamen ta-s deinceps eſſe nolo. Ego non ero ego. Non ego qui ui. *Dixi, nunc cœpi*, iter ad cœlum nemo bene perficit, iſi qui quotidie incipit.

Igitur firmiſſimè ſtatuo, ope tua, Domine, confi-us, priores culpas illas, & omnem peccandi occaſionem uam diligentiſſimè cavere. ô ſit hæc mutatio dexteræ xcelſi!

Dominus meus, & Deus meus, ô cor mundum & ca-tum in me crea: innova, oro, in me ſpiritum rectum, ut andem aliquando vitam ſeriò emendem, ex animo te mem, & ad finem vitæ ſic perſeverem.

FORMVLA

xcitandi affectus pios Gratitudinis, contritionis, &c. tum ante, tum poſt Confeſſionem.

Ex P. Chriſt. Mayer. in Induſt.

O Ieſu Deus cordis mei, infinitè miſericors, & lon-ganimis, infinitè ſuavis, & amabilis, quomodo cum Patre & S. Spiritu multiplicas ſuper me, inter cæteros Electos tuos, inæſtimabiles divitias miſericordiæ, longa-nimitatis, bonitatis, & caritatis tuæ, hucuſque toties me am ingratum cum Petro reſpiciendo; toties me indi-gnum cum Magdalena longe à te aberrantem in viam ſa-utis revocando; toties tam immundum in ſanguine tuo dealbando; toties tam prodigum filium, in oſculum pacis reci-

recipiendo; toties tam infidelem ſponſam in intimam familiaritatem invitando.

Verè miſerator & miſericors es Domine, patiens, & multum miſericors. Verè ſuavis es univerſis, & miſerationes tuæ ſuper omnia opera tua. Confiteantur tibi omnia opera tua;maximè opera miſericordiæ & pietatis, & Sancti tui miſerationes tuas experti, benedicant tibi, miſericordias tuas æternum cantantes.

Agnoſco,veneror, amplectorque viſcera miſericordiæ tuæ tantæ erga me, Electoſque omnes, comprehenſores, & viatores; atque illorum,omniumque poſſibilium creaturarum poſſibili affectu gratias ago, agamque æternum pro ineffabili illo æternæ dilectionis exceſſu, quo me inter illos à tot peccatis,in quæ incidiſſem,clementer præſervaſti; in tot quotidie toties labentem tam longanimiter toleraſti; tam miſericorditer ad pœnitentiam lapſum exſtimulaſti; tam benignè pœnitentem in gratiam recepiſti: inſuper mihi tam liberaliter efficacem voluntatem reſipiſcendi copioſam gratiam ſanctius deinceps vivendi,& firmam ſpem perſeverandi, gloriamque conſequendi,communicare hucuſque dignatus es.

Pro his aliiſque innumeris bonitatis tuæ beneficiis, utinam tota vita laudaſſem te,& gratias egiſſem! Vtinam te infinito honore & amore digniſſimum ſemper amaſſem & glorificaſſem! Vtinam nunquam offendiſſem,nec offenderem poſthac in æternum!

Sed eheu, quam parum agnovi, amavi, glorificavi te,ô Bonitas infinita; quid retribui tibi pro omnibus quæ retribuiſti mihi, præter innumeras offenſiones,ingratitudines,negligentias? Doleo de his & de omnibus,& ſingulis totius vitæ peccatis, ex animo, non propter ſupplicii metum; aut gloriæ detrimentum: ſed purè propter te Deum meum infinite amabilem, quia tibi quem diligo diligamque æternum, ſuper omnia, diſplicent.

Ardenter deſidero, firmiterque propono, emendare omnia

mnia peccata mea, maxime hæc N. cum gratia tua per
æc media, & novo fervore me totum tuo impendere
ervitio, *&c.*

Per eandem benignitatem & charitatem tuam infini-
um, qua cum Patre & Spiritu ſancto, ô Bone Ieſu, me
igratum peccatorem, & pœnitentes omnes toties ocu-
s miſericordiæ tuæ tam benigne reſpexiſti, longanimiter
oleraſti, in ſanguine tuo dealbaſti, & nunc reſpicere,
olerare, & dealbare non deſinis, memento & miſerere
otius Eccleſiæ tuæ ſanctæ, ejuſque capitum & mem-
rorum, *&c.*

O Regina Sanctorum omnium, Mater Dei, & vir-
o, S. Angele cuſtos, Sancti Patroni mei N. omneſ-
ue Electi benedicite, laudate, & ſuperexaltate Domi-
um mecum, & pro me, pro hoc aliiſque beneficiis mi-
i, & vobis, omnibuſque collatis, & conferendis in æ-
ernum: gratiamque impetrate, illum nunc perfectè glo-
ficandi in via, olim beatè vobiſcum in patria; æternum
li cum Cherubim & Seraphim accinentes: Sanctus,
anctus, Sanctus, Dominus Deus Sebaoth. Benedictio
: claritas, *&c.*

Alia Formula pulcherrima excitandi affectus poſt Confeſſionem,

Ex eodem: ibid.

O Ieſu infinite amabilis, unde mihi tam vili terræ
vermiculo, tam immundo peccatori, tam ingra-
o ſervo, tam prodigo filio, tam infideli ſponſæ tanta mi-
ratio tantæ benignitatis: tanta dignatio tantæ majeſta-
s, tanta dilectio tantæ charitatis, ut me toties à te lon-
e aberrantem oculis miſericordiæ tuæ reſpicere, erro-
eum reducere, cæcum illuminare, lapſum erigere, &
l pacis oſculum invitare digneris? Sanctus, Sanctus,
anctus, Dominus Deus Sebaoth.

Agno-

Agnoſcaris, ameris, & glorificeris infinitè, infinities ab omnibus, in omnibus, ſuper omnia, gratis, propter te, in æternum, & ultra.

Quomodo multiplicas ſuper me hucuſque miſericordiam, charitatem, & bonitatem tuam! Agnoſco, veneror, amplector: omniumque creaturarum poſſibilium poſſibili affectu gratias ago, agamque in æternum.

Quam parum & imperfectè te infinito honore, amore, obſequio digniſſimum redamavi; glorificavi, inſuper quoties ſic N. offendi! Agnoſco, deteſtor ingratitudinem meam tantam erga te, atque ex animo doleo propter te. Ignoſce, ſupple per te. Ex momento hoc te tuumque ſanctiſſimum beneplacitum brachiis dilectionis, & omni poſſibili pietatis affectu (licet me velles annihilare, aut reprobare, quod infinita bonitas tua non permittet) arctiſſimè conſtringo, conſtringamque in æternum.

Da ut ſciam, velim, poſſim id perfectè præſtare, ſicut ſcis & vis; & omnes mecum, per lacrymas, ſudorem, & ſanguinem tuum.

Ieſu Deus cordis mei, da gratiam omnia peccata, maximè hoc N. emendandi; in hac N. virtute proficiendi, hoc N. opus reformandi: in ſancta vocatione perſeverandi. Fac, ut in te vivam, in te moriar, in te perennem: ſim obſecro totus tuus, & tu meus, ô Ieſu, in æternum, per merita tua, beatæ Virginis & omnium SS.

Hic Pœnitentiam injunctam perſolve.

11. Similem gratiam, indulgentiam, miſericordiam omnibus, pro quibus mori dignatus es, & pro quibus maximè orare teneor, & ſoleo, præſta ô Bone Ieſu, per infinitam charitatem tuam, per lacrymas, ſudorem, & ſanguinem tuum, per merita Beatæ Virginis Matris tuæ, & omnium Sanctorum.

Defun-

Defunctis requiem concedendo, ut à peccatis expiati, & in refrigerium educti, pro me ingrato peccatore, te perfectiſſimè ament, laudent, & glorificent.

Iuſtos in gratia conſtitutos conſervando, promovendo, adjuvando, ut in ſanctitate, & juſtitia tibi ſervientes omnibus diebus vitæ ſuæ eant de virtute in virtutem, donec beatè videaris ab eis in cœleſti Sion.

Peccatores omnes oculis miſericordiæ tuæ benigne reſpiciendo, ad agnitionem, timorem, & amorem tui miſericorditer convertendo, ut & ipſi dealbati in ſanguine tuo, miſericordias tuas nunc in terris, olim in Cœlis, cum Beatis omnibus decantent in æternum.

D. DOMINICI CARTHVSIANI

Exhortatio ad Pœnitentiam.

HOmo Dei creatura,
Cur, in carne moritura,
Eſt tam parva tibi cura
Pro æterna gloria?
Illa quanta ſit ſi ſcires,
Præter eam nil ſitires;
Nec mundana ſic ambires,
Vana, tranſitoria.
Et ſi pœnas infernales
Agnoviſſes, quæ, & quales;
Tuos utique carnales
Appetitus frangeres:
Et innumera peccata,
Dicta, facta, cogitata,
Mente tota conſternata
Merito deplangeres.

Tot ſunt gaudia Sanctorum,
Tot tormenta reproborum,
Quòd immanitas amborum
Nullo ſenſu capitur:
Donec anima poſt mortem,
Aut bonorum ſumat ſortem,
Aut malorum ad cohortem
Improviſe rapitur.
Quando caro ſepelitur,
Heu de ſpiritu nil ſcitur:
Vtrum gaudet, an punitur;
Non fit magna mentio.
Luctus quidem ſimulatur;
Sed ſubſtantia vaſtatur,

In propinquis generatur
Zelus & contentio.
Mors eſt bonis, mors eſt malis,
Sed ſors nimis inæqualis
Subinfertur, æternalis
Vitæ, vel interitus.
Exequiæ ſi celebrantur,
Si vel noti convivantur,
Ni defuncto ſuffragantur,
Si tunc eſt immeritus.
Nullum tempus pœnitendi,
Mora nulla revertendi,
Nec tunc locus fugiendi
Miſeris ſupererit.
Si vis ſurſum, detrahêris,
De abyſſis extrahêris,
Iudici ut præſentêris;
Nihil tibi proderit,
Ieſum ſi non dilexiſti,
Nec Mariæ ſerviviſti,
Nec patronum quæſiviſti
Tibi in ſubſidium;
Quis orabit pro delicto?
Quis ſpondebit pro convicto?
Quis judicio tam ſtricto
Fiet in præſidium?
Pacis Angeli aſtabunt,
Sicut ſcriptum eſt, plorabunt;
Iuſtam tamen approbabunt
Iudicis ſententiam.
Et quod ſonat magis dure,
Omnes Dei creaturæ
Aggravabunt juſto jure
Ream conſcientiam.
Sed hæc factis ex ſceleſtis
Ipſa ſui fiet teſtis,
Nullam judicis in geſtis
Intuens injuriam.
Tunc horribiles tortores
Tot incutient terrores,
Vt jam ſentiens dolores
Vertatur in furiam,
Tunc à bonis reprobata,
In ſeipſa deſperata,
Anima ſic deſolata
In profundum mergitur.
Vbi chaos obfirmatur,
Numquam ut egrediatur,
Sicut Abraham teſtatur,
Huc illuc non pergitur.
O quæ lingua vel narrare,
Vel quis ſenſus cogitare,
Quis vel audet numerare
Mala multiplicia,
Quæ damnandis ſunt parata,
Et diverſis deputata,
Prout ſingula peccata
Exigunt

Exigunt & vitia?
Ignis, frigus procellarum,
Sulphur, fœtor tenebrarum,
Ingens luctus animarum,
Pars earum calicis.
Sempiterna mors, dracones,
Fames, dæmones, buſones,
Amariſſimos agones
Superaddunt miſeris.
Tot ſunt loca tenebroſa,
Tot tormenta monſtruoſa,
Quot hæc terra ſpatioſa,
Atque viſibilia.
Quaſi parum ſint miranda,
Nec ad illa comparanda:
Iſta quippe enarranda,
Hæc indicibilia.
Sic lætitia Sanctorum,
Iucunditas Angelorum,
Dei gloria Deorum
Eſt inenarrabilis.
Eris clare Deum videns,
Amans, tenens, fruens, ridens,
Potens, ſciens, placens, ludens,
Fulgens, liber, agilis.
Vbi Conditoris tui
Vultu ſemper poſſis frui:
Felix prorſus, illa cui
Viſio conceditur.
A qua numquam ſeparatur,
Sed perpetuò lætatur:
Mali nihil formidatur,
Nec quis ibi læditur.
Illic Angelorum chori,
Sancti facie decori,
Vivere, & nunquam mori,
Mortis nec memoria.
In æternum ſed gaudere,
Summo bono inhærere,
Cuncta bona poſſidere
In æterna gloria.
Numquam auris hîc audivit,
Nec videre quiſquam ſcivit;
Solum qui in cœlis vivit,
Scit experientia;
Quid à malis liberati,
Et in gloria locati,
Ipſi poſſident beati
In Chriſti præſentia.
Sed his paucis propalatis,
Partim tactis & narratis,
Quæ tum ſanctis tum damnatis
Præparata legimus:
Iam prudentius agamus,

Sanctam vitam eligamus,
In hoc mundo defleamus
Mala quæ peregimus.
Non vivamus ut jumenta,
Ne poſt mortem ad tormenta
Veniamus & lamenta
Intolerabilia.
Modò veniam precemur,
Mortem Chriſti meditemur;
Ad ſuperna præparemur
Deſiderabilia.
Ecce mundus evaneſcit:
Decor ejus jam marceſcit:
Et quotidie vileſcit
Fallax ejus gloria,
Quæ demergit ad inferna.
Ergo gloria ſuperna,
Vita nobis ſempiterna,
Iugis ſit memoria.
Vt defuncti ſublevemur,
Cum cæleſtibus lætemur,
Et in Deo gloriemur,
Summe delectabili,
Qui ſolus glorificandus
Eſt, amandus & optandus,
Laudeque magnificandus,
Eſt interminabili. Amen.

S. AVGVSTINVS.

Videte qualis debeat eſſe pœnitentia: quia multi aſſiduè ſe dicunt eſſe peccatores, & tamen adhuc illos delectat peccare. Profeſſio eſt, non emendatio. Accuſatur anima, non ſanatur: Pronunciatur offenſa, non tollitur. Pœnitentiam certam non facit, niſi odium peccati, & amor Dei. Quando ſic pœnites, ut tibi amarum ſapiat in animo, quod antea dulce fuit in vita; & quod te prius oblectabat in corpore, ipſum te cruciat in mente, jam tunc bene ingemiſcis ad Deum, & dices: Tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci. Serm. 7 de temp.

S. GREGORIVS.

Pœnitentiam agere, eſt & perpetrata mala plangere, & plangenda non perpetrare. Nam qui ſic alia deplorat, ut tamen alia committat, adhuc pœnitentiam agere, aut diſſimulat, aut ignorat. Hom. 34 in Euang.

S. AMBROSIVS.

Quid in craſtinum differs? Potes & hodiernum diem lucrari. Cavendum eſt enim, ne & illum non teneas; & hunc amittas. Non

exiguum

exiguum detrimentum eſt vel horæ unius : & una hora totius vitæ portio eſt. Epiſt. 82.

S. AVGVSTINVS.

Percutitur hac animadverſione peccator, ut moriens obliviſcatur ſui, qui dum viveret oblitus eſt Dei. S. Auguſt. Serm. 10. de omnibus SS. *Vide eundem* libr. 50, Homil. 41.

IDEM.

Deus converſioni tuæ indulgentiam promiſit, ſed dilationi tuæ diem craſtinam non promiſit. in Pſal. 144.

FINIS SECT. III.



DEO OPT. MAX.

MAGNI MARIS Hujus

ARCHITHALASSO:

Cui VENTI & MARE obediunt.

Sub Cujus Imperio

AD ÆTERNITATIS PORTUM

Per Vaſtum hoc Mundi PELAGUS,

Varias inter PROCELLAS,

In Magna ECCLESIÆ NAVI,

Chriſtiana NAVIGAT Gens Mortalium;

Feliciterque provehitur;

Auxiliante imprimis

FIDEI CYNOSURA,
SPEI ANCHORA,
CHARITATIS REMIGIO.

CLAVUS PRUDENTIÆ curſum dirigit:
MALUS IUSTITIÆ recta Navem ſervat:
RUDENTES FORTITUDINIS eandem firmant:
BOLIS TEMPERANTIÆ pericula præcavet:
RATIO ſedens in SPECULA,

Hoſtes, Sidera, Tempeſtates, obſervat;
Scopulos & ſyrtes declinat
HUMILITAS.

PAUPERTAS fugit PIRATAS:
CASTITAS vitat SIRENES:
OBEDIENTIA clamat CELEUSMA.

Sed & interim ANTLIA Pœnitentiæ SENTINAM exhaurit.

Denique ORATIO, IEIVNIVM, ELEEMOSYNA
Cæteræque VIRTVTES VELA ſua pandunt.

Sed quid hæc proſunt, aut poſſunt omnia?
Si non ſecundus aſpirat VENTVS:
Tuæ, inquam, ô ſupremum NVMEN & FLAMEN,
GRATIÆ FAVONIVS?

Sine quo poſſumus nihil;
Ex quo eſt omnis noſtra ſufficientia.
Et ecce, MOTVS Magnus in MARI factus
Graviter quaſſat NAVEM.

DOMINE, SALVA NOS, PERIMVS.
Mirabiles Elationes MARIS;
At mirabilior in altis DOMINVS.
O magne mundi RECTOR,
Quando imperabis VENTIS & MARI;
Vt fiat tranquillitas magna?
Quando dabis HALCYONIA?
Et lætum canentes ALLELVIA, dicere,
Tranſivimus per ignem & AQVAM,
Et eduxiſti nos in REFRIGERIVM?

SECTIO

SECTIO IV,

Varia Exercitia ad ſtudium Virtutum, & Chriſtianæ perfectionis utilia Complectens.

ORATIO PRÆPARATORIA,

Ad omnem piam lectionem.

B*Eatus homo quem tu erudieris, Domine, & de lege tua docueris eum: ita Domine: Beatus omninò, quia errare nequit Te Duce; nam* VIA *es: nec falli Te Doctore, quia* VERITAS *es: nec perire, Te Protectore, nam* VITA *es. Itaque Bonitatem, & diſciplinam, & ſcientiam doce me. Nam multa quidem paſſim audio virtutis ac pietatis documenta; multa de gratiæ tuæ obtinendæ mediis; monitis ac mandatis tuis piè ac diligenter à Servis tuis conſcripta lego; ſed quomodo intelligam, niſi tu* illumines *intellectum? & quomodo perficiam, niſi & tu* inflammes *affectum?* Velle *quidem adjacet mihi,* perficere *autem non invenio. Nihil utique poſſum ſine Te; at in Te omnia, à quo eſt omnis noſtra ſufficientia.*

Itaque dum ego lego, quæ piè conſcripta ſunt in libris; Tu eadem ſcribe quæſo digito tuo in tabulis cordis mei: Nam pulchrè dicta mulcent quidem aures; ſed ſine te non movent animos. Fruſtra, inqvam, *loquitur mihi homo ſimilis mei, quantumvis piè, docte, diſertè loquatur: niſi tu Domine mihi loquaris intus ad cor. Eja ergo loquere Domine, quia audit ſervus tuus: Sin minus, fac ut audiat, qui facis ſurdos audire, & mutos loqui.*

Sed inſuper fac, ut ardeat cor meum in me, dum loqueris mihi. Doce me facere voluntatem tuam, ne ad gravius judicium mihi ſit, ſciviſſe quid velis, & non feciſſe. Servus enim ſciens voluntatem Domini, & non faciens, plagis vapulabit multis. At ſervus tuus ſum ego: Da ergo mihi intellectum, ut diſcam mandata tua: adde gratiam, ut cuſtodiam illa in toto corde meo. Nam tibi uni deinceps parere, & placere, æternumque adhærere deſiderat anima mea. O Deus *cordis mei; & pars mea* Deus *in æternum.*

CAP. I.

DE DOCTRINA PIE VIVENDI colloquio inter Chriſtum & Hominem tradita.

§. 1. *Aſpiratio ad viam ſalutis.*

HOMO. O Sapientia Æterna, Domine Deus meus, quam admirabile eſt nomen tuum in univerſa terra? Tu quidem omnia hæc creaſti ex nihilo potenti dextera tua; & ex immenſa bonitate tua formaſti me, cum non eſſem, ad imaginem tuam; cum verò perditus eſſem, redemiſti me in ſanguine tuo; & pretioſam animam tuam in mortem dediſti, ut ego vitam haberem.

Signaſti quoque ſuper me lumen vultus tui, ut agnoſcerem te ſummum Bonum meum. Vnde & ad te, ô Deus meus, deſiderat anima mea, quemadmodum cervus ad fontes aquarum. O quando & quomodo apparebo ante faciem Dei? Nec enim in hac terra deſerta, invia, & inaquoſa; in hoc loco horroris & vaſtæ ſolitudinis, viam ſatis certam & ſecuram reperio.

Tu itaque lux vera, quæ illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, illuminare mihi qui in tenebris, & umbra mortis ſedeo, ad dirigendos pedes meos in viam pacis & ſalutis: Illumina tenebras meas: Dic quid faciendo vitam æternam poſſidebo? Tu qui viam Dei in veritate doces; oſtende mihi viam, in qua ambulem, ut perveniam ad te, ô Salus, ô Vita mea.

CHRISTVS. Meritò de via quæris, quæ ducit ad vitam. Eſt enim via quæ videtur homini bona, ſed noviſſima ejus ducunt ad mortem. Arcta verò & anguſta eſt via, quæ ad vitam ducit; & pauci inveniunt eam: At ſpatioſa via, quæ ad perditionem tendit: & heu quam multi vadunt per eam! Nimirum his curæ non eſt, in bivio, imò

imò inter tot ambages & diverticula quærere de via recta, & gnarum viæ ducem requirere.

Hinc in circuitu impii ambulant, & non invenientes viam pacis & veritatis, miſerè pereunt. Indicabo ergo tibi, ô homo, quid ſit bonum, & quid ego Dominus requiram à te: utique facere judicium & juſtitiam; & diligere miſericordiam; & ſollicitè ambulare cum Deo tuo.

HOMO. Scio, Domine, quia non eſt hominis via ejus; nec viri eſt, ut ambulet, & dirigat greſſus ſuos. Neſcit omnino finem ſuum: ignorat introitum & exitum ſuum homo peregrinus & advena ſuper terram. Sine te ſumus ſicut oves errantes, non habentes Paſtorem. O Paſtor bone, require ſervum tuum. Dirige me in veritate tua, & doce me, quia tu es Deus Salvator meus. Et vide, ſi via iniquitatis in me eſt, & deduc me in via æterna.

§. 2. *Via vitæ* CHRISTVS; *Per Obſervationem mandatorum ejus.*

CHRISTVS. Vis viam ſcire? Ecce, Ego ſum Via, Veritas & Vita, *Via* in exemplo; *Veritas* in promiſſo; *Vita* in præmio. Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ. Ego exemplum dedi vobis, ut ſequamini veſtigia mea; ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis. Inſpice ergo vitam meam, & fac ſecundum exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt: Nempe, diſce à me, quia mitis ſum & humilis corde; non enim veni, ut facerem voluntatem meam, ſed ejus qui miſit me: imo factus ſum obediens Deo Patri uſque ad mortem, mortem autem Crucis.

Vade ergo & tu, ô homo, & fac ſimiliter: Eſto humilis & obediens: &, ſi vis ad vitam ingredi, ſerva mandata. Primum autem & maximum mandatum eſt: Diliges Dominum Deum ex toto corde tuo, *&c.* & Proximum tuum ſicut teipſum. Qui habet mandata mea, & ſervat ea; ille

ille eſt qui diligit me. Nam probatio dilectionis exhibitio eſt operis.

HOMO. Eja Creator mi, operi manuum tuarum porrige dexteram, ut non declinem à mandatis tuis. Vtinam dirigantur viæ meæ ad cuſtodiendas juſtificationes tuas: Nam à lege Domini voluntas mea. Sed, heu, infelix ego homo, condelector quidem legi ſecundum interiorem hominem, ſed ſentio aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, ut non quod volo bonum, hoc faciam, ſed quod nolo malum; adeo proni ſunt ad malum ſenſus hominis ab adoleſcentia ſua: & corpus quod corrumpitur, aggravat animam: Et quomodo diligam te, quemadmodum diligi vis, & debes? cum modus diligendi te ſit, diligere ſine modo; quia tu excedis omnem modum.

CHRISTVS. Mandata mea gravia non ſunt; multò minus impoſſibilia: Iugum enim meum ſuave, & onus meum leve. Si mihi non credis, convincent te tot millia fidelium meorum, qui toto corde adhæſerunt mihi. Imo pueri quoque, & tenellæ virgines ſexu & ætate fragiles, confundent te. Ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt. Carnem cum deſideriis ſuis amore mei crucifixerunt; mundum, & omnes ejus illecebras calcarunt; minas quoque & omnia tormentorum genera fortiter ſpreverunt; Satanam viriliter vicerunt, & ſic jugum meum amplectentes cum gaudio, in toto corde ſequuti ſunt me Redemptorem ſuum. Et tu non poteris quod illi, & illæ?

HOMO. Hi ſunt, qui ut nubes volant, ego autem debilis & claudus humi repo nimis, confortata eſt virtus eorum, & non potero ad eam pertingere.

CHRISTVS. Contemplare ergo, ô homo, (humanum dico propter infirmitatem carnis tuæ) eos qui ſapientes ſunt, ut faciant mala, & lætantur cum malefecerint; ſed & vitulos Ephraim doctos diligere trituram, filios

filios inquam, hujus ſæculi: Ecce quam impigrè currunt, & ſudant, quomodo diſcruciant ſeſe, ut modica, & mox peritura, terræ bona comparent ſibi! Cur, & unde fortiores illi ſunt filiis lucis in generatione ſua? Cur, cum illi ſic exhibent membra ſua ſervire iniquitati ad iniquitatem, tu non poſſis ea exhibere ad ſerviendum juſtitiæ in ſanctificationem? Experire ſaltem, & vel modicum labora, & invenies tibi multam requiem. Videbis quantò facilius ſit cœlum lucrari, quam terram; mihi quam mundo placere & ſervire. Agnoſces quoque miſeriam eorum qui ambulant vias tam difficiles, quia labor & contritio, & infelicitas in viis eorum, qui viam pacis non cognoverunt; At viæ meæ, viæ pulchræ ac faciles. Vt quid ergo diligitis vanitatem & quæritis mendacium? quid laſſamini in via iniquitatis? Vſquequo gravi corde, ô mendaces filii hominum in ſtateris? Quid proderit vobis totum mundum lucrari, & animæ detrimentum facere?

Homo. Quò ibo à te Domine? verba vitæ æternæ habes. Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis. Beatus homo quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum. Vias tuas demonſtra mihi & ſemitas tuas edoce me. Deduc me in ſemitam mandatorum tuorum, quia ipſam volui; viam autem iniquitatis amove à me.

Christvs. Audi verba mea, quia ſpiritus & vita ſunt. Ego docens te utilia. Beatus homo, qui audit me, & cuſtodit ſermones meos. At vani ſunt omnes homines; in quibus non ſubeſt ſcientia Dei, Ecce paucis & facilibus monitis inſtruam te in via hac qua gradieris. Duçam te per ſemitas æquitatis; quas cum ingreſſus fueris, non arctabuntur greſſus tui, & currens non habebis offendiculum. Tu autem diligenter auſculta ſermones meos, & repone eos in corde tuo. Si enim volueris ſervare mandata mea, conſervabunt te.

Homo,

Homo. Loquere Domine, quia audit ſervus tuus. Sed & da mihi intellectum, ut diſcam mandata tua, & cuſtodiam illa in toto corde meo. Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. Ne ſervus ſciens voluntatem Domini, & non faciens, plagis multis vapulare dignus ſit.

§. 3. *Conſideratio* Finis *creationis noſtræ.*

Christvs. Ante omnia Finem creationis tuæ ſæpè & ſeriò tecum conſidera. Noſti enim, quia ſine cognitione Finis legitime ordinari media non poſſunt. Cogita ergò quorſum creatus ſis Homo: & factus ad imaginem & ſimilitudinem meam: Cur tam nobile donum Rationis præ cæteris animantibus acceperis: Cur in hunc mundum quaſi in ampliſſimum theatrum introductus ſis. Denique cur tot laboribus totius vitæ meæ, & ſanguine meo pretioſo redemptus; tot inſuper Sacramentis, & cœleſtis gratiæ præſidiis inſtructus ſis.

Numquid enim vanè conſtitui omnes filios hominum? Et quorſum tot illis corporis animique dona contuli? an ut ſtudeant cumulandis divitiis? ut famam nominis & gloriam quærant? magnificè & amplè ædificent, quaſi hîc æternum victuri; ut conjungant domum ad domum, & agrum agro copulent; ut circa villas, & juga boum occupentur; ut induantur purpura & byſſo, & epulentur quotidie ſplendidè; ut voluptati, otio, ludis, & jocis vacent; ut comedant & bibant, & ducant in bonis dies ſuos, rati hanc eſſe partem ſuam? Vah impia, & nimis impar liberalitati meæ cogitatio. Nam multò quidem altiore fine ego hominem condidi, & redemi.

Homo. Lauda ô anima mea Dominum: laudabo te Domine in omni vita mea. Quid enim eſt homo quod memor es ejus? Aut quid appoſuiſti erga eum cor tuum,

tu qui

tu qui nullam habes indigentiam? An forte bonorum noſtrorum egebas, ut conderes nos? At quid habemus, quod non accepimus? Tuus eſt orbis terræ, & omnis plenitudo ejus. Solum, ut divitias bonitatis & gloriæ tuæ in nobis oſtenderes, feciſti nos. Cum enim natura tua ſit ſumma bonitas, nihil magis deſiderat ipſa, quam ut ſe communicare ac diffundere poſſit. Quis poterit, ô Domine, enarrare mirabilia Potentiæ, Sapientiæ,& Bonitatis tuæ? Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Benedic anima mea Domino, & noli oblivisci omnes retributiones ejus. Adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi non meminero Creatoris mei.

CHRISTVS. O ſi ſaperes, & intelligeres, & finem tuum ac beneficium Creationis tuæ, ut par eſt, æſtimare noſſes! Audi ergò, & intellige. Ego quippe intellectum tibi dedi, & firmavi ſuper te oculos meos,ut non ſis ſicut equus,& mulus,quibus non eſt intellectus,ad cognoſcendum Deum Creatorem ſuum: *Intellectum*, inquam, dedi, ut agnoſceres me Deum ac Dominum tuum: *Voluntatem*, ut me diligeres, & cœleſtia ſolum appeteres: *Memoriam*, ut mei & beneficiorum meorum ſemper memineris: *Linguam*, ut me prædicares: omnes denique *Senſus* & vires tum corporis, tum animæ,ut hæc omnia ad Nominis mei Gloriam converteres: Et, cum fideliter hoc munere perfunctus fueris, tunc demum Ego ipſe ero merces tua. Ego ſummum BONVM tuum,quo adepto plane ſatiabitur deſiderium tuum. Nam animam ſummi boni capacem, quidquid ſummo minus eſt, implere non poterit.

Ecce mi homo, hic eſt Finis tuus, ad quem conditus es. Ideò poſitus es velut peregrinus, & incola in hoc mundo, non habens hic manentem civitatem, ſed ut futuram inquiras. Ideo conſtitutus in hoc ſtadio, ut ſtrenuè currendo & certando tandem accipias bravium, & coronam juſtitiæ.

At

At ô cæci & infelices, qui non ſapiunt, nec intelligunt hæc, adeoque nihil minus curant, quam id cujus gratià conditi ſunt: &, quaſi in vanum acceperint animas ſuas, ita circa præſentia tantum ſolliciti ſunt: & toti in his occupantur, quæ inquirunt gentes, quæ ignorant Deum: imo quæ pecudes, quibus non eſt intellectus ad aliorum finem cognoſcendum, appetunt. Vnde quaſi jumenta computreſcunt in ſtercore ſuo: ita vivunt, corrupti & abominabiles facti in ſtudiis ſuis, quaſi non ſit Deus; & non ſit ſcientia in Excelſo: vel quaſi unus ſit interitus hominis & jumenti, & æqua utriuſque conditio. Adeò rarò vel numquam cœlum & cœli præmia cogitant!

HOMO. Vere Domine ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus tui; quia unà cum lumine Rationis, ſeu dono intellectus impreſſa ſunt animis noſtris, benevolentiæ, amoris ac gratiæ tuæ veſtigia: & hinc quoque dediſti lætitiam in corde meo, naſcentem ex conſideratione doni tam excellentis: & bonorum, quæ præparaſti diligentibus te, eoque dono bene utentibus. Tu enim es pars hæreditatis meæ, & calicis mei; tu es, qui reſtitues hæreditatem meam mihi. Quid enim mihi eſt in cœlo, & à te quid volui ſuper terram, ô Deus cordis mei, & pars mea DEVS in æternum!

§. 4. *Recta & pura Intentio.*

CHRISTVS. Cognito ergô fine Creationis tuæ, qui eſt GLORIA mea, vide, ut in omnibus actionibus tuis huc tendas, & velut in ſcopum collimes, id eſt, ut omnia opera tua referas AD MAIOREM GLORIAM NOMINIS MEI. Praxis enim puræ & Rectæ INTENTIONIS, eſt quaſi compendium omnis pietatis, & perfectionis. Si oculus tuus ſimplex & rectus fuerit, totum corpus tuum lucidum erit. Sive itaque manducas, ſive bibis, ſive aliud quid agis, omnia ad gloriam nominis mei facere memento.

Ecce

Ecce labor modicus. Sed cujus immenſus eſt fructus: ſementis exigua, ſed quæ meſſem mire copioſam profert. Ars facilis, ſed quæ aurum ex plumbo, & quovis vili metallo conficit: id eſt, Dei amorem & gratiam ex quolibet opere, vili alias & inutili, elicit & auget.

Nam beneficio Rectæ Intentionis opera tua de ſe indigna, indifferentia, ac mere naturalia, virtutis & meriti rationem induunt, divinam lucrantur gratiam: nihil etiam perdunt commodi temporalis, ſed & tibi ipſi magis jucunda & facilia, & mihi longe gratiora fiunt.

O quam multi fraudantur fructu laborum ſuorum, vitio corruptæ intentionis! qui tamen fere blandiuntur ſibi, tamquam gens, quæ juſtitiam fecerit, & placent ſibi in multitudine operum ſuorum, quæ tamen exiguo gloriæ meæ, aut veræ pietatis affectu faciunt: ſed tantum, ut videantur ab hominibus; aut propter retributionem hujus potius quam futuræ vitæ. Verum erit, cum accepero tempus, ego juſtitias judicabo: nempe in die magna, cum ſcrutabor Ieruſalem in lucernis; tunc ego illuminabo abſcondita tenebrarum, & manifeſtabo conſilia cordium.

O quam multa quæ nunc arrident, tunc amareſcent! quam multa quæ nunc ſplendent, tunc ſordebunt! Quid enim coram me Iudice, qui redditurus ſum unicuique juxta opera ſua; & in primis juxta operum intentionem, quid, inquam, laude ac mercede dignum multi veſtrûm proferent? Amen dico tibi, jam ante receperunt mercedem ſuam; id conſecuti ſunt, quod quæſierant, id eſt, mundi gloriam, nominis famam, commoda carnis, opes, favores, dignitates: & quid ſupereſt, quod ego remunerer? Qui enim commodi, aut honoris ſui potius, quam gloriæ meæ, & mihi placendi deſiderio, ad opera etiam pia ducuntur, non mihi, ſed ſibi ipſi, mundo, & carni ſerviunt: & quomodo mercedem à me exigere audeant?

Vide vanitatem hominum ſtulto & inani labore ſe conſumentium. Seminant multum, & inferunt parum; comedunt & non ſatiantur; bibunt & non inebriantur; & qui colligunt mercedes, mittunt eas in ſacculum pertuſum. Tu vero mi homo, cautior eſto, & vide, ne & tu agendo multa nihil agas, & omnem laboris tui fructum perdas: ut quid appendis aurum tuum, & non in panibus; & argentum tuum non in ſaturitate? Vſquequo claudicas in duas partes? Si ego ſum Dominus Deus tuus, in toto corde tuo ſequere me. Si quid aliud mavis, vel amas ſupra me, quid titulo & nomine meo gloriaris? Quid uſurpas inſignia mea? Si ſervire delectat, mihi ſervire regnare eſt: ſi gloriam quæris, magna gloria eſt ſequi Dominum: Ego ſequentes me glorificabo, qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. Si mercedem optas, à me uno poſtula; & unde potes majorem exſpectare? Nec enim oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adſcendit, quæ præparavi diligentibus me. O ſi in hanc remunerationem ſæpius reſpiceres: nullus certe labor gravis tibi videri poſſet. Nam ſpes mercedis ſolatium eſt laboris: Et ecce EGO ERO MERCES TVA MAGNA NIMIS.

HOMO. Dignus es Domine accipere laudem, & gloriam, & honorem ab omni creatura: & cur non à me quoque, qui creatus ſum ad imaginem tuam, & emptus à te pretio tam magno, ut glorificem te Deum meum in corde & corpore meo? Quis plantat arborem, aut vineam, & de fructu ejus non edit? Tu vero Domine plaſmaſti me, & plantaſti in terra hac. Tu vineam hanc, Animam meam, de Ægypto tranſtuliſti; in hoc ſtatu. N. vocatione. N. officio. N. me collocans. Abſit à me, ut cum exſpectaveris uvas ex me, non proferam niſi labruſcas.

Vtinam ſit anima mea ſicut hortus irriguus, bonis fructibus, id eſt, ſolidis virtutibus fœcundus. Abſint inanes

inanes flores, tantum placentes oculis, id eſt, falſæ virtutes & opera non niſi in ſpeciem bona, quæ tanquam fœnum velociter areſcent. Eradicetur omnis plantatio ſpuria, quam non plantavit Pater veritatis, ſed vanitatis & ſuperbiæ.

Vtinam ſim, inquam, ſicut lignum quod plantatum ſecus decurſus aquarum, fructum tibi reddat in tempore ſuo; ne veniens, & non inveniens fructum veræ pietatis in eo, maledicas arbori infructuoſæ, & jubeas eam exſcindi, & in ignem projici.

Ad te itaque ſuſpirat anima mea, ad te reſpiciunt oculi mei, qui habitas in cœlis: Abſit ut ſtatuam oculos meos declinare in terram; & laborare malim pro vili ſtercore, quam pro honore & amore tui, & præmio vitæ cœleſtis. Non libet inanem gloriam venari, cui æterna promittitur. Apoſtolus quidem tuus omnia arbitratur ut ſtercora, ut te lucrifaciat. Et vere; quid enim habemus ex iis, ubi tranſierint, niſi quod erubeſcimus? O quam optabimus aliquando magis ſerio laboraſſe pro te, & non in vanum! Ecce Domine, tibi cor meum offero, fœdere ſempiterno, & tibi dico omniā opera mea. SANCTIFICETVR NOMEN TVVM in me, & ſit benedictum in ſæcula.

CHRISTVS. Cave igitur, aliud bonum quæras: Bonum tuum quære, ô Homo. Eſt enim bonum aliud alteri, ſed tu quære bonum tuum. Nemo bonus niſi ſummus DEVS, quid ergo tibi deeſt, cui adeſt ſummum Bonum? Sunt & inferiora bona, quæ aliis & aliis bona ſunt. Pecori quid bonum eſt, niſi implere ventrem, carere indigentia, dormire, vivere, ſanum eſſe, generare? Tale tu bonum quæris, cohæres Filii Dei? quid gaudes, quia ſocius es pecorum? Erige ſpem tuam ad Bonum bonorum omnium. *Ita* S. Aug. *in Pſ.* 101.

HOMO. Mihi adhærere ſummo Bono, tibi, inquam, Deo meo bonum eſt, & ponere in te ſpem meam: vo-

luntarie ſacrificabo tibi, & confitebor Nomini tuo Domine, quoniam bonum eſt. Quid enim mihi eſt in cœlo, & à te quid volui ſuper terram?

CHRISTVS. Interim bonis inferioribus, id eſt, cæteris creaturis meis non prorſus interdico tibi: neque enim fruſtra feci eas. Scito tamen his omnibus non aliter utendum, neque amanda ea, aut quærenda, niſi in quantum tibi auxilia eſſe poſſunt, ſeu media ad finem tuum conſequendum. Felix qui ex omni re creata elicit amorem Creatoris; & qui ex creaturis ſibi facit ſcalam in cœlum, quæ alias fiunt in muſcipulam pedibus inſipientum.

HOMO. Conſidero hæc omnia à te Domine condita propter me, omnia pulchra & bona valde: ſed quanto tu pulchrior, melior, & amabilior, conditor eorum? Si ita amatur ſtilla & gutta boni, quanto magis amandus ipſe fons, & immenſus Bonitatis Oceanus? Vtinam te ſuper omnia diligat anima mea, & nihil aliud, niſi propter te.

§. 5. Studium mortificationis ſui ipſius, ſeu cuſtodia cordis & ſenſuum.

CHRISTVS. Bonum quidem deſiderium tuum: ſed fruſtra aſpiras ad amorem mei, niſi te ipſum oderis. Nam male conveniunt amor carnis & amor Creatoris: Itaque qui amat animam ſuam, perdet eam; qui vero odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodiet eam. Vnde ſi ſecundum carnem vixeris, morieris; ſi vero ſpiritu facta carnis mortificaveris, vives. Sine hoc ſalutari odio tui non potes meus eſſe diſcipulus. Mortifica igitur deſideria tua, ſenſus tuos, & membra tua ſuper terram, ut non, quæcunque volueris, facias.

Inprimis omni cuſtodia cuſtodi cor tuum, quia ex ipſo vita procedit. Theſaurum valde pretioſum ego commiſi tibi: ſed tu illum vaſe fictili, cui plura quam ulli vitreo pericula imminent, id eſt, arca cordis tui, incluſum circum-

circumfers, multis utique inſidiatoribus & hoſtibus obnoxium: quem tamen tu ipſe ſæpe prodis, dum ſenſus male cuſtodis, & proſtituis.

O quam pauci ſerio cuſtodiunt vias ſuas, ut non delinquant in lingua ſua! unius vero linguæ damna & delicta nulla lingua recenſere ſufficit. Si quis autem ſe religioſum exiſtimat, non refrenans linguam ſuam, hujus vana eſt religio. Nonne tu ipſe toties expertus noſti, ſenſum aliquem amoris mei, ac guſtum devotionis multo tandem labore colligi, ſed & eundem tam facile paucis verbis inanibus & otioſis diſſipari? Vide quantum momenti ad profectum pietatis, unius linguæ diſciplina conferat. Sed hoc pauci cogitant, quamvis experientia didicerint, in multiloquio non deeſſe peccatum, & quantumvis dixerim ego Æterna Veritas, de omni verbo otioſo reddendam eſſe in extremo judicio rationem.

Sed & aliorum ſenſuum diligens cuſtodia plurimum facit ad hoc, ut homo in amore mei proficiat, & perſeveret uſque in finem. O quam multorum animas oculi deprædati ſunt! Eva, Dina, David, pluresque alii tibi exemplo ſint; nam felix & ſapiens eſt, qui ex alieno malo cavet ſuum. Averte ergo oculos tuos ne videant vanitatem. Quin potius inſtar Iobi pange fœdus cum oculis tuis, ne per illos cæcum amorem, aut noxium aliquem affectum haurias. Facilius erit tibi eum non admittere, quam admiſſum ejicere.

Sepi aures tuas ſpinis, ne pateant beſtiis vaſtantibus cor, velut detractoribus, maledicis, turpiloquis. Quando ſederis ut comedas, ſtatue cultrum in gutture tuo, id eſt, gulam refrena, nec effundas te ſuper omnem eſcam, & vide ne ſumens cibum voluptati naturæ ſervias potius quam neceſſitati. Quin partem aliquam cibi gulæ ſubtrahe, & mihi in membris meis offer.

Cogita, quas ego delicias tui cauſa dereliquerim, quas amaritudines adſumpſerim: ideoque & tu ipſe denega tibi

multa, quæ carni placent, ſed ſpiritui nocent: & ut ab illicitis te facilius cohibeas, etiam in licitis ſubinde appetitum reſtringe, ſciens, quia ego gaudia longe majora præparavi his, qui iſthæc varia amore mei contempſerint.

Homo. Operuit confuſio faciem meam Domine, cum video te in laboribus à juventute tua, ubique ſectari dura & aſpera; nos vero nomine Chriſtianos, tam degeneres eſſe ab exemplo tuo. Quid enim aliud nos tota vita docuiſti, qui propoſito tibi gaudio, ſuſtinuiſti crucem, confuſione contempta, quam voluptates ſpernere, abnegare nosmetipſos, ferre crucem, & ſequi te. Tu utique noveras reprobare malum, & eligere bonum: Elegiſti autem, quod durius & carni moleſtius erat: id ergo melius, id utilius, id magis eligendum.

Sed quam pauci in hoc ſequuntur te! Omnes quæ ſua, id eſt; carni ſuavia ſunt, quærunt, nec pudet nos ſub ſpinoſo capite membra eſſe delicata. Diſcipuli & ſervi tui ſumus, & haberi volumus. Sed heu quanto promptius mundum & principem ejus audimus! quam ſtudioſe carnis deſideria perficimus! Domine ante te omne deſiderium meum, & gemitus meus à te non eſt abſconditus.

Christus. Tu vero deinceps ſequere veſtigia mea, & mortificationem crucis meæ jugiter porta in corpore tuo. Caſtiga corpus tuum, & in ſervitutem redige. Ecce electi mei, viri virtutum, quomodo oderunt animas ſuas in hoc mundo, ut in vitam æternam cuſtodirent eas: at hoc erat vere eas amare. O ſi agnoſceres & tu, quia mundus tranſit, & concupiſcentia ejus: fugit & vita tua velut umbra, & quaſi vapor ad modicum parens. Quid vero tandem optabis feciſſe? quid demum ſupererit tibi de cunctis gaudiis tuis niſi crux, tribulatio, & afflictio animi? O quam ſe tunc deceptos plangent, quando extrema gaudii luctus occupabit, qui nunc exultant in rebus peſſimis, & ſub ſentibus eſſe delicias com-

computant! Nam in fine hominis denudatio operum illius; & malitia horæ extremæ oblivionem faciet luxuriæ magnæ. O ſi amaritudines, quibus terminantur iſtorum voluptates & gaudia, deguſtares, clamares utique; Mors in olla; Mors in deliciis carnis; nec liberet edere ex eo, quod guſtatum adfert mortem: neque bibere velles de calice hoc, cujus vinum nunc quidem ingreditur blande, ſed poſtea mordebit ut coluber, & ut regulus venena diffundet: cum fæces calicis mei bibent omnes peccatores terræ: nam tandem ignis & ſulphur, & ſpiritus procellarum pars calicis eorum.

Et quidem ſi medicus præciperet tibi infirmo, ut certis abſtineres eduliis, quantumvis guſtui gratiſſimis; pareres utique amore vitæ & valetudinis: quanto magis mihi, cauſſa animæ tuæ & ſalutis æternæ? uſquequo ergo velut parvulus diliges infantiam, &, ut ſtultus, quæ tibi ſunt noxia, cupies?

HOMO. Benedictus ſis in æternum Domine, quia ſic mones me, ut & ego non extendam ad calicem Babylonis manus meas. Quin renuit deinceps delectari anima mea. Memor autem ero tui, O IESV, & deliciæ mihi non deerunt: nam delectationes in dextera tua, & deliciæ tuæ, eſſe cum filiis hominum.

Teneant ergo alii tympanum & citharam, veſcantur pinguibus, veſtiantur mollibus, laſciviant in ſtratis ſuis; ubique relinquant ſigna lætitiæ ſuæ: ego vero delectabor in Domino: Hæc mihi ſola & maxima voluptas erit, propter te aliam nolle voluptatem; ut guſtare poſſim, quam ſuavis ſis Domine DEVS meus; quod intelligere non facies, niſi ablactatos à lacte, avulſos ab uberibus terrenæ voluptatis: nec dabis manna de cœlo, niſi cibis Ægypti conſumptis: adeo non licet ſummis pariter delectari & infimis.

Interim ſentio (cur diſſimulem coram te, qui noſti intima mea?) quanta ſit vis voluptatis; per quam

etiam Cedros Libani everſas eſſe, & ſtellas, quaſi de cœlo cecidiſſe video: & quid infirmus ego de me præſumere potero?

6. Diffidentia ſui, & aſſiduæ Orationis cura.

CHRISTVS. Hoc eſt ſapientiæ & ſalutis initium, agnoſcere quam ſitis infirmi, & quod non ſitis ſufficientes aliquid ex vobis, tanquam ex vobis cogitare, nedum agere: ſed quod omnis ſufficientia veſtra ex me ſit.

Sine me nihil poteſtis facere: ſicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in vite, ſic nec vos, niſi in me manſeritis. Niſi manu artificis moveatur malleus, digitis ſcribæ calamus, quid efficient utraque?

HOMO. Vere niſi tu Domine ædificaveris domum, in vanum laborant omnes, qui ædificant eam. Fruſtra nitimur nos ædificare turrim, qui ſumptus ex nobis non habemus ad perficiendum. Tu autem omnia operaris in omnibus, quæ ſalutis ſunt. Sine te nihil, omnia poſſum in te, qui me confortas.

CHRISTVS. Merito itaque deſeruntur à me filii ſuperbiæ, qui confidunt in virtute ſua, & in multitudine divitiarum ſuarum gloriantur, ut relicti ſibimetipſis, videant, quam nihil ſint & poſſint, ſine me; & quod ego ſim ſolus, qui do velle, poſſe, perficere.

HOMO. In te Domine vivimus, movemur, & ſumus. Fortitudo mea & laus mea tu es, bone IESV: tu ſolus factus es mihi in ſalutem. Vnde non in arcu meo ſperabo, nec gladius meus ſalvabit me. Non manus noſtra excelſa; ſed dextera Domini faciet virtutem, *&c.*

CHRISTVS. Nihil ergo ſolicitus ſis, ſed in omni oratione petitiones tuæ innoteſcant apud DEVM. Innitere non ſuper baculum arundineum; ſed ſuper Dilectum tuum, omnem curam in eum projice; & videbis mutationem dexteræ Excelſi, qui facit mirabilia magna ſolus,

ſolus. Vidiſti ſubinde aliquos parum profeciſſe! aut etiam omnino defeciſſe fiducia ſui, & orationis incuria factum ſcito. Hinc eſt, quod hortatus ſum ego ſæpe vos; itemque Apoſtolus meus, oportere ſemper, & ſine intermiſſione orare, & non deficere. Et quamvis hoc multis difficile videatur, attamen quam ſit facile, norunt ii, qui inter ipſa etiam negotia, ſtudia, colloquia, nullo negotio mentem ſuam elevare ſolent in Deum. Vel ſemel enim oculos in cœlum attollere cum intimo cordis affectu, ardens oratio eſt, & tenerrime cor meum afficit. Affectus enim fons ſit oportet ejuſmodi orationum, quales ſunt, Dolor de peccatis, Deteſtatio vanitatis hujus ſæculi, tædium præſentis vitæ, deſiderium futuræ, Gratiarum actio pro infinitis meis beneficiis, Admiratio mirabilium Dei, Fiducia in Deum, Zelus divini honoris, ſed cumprimis ardens mei AMOR, quo deſiderat anima conjungi Dilecto ſuo.

Affectuum autem hujuſmodi ignis, maxime exardeſcit in meditatione: qui proinde ſemper jaculatoriis fovendus eſt. Et illarum quidem materiam tum virtutes magis neceſſariæ; tum omnia quæ ſenſibus occurrunt, ſuggerere poſſunt. Vnde ajebat Vir ille ſecundum cor meum, *Delectaſti me Domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo.*

Ita vero uti creaturis, non eſt omnium: ſed eorum, qui exercitatos habent ſenſus, ad diſcretionem boni & mali. Nam vir inſipiens non cognoſcet, & ſtultus non intelliget hæc. Alioquin eundem Prophetam meum præeuntem ſequere, & crebro per breves, ſed ignitas formulas ad me ſuſpirantem imitare. Tales ſunt, ut paucas è multis ſuggeram:

Quam magnifica ſunt opera tua Domine! Omnia in ſapientia feciſti; impleta eſt terra poſſeſſione tua.

Vtinam dirigantur viæ meæ, ad cuſtodiendas juſtificationes tuas!

Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt! Cor mundum crea in me Deus, *&c.*

Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus. Sitivit anima mea, *&c.*

Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte, nequando dicat inimicus meus, prævalui adverſus eum.

Diligam te Domine fortitudo mea, Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus.

Dominus regit me, & nihil mihi deerit; in loco paſcuæ ibi me collocavit.

Sit nomen Domini benedictum ex hoc, *&c.*

Vnam petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, *&c.*

§. 7. Exercitium Præſentiæ Dei.

CHRISTVS. Hoc modo fiet etiam, quod ad profectum pietatis non minus utile tibi futurum eſt; ut nimirum memoriam præſentiæ meæ jugiter geras in corde tuo; & ſic agas omnia, ut qui verſeris ubique in oculis meis:

Ambula itaque coram me, & eſto perfectus. Vis autem male agere? quære tibi locum, ubi ego te non videam; & age ſecure quod vis. An neſcis, quia cœlum & terram ego impleo, & quod omnia nuda & aperta ſunt oculis meis? nam oculi mei lucidiores ſuper ſolem, in omni loco contemplantur bonos & malos? Quid eſt, quod multi, quaſi equus & mulus ſine freno præcipites feruntur in omnem nequitiam; & quare ſine timore filii hominum perpetrant mala? nimirum, quia me ſibi præſentem non credunt, & non proponunt Deum ante conſpectum ſuum. Tu vero in omnibus viis tuis cogita Dominum; me, inquam, & ego dirigam greſſus tuos. Vide quanti ſit conſpectus alicujus viri boni & gravis, ad continendum hominem in officio & modeſtia. En quam ſolicite

licito & accurate coram eo agis omnia, quam etiam caute provides, ne eo præſente quidquam mali vel indecori committas. Et tu audebis me præſente, quod homine ſpectante non auderes? An forte plus hominis oculos reverearis, quam Dei, Domini, judicis tui, qui poteſtatem habet & corpus, & animam tuam mittere in ignem æternum?

HOMO. Quo ibo à ſpiritu tuo, & quo à facie tua fugiam, qui intime præſens es mihi, & ſcrutaris cor & renes meos? Sed, heu, cur non ita vivo, uti oportebat hæc credentem! Heu ſtupiditas cordis noſtri! Sic agimus, ita vivimus, loquimur, *&c.* Quaſi circa cardines cœli perambules, & noſtra non conſideres. Hominem mei ſimilem, vermis vermem timeo, & Deum meum, Regem univerſi, Iudicem omnium Regum terræ non formido! Miſerere mei IESV Fili David. Et quid volo, niſi ut videam? Videam, inquam, te circa me, imo intra me? non longe enim es ab unoquoque noſtrum. Abſit ut deinceps non ſit Deus in conſpectu meo ſemper; tu ſis mihi à dextris ne commovear. O quanta mihi indicta eſt neceſſitas bene ſanctequé vivendi, qui ſemper & ubique verſor in conſpectu Iudicis cuncta cernentis!

§. 8. *Ordo Vitæ ſeu Actionum & cura temporis.*

CHRISTVS. Cura proinde, ut honeſte & ſecundum ordinem omnia tua fiant. Nam qui ſcit, ſe magnum habere ſpectatorem, imo cenſorem actionum, ſerio cavet, ne confuſe & inordinate agendo oculos ejus offendat. Quid tu facies, me omnia tua coram ſpectante? In primis ergo certo ordine actiones tuas diſtribue, quin & ſingulas diei horas deſcribe tibi, quoad licet. Vide quid ſingulis agendum; & hoc unum age, quod agis, tempore præſcripto.

Miraris hujuſmodi monitum, quaſi nimis ſcrupuloſum & minutum? Sed ſcito, quia quæ à Deo ſunt, ordinata ſunt. An neſcis quantus ego ſim amator ordinis, qui in

certo ordine, pondere, ac menſura creavi omnia? At vero hoſtis meus Satan, oſor eſt ordinis, auctor confuſionis; nempe illuc ſpectans, ubi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat. Vnde ejus ſolius fraus eſt, cum pio vacas operi, alia tibi agenda & curanda ſuggerere; ut te ab illo diſtrahat. Tu vero, ut eum eludas, in unum id incumbe, quod agis; aliorum curam abjice; aut tantiſper ſepone. Omnia fac in tempore ſuo. Vt negotia ſunt, ita te illis accommoda. Graviora & magis neceſſaria, uti ſunt, quæ gloriam meam, & ſalutem tuam concernunt, meliorem utique & juſtam temporis portionem merito requirunt. Cave præpoſteram multorum agendi rationem, quibus maxima de minimis cura eſt, & de maximis minima. Qui tempus deterius reſervant mihi, poſtquam meliorem temporis partem negotia ſæculi & curæ corporis abſumpſerint. O iniqui rerum æſtimatores! Hinc confuſio tenet eos: inde turbantur & moventur ſicut ebrii, & omnis ſapientia eorum devoratur.

Tu vero non ſic, ſed pie & prudenter diſpone actiones tuas, & primum quære Regnum Dei, & Iuſtitiam ejus: ſic magna tranquillitate animi perfrueris. Ordo enim eſt cauſa pacis: facit noſſe quid, & quando agendum ſit: cogitationum volubilitatem corrigit: opus quodcunque ſuſceptum urget ac perficit, otium excludit; dum ipſe recurſus temporis te monet officii, & unaquæque hora opus ſuum exigit.

HOMO. Iuſta ſunt quæ hortaris, Domine, & grata mihi, ſed quî poſſunt hæc fieri? Tu ſcis Domine, quantum temporis nobis etiam ſæpe invitis eripiant occupationes, negotia, amicorum viſitationes, & colloquia, aliæque neceſſitates hujus vitæ. Quin vides, ô IESV, vides, uti corpus hoc quod corrumpitur, aggravet animam, & terrena inhabitatio deprimat ſenſum cœleſtia cogitantem.

CHRISTVS. Hoc eſt quod vehementer diſplicet mihi,

mihi, tam raros eſſe, qui pretium temporis agnoſcant, quod ego hominibus indulgeo ad agendam pœnitentiam, ad augendam gratiam meam, & gloriam in cœlis acquirendam. Ecce præterit tempus acceptabile, ſed nunquam revocabile, & nemo recogitat corde: tranſeunt dies ſalutis, & nemo ſibi occaſiones bene agendi non redituras periiſſe cauſſatur.

Tu vero devita, quantum potes, fures temporis, (amicos, ſermones, & occupationes parum utiles) & quoniam dies mali ſunt, redime tempus, potioribus amicis, Mihi & Animæ tuæ, tribuendum. An grave & moleſtum eſt, quod poſtulo? Vide quantum temporis corpori, cibo, ſomno, recreationi, colloquiis, conviviis, *&c.* detur: & tu tantillum non dabis Deo, Animæ, Æternitati? O quam ſunt homines prodigi temporis, cum ſerviendum eſt vanitati! quam parci, cum pietati vacandum eſt, cui merito omne tempus debebatur!

Porro & hoc moneo, fili, ne in multis ſint actus tui, diſtractus in varia, non ſufficies ad ſingula. Qui minoratur actu, ſapientiam inveniet. Coanguſtatum enim eſt ſtratum cordis tui, & pallium breve utrumque operire non poteſt. Sapientum quoque ſæculi non nemo agnovit, quod ad bonam mentem nemo perveniat occupatus. Et quomodo tu, tot obrutus negotiis, ad veram pietatem pervenies? Vides negotioſos homines? O ſi inſpicere poſſes ipſorum conſcientias; videres quam miſere lacerentur quaſi inter ſpinas, & vepres: & quomodo inter tot curas & negotia paulatim extinguatur ſpiritus, affectus exareſcat, & omnis rerum ſacrarum guſtus ſenſim ſine ſenſu depereat. Sic nempe itur in duritiam cordis; ab illa in averſionem; & denique in contemptum & interitum. quid mirum? alieni comederunt robur eorum, & ipſi neſcierunt.

Si ſapere vis malo alieno, (quod vere ſapientis eſt) vaca & vide, quia ego ſum Deus, dignus à te coli ſuper omnia.

omnia. quorſum tibi, ſi me neglecto turberis erga plurima, & cum damno animæ totum mundum lucreris? Sed eſto, vocatus es ad laborem, non potes te prorſus eximere negotiis: & ego nolo te deeſſe negotiis vocationis tuæ; ſaltem utilibus, honeſtis, neceſſariis tantum occupari ſtude: ſic ſane te magis tempori, quam tempus tibi deeſſe comperies. Vel ſaltem frequentius convertatur anima tua in requiem ſuam, & vide, cui potiſſimum ſis obnoxius debitor; Domino utique, qui ſuper omnes benefecit tibi.

Quotidie ergo ſemel ad minus aſcende cum Moyſe in montem, ut colloquaris mecum. Secede tantiſper à turba, & intra in cubiculum tuum, & velut ex tempeſtate in portum quietis te recipe; & clauſo oſtio, in abſcondito loquere mihi: & ego illic, utpote in ſolicitudine, tibi loquar ad cor, quæ ad pacem tibi. Ecce, & pia illa Heroina Iudith in ſuperiore parte domus ſuæ habebat Oratorium, quod indies cum ancillis orandi gratia ingredi ſolita fuit. Putas hoc obfuiſſe conſiliis & negotiis ejus? imo nemo virorum, tam prudens aut felix fuit, nemo Principum populi tantam opem & ſalutem univerſæ illi Regioni attulit.

Si autem vis in hoc quotidiano ſeceſſu utile exercitium; facile occurret, ubi familiarior mihi eſſe cœperis, & rarior inter homines. Ecce; Ora, Lege. Cum oras, mihi loqueris: cum pia legis, ego loquor tibi: & quid dignius, quid utilius, aut jucundius homini?

HOMO. O quam modicum eſt Domine quod poſtulas à nobis! Vere omne tempus vitæ noſtræ ſoli debebatur tibi. Nullum enim temporis momentum eſt, quo non fruamur beneficiis tuis; nullum quoque eſſe debebat, quod vacaret à laude & memoria tui. Vtinam faciam quæ docuiſti me, ut ordinatione tua totus mihi decurrat dies. Vtinam ſic intendam aliis, ut nunquam obliviſcar tui, & amorem gloriæ tuæ, & ſupernæ Ieruſalem ponam in principio lætitiæ meæ. §. 9.

§. 9. *Viæ Dux, ſeu Magiſter ſpiritualis.*

CHRISTVS. Sed & cave, ne ſis ſapiens apud temetipſum, ſic enim facile corrues. Væ autem ſoli, quia cum ceciderit, non habet ſublevantem ſe. Tracta cum ſapientibus cauſſam tuam. Nemo tam ſapiens, ut conſilio ſapientioris ſubinde non egeat. Audiens ſapiens ſapientior erit: qui vero odit increpationes, inſipiens eſt.

O quam multos fallit amor ſui; quam multi in cauſſa propria cæcutiunt, qui in alienis nimium oculati ſunt! Ecce David, quis illo ſanctior, aut mihi carior? attamen poſtea lapſus eſt, & peccavit peccatum grande, nec agnovit, (qui alioquin ſatis gravi raptorem ovis ſententia ferire noverat) donec aperte, per ſervum meum Nathan corriperetur. Moyſes quoque ſervus meus, quamvis facie ad faciem ei loquerer, is nihilominus ſoceri ſui Iethro, hominis ethnici conſilium libenter, nec minus utiliter audivit; ita Paulus Ananiam, Eunuchus Reginæ Candacis Philippum, Cornelius Centurio Petrum humiliter audierunt.

Habe ergo & tu fidelem viæ ducem, qui non ignoret aſtutias Satanæ: quem conſulas in dubiis; cui reveles ſecreta cordis tui; quem ſecure ſequaris. Sed ſi vera & dura, potius quam blanda & mollia prophetat tibi, ne oderis eum. Meliora ſunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oſcula blandientis. Cave imiteris eos qui diligunt iniquitatem, & oderunt animas ſuas, adeoque prurientes auribus, quærunt ſibi magiſtros molles, & à veritate auditum avertunt; Cave, inquam, ne credas his, qui loquuntur tibi non niſi placentia; qui dicunt pax, & non eſt pax. Nonne medicus ægrum perdit, cui parcit? Sic qui te beatum dicunt, ipſi te decipiunt.

Vide ergo cui animam fidas. Si profecturus eſſes ignota via, & mediis noctis tenebris, an ignarum viæ ducem

cem velles? Si periculoſo morbo laborares, an rudem & imperitum cuperes medicum? an mollem, qui parcendo tibi perderet te? Imo equi & jumenti ſui curam nemo committit, niſi experto & fideli: & cui animam committas, parum referre putas? Illi denique ſecurius committes animam tuam, qui novit curare ſuam. Si cæcus cæco ducatum præſtet, nonne ambo in foveam cadunt? Et qui ſibi nequam, cui bonus erit?

HOMO. Falli & errare humanum eſt. Fateor Domine. Vtinam provideas mihi ducem habentem zelum Dei, ſecundum ſcientiam, qui idoneus ſit inſtruere me in ſpiritu lenitatis & manſuetudinis: qui non quæ ſua ſunt, quærat, ſed quæ IESV Chriſti; qui, inquam, amore tui, & proximi, non parcat mihi, ut utrique tu parcas, Domine. Corripiat me plane juſtus in miſericordia, & increpet me; oleum autem aſſentatoris non impinguet caput meum: & in illo quidem, non tam hominem, quam te in illo loquentem audiam. Nam veritas undecunque eſt, à te eſt, qui es prima veritas.

§. 10. *Examen Conſcientiæ quotidianum.*

CHRISTVS. Reſtat unum, quod niſi quotidie & ſerio curæ tibi fuerit, fruſtra videberis in cæteris laborare. Eſt autem quotidianum EXAMEN Conſcientiæ; quod quidem tanti momenti eſt, ut ſine eo vita pia & ſpiritualis diu ſubſiſtere, aut ſolidus in virtute progreſſus ſperari nequeat. Nam cum initium ſalutis ſit notitia peccati, quomodo ille de emendatione vitæ, cordis compunctione, aut pietatis profectu ſerio cogitabit, qui ne quidem curat noſſe defectus ſuos? Quomodo de venia & remiſſione peccatorum à me obtinenda ſolicitus erit, qui neſcit ubi offenderit? quomodo ſanari quæret, qui morbum ſuum non agnoſcit! Quin magis blanditur ſibi uti ſanus per omnia, & complacet ſibi, quaſi homo frugi, & qui non ſit operatus malum; & dicit,

quia

quia dives ſum,& nullius egeo: & neſcit,quia ipſe eſt miſer, & miſerabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.

O Homo, ſi intus videres te, diſpliceres tibi, & placeres mihi, ſed quia ignoras te, places tibi, & diſplices mihi. Quam multi multa ſciunt,& ſeipſos neſciunt! cum tamen vanum ſit omne, quod ad æternitatem non prodeſt. Quam multi circa alios & aliena occupantur, & ſeipſos negligunt! Tu, mi homo, ſi ſapis, quidquid ſit de aliis, inprimis pone cor tuum ſuper vias tuas, & miſerere animæ tuæ, qua nihil tibi carius aut pretioſius in vita tua; cujus ſi detrimentum patiaris, & totum mundum lucreris, quid proderit tibi?

HOMO. Eheu Domine in multis offendimus omnes. Sed delicta quis intelligit? Omnino, ſi dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Heu quæ iſta ſtupiditas cordis noſtri, ut non ſcrutemur vias noſtras, an etiam cor noſtrum reprehendat nos; ſed, cauteriatas conſcientias habentes, diſſimulamus peccata noſtra, quaſi gens quæ juſtitiam fecerit; & de progreſſu in via Domini tam parum curamus?

CHRISTVS. Si vos ipſos dijudicaretis, non utique judicaremini. Sed quia proprium ſcrutinium ſubterfugitis, nonne majus judicium ſumitis? Proinde hortor ego vos, ſi quæ forte per diem dicitis in cordibus veſtris: ſi quæ mala decernitis & agitatis in animo, (nam ex corde exeunt omnia crimina) de his in cubilibus veſtris, cum ſoli eſtis, extra turbam & ſtrepitus, & jam ad quietem membra componitis, compungimini, dolete, & reſipiſcite.

O quam male conſulunt ſibi, qui totum diem inter occupationes, negotia, curas, & ſtrepitus extrahunt; demum laſſi & ſomnolenti ad quietem properant; ut vel tantillum orationi, & examini vacare tædeat! Quid dicam de his, qui conſurgunt mane ad ſectandam ebrietatem! &

potandum uſque ad veſperam, donec vino æſtuent: qui diem inter cœnam, pocula, luſus, jocos, & fabulas claudunt; ſicque demum, inſtar temulenti Holophernis, aut beſtiæ, ſomno & vino ſepulti, jacent in ſtratis ſuis? O ſtulti! quid ſi hac ipſa nocte mors petat jugulum veſtrum; miſeræ animæ quo ibunt? Nonne ubi ceciderit lignum, ibi erit? Quid ſi ſomnum illum longus & perpetuus ſomnus excipiat, quid tunc viri iſti divitiarum invenient in manibus ſuis? Quid ſi infelices adhuc vino madidi ſiſtantur Iudici? O quam horrendum erit incidere tales in manus Dei viventis! Intelligite hæc, qui obliviſcimini Deum, ne quando rapiat, & non ſit qui eripiat.

HOMO. Illumina Domine oculos meos, ne unquam obdormiam in morte: nequando dicat inimicus meus, prævalui adverſus eum. Agnoſco enim non hominis, ſed pecudis vitam eſſe, ſic claudere diem, ſic ordiri, immemorem Dei; ſine quo nec ad momentum vivere, nec moveri, nec eſſe poſſumus. Da mihi, ne unquam aſcendam in lectum ſtrati mei, neque dem ſomnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem; quin prius recogitem tibi transactum diem in amaritudine animæ meæ; & ſic corde contrito & humiliato, quod non deſpicis, reconciliatus tibi, in pace in idipſum dormiam & requieſcam.

CHRISTVS. Sic fac, mi homo, & vives. Serio, inquam, ac ſevere te ipſum quotidie, veſperi potiſſimum examina; dicta, facta, cogitata totius diei quaſi ad tribunal revoca; quid commiſſione, quid omiſſione peccaveris, recognoſce. Quomodo monita ſalutis, à me tibi hactenus tradita, in praxin & uſum redigere ſtudueris expende, & ubicunque te deliquiſſe deprehendis, teipſum coargue, dole ex animo: pœnam in teipſum ſtatue: in ſequentem diem meliora propone: gratiam meam ad hoc poſtula: ſed inprimis gratias pro acceptis eo die beneficiis age. Denique corpus & animam mihi commenda. Sic ſecurius dormies.

Alias

Alias certe audacia magna eſt; imo periculoſa temeritas, conſcientiâ onuſtâ peccatis; me offenſo, & non reconciliato; ſomnum capere. Adde, quod niſi quotidie, & quidem non perfunctorie, ſed diligenter hoc Examen inſtitueris, in eodem ſemper hærebis luto: eadem poſt menſes, imo plures annos in te vivent vitia, & vires etiam acquirent: adeoque invaleſcent, ut poſtea ea expugnare non ſufficias; quia raſtro diſciplinæ & quotidiani Examinis, ſpinas & tribulos, quos hæc terra maledicto obnoxia; id eſt, corrupta natura, identidem germinat tibi, exſtirpare neglexiſti.

HOMO. Benedicam te Domine in omni tempore; ſemper laus tua in ore meo. Benedictus es Domine, qui docuiſti me à juventute mea; & utinam uſque in ſenectam & ſenium ne derelinquas me. Vtinam dirigantur viæ meæ, ad cuſtodiendos omnes hos, quos nunc audivi, ſermones tuos. Ne ſervus ſciens voluntatem Domini ſui, & non faciens, pluribus plagis vapulare dignus ſit.

CAP. II.

EXERCITIA VARIA in Orationem Dominicam.

GRADVS AD PERFECTIONEM, juxta ſeriem Orationis Dominicæ.

I. Dei Amor, Præſentia, & Reverentia.

Pater noſter qui es in cœlis.

IN Cœlis habitas, veluti in throno gloriæ tuæ; Sed alta à longe cognoſcis, & noſtra intime conſideras. Nam oculi tui lucidiores ſole. Vnde è ſolio majeſta-

tis tuæ contemplaris in omni loco bonos & malos: dilectos vero filios tuos peculiari favore ac benevolentia reſpicis. Da mihi obſecro, quod jubes, ut amem te,& ambulem coram te;timeam quoque te,non ut reus Iudicem, ſed ut filius Patrem; & ſtudeam eſſe perfectus, ſicut tu Pater meus cœleſtis perfectus es.

II. Intentio Pura, ſeu Zelus Divinæ Gloriæ.

Sanctificetur Nomen tuum.

Id unice, & ante omnia deſidero, ô bone IESV, ut in Nomine tuo flectatur omne genu; ut à me & ab omnibus recta & pura intentione omnia fiant ad majorem gloriam Nominis tui: ut ab omnibus cognoſcaris & colaris, ô ſanctiſſime Redemptor mundi: Vtinam ſic quoque luceat lux noſtra coram hominibus, ut videntes converſationem noſtram bonam, glorificent te Patrem noſtrum in cœlis.

III. Amor & deſiderium Rerum cœleſtium.

Adveniat regnum tuum.

Sumus enim advenæ & peregrini ſuper terram: Ad hoc vero nati, & quod majus eſt, ſic formati ad imaginem tuam; imo redempti per ſanguinem tuum, ut ſimus conſortes regni tui, (non enim habemus hic manentem civitatem, ſed futuram inquirimus) ut quæ ſurſum ſunt quærentes & ſapientes, non quæ ſuper terram,converſationem noſtram habeamus in cœlis. O ſi primum quæreremus Regnum Dei, & juſtitiam ejus; de cæteris enim tu nos, Domine, facis ſecuros. Quid ergo erit in mundo (qui totus in maligno poſitus eſt,) quod mihi ſic arrideat, ut immemor fiam Regni tui, ubi in bonis replebitur deſiderium noſtrum? Quid erit, quod me ſeparet à te? Valeant omnia regna Mundi,& omnis gloria eorum.

Melior

Melior eſt mihi dies una in Regno tuo, ſuper millia: imo cætera regna vana, brevia, caduca ſunt: Solius Regni tui non erit finis.

IV. Reſignatio & Conformitas cum voluntate divina.

Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo, & in terrâ.

Fiat omni modo per me, in me, & de me, quo ad corpus, & animam, & omnia mea. Omnes Angeli, omnia Elementa, mare & venti, & omnes creaturæ obediunt voci tuæ: quanto magis ego vermis terræ, ſervus tuus faciam voluntatem tuam? Tua voluntas utinam ſit ſumma & ſola mea voluptas: ſed & vera mea felicitas, velle quod vult Deus. Quid enim mihi eſt in cœlo, & à te quid volui ſuper terram, ô DEVS cordis mei, & pars mea DEVS in æternum!

V. Moderatio circa uſum Creaturarum.

Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.

Non petimus quod voluptati ſerviat, ſed quod neceſſitati ſufficiat. O Domine, oculi omnium ſperant in te, & tu das illis eſcam in tempore opportuno, Tu aperis manum tuam, & imples omne animal benedictione. Ecce projicio & ego in te omnem curam meam, quoniam tibi eſt cura de nobis. Tribue tantum victui meo neceſſaria; & fac, ut habens victum, & quibus tegar, his contentus ſim; gratus in omnibus erga te datorem omnium. Abſit à me, ut abundantiam donorum tuorum luxus, ſaturitas, & otium comitetur. Heu quam multi à fructu frumenti, vini & olei multiplicati, impinguati & incraſſati derelinquunt te Deum factorem ſuum! Mihi ſat magnus quæſtus erit, pietas cum ſufficientia.

VI. Dilectio Proximi etiam Inimici.

Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.

O quam ſuavis eſt, Domine, Spiritus tuus! Sic ne nos doces orare? quaſi modus gratiæ & indulgentiæ tuæ pendeat ex moribus noſtris, & affectu noſtro in proximum. O nova & mira orandi forma! & ſimul pietatis tuæ teſſera! Ecce quales ſumus in proximos, talis tu eris in nos. Ergone difficilis ero ad condonandum proximo, ut te quoque talem experiar. Quin potius ero tardus ad iram; & Sol non occidet ſuper iracundiam meam. Abſit à me, ut ſim implacabilis, vindictæ cupidus, & memor injuriæ adverſus proximum meum, ne & tu memineris iniquitatum mearum antiquarum, & in ira tua corripias me. Quid ni denarium unum libens dimittam proximo, ut tu innumera talenta dimittas mihi?

VII. Fortitudo in tentationibus.

Et ne nos inducas in tentationem.

Quid enim eſt vita hominis ſuper terram, niſi tentatio? Sed ne ſinas me tentari ſupra id quod poſſum. Nihil autem poſſum ſine te; at omnia in te, ſi confortet me gratia tua. Da ut tentationes *Carnis* mortificatione, & occaſionum fuga præveniam. *Leoni* illi rugienti, qui circuit quærens quem devoret, reſiſtam fortis in Fide. *Mundi* judicia contemnam: momentanea æternis minime præferam. Fac ut omnis tentatio mihi ſit ad diſciplinam; nulla ad ruinam.

VIII. Con-

VIII. Confeſſio Divinæ providentiæ.

Sed libera nos à malo.

Nam ecce, dum ſic ad apicem virtutis enitimur, multa nos hic undique perturbant mala: ſed in quibus omnibus dominatur divina tua Providentia. Teſtatur id Propheta tuus dicens: *Non eſt malum in civitate, quod Dominus non fecerit*; malum nempe pœnæ, quale ſcilicet eſt, bellum, fames, morbus, egeſtas, *&c.* Hæc ne in malum culpæ vergant, id obnixe rogamus: hoc enim foret maximum omnium malorum: Cæteroquin mala non erunt, ſi non ſeparent nos à te ſummo bono. Id tuæ potentiæ, bonitatis, & ſapientiæ eſt, ô Domine, ſic mala iſta dirigere, ut diligentibus Te omnia cooperentur in bonum. Tam enim potens es, ut nullum permitteres malum, ſi non poſſes inde elicere majus bonum.

ORATIO DOMINICA.

Ad tres virtutes Theologicas, & quatuor Cardinales accommodata.

Seu, quomodo ſeptem illæ virtutes ſub totidem petitionibus Orationis Dominicæ petendæ & exercendæ.

Pater noſter, qui es in cœlis.

O Pater æterne, qui filiis tuis hereditatem in cœlis, & bona inviſibilia præparaſti, ſed filios non degeneres, & mores in eis tali Patre, id eſt, teipſo dignos requiris: da ut perfecti eſſe ſtudeamus, ſicut tu Pater noſter perfectus es. Non enim ſumus ſufficientes ex nobis; ſed omnis ſufficientia noſtra ex te eſt. Itaque in nomine, imo & verbis dilectiſſimi Filii tui, virtutes & dona petimus, ſine quibus tibi placere, & regnum tuum obtinere non poſſumus.

I. FIDES.

Sanctificetur nomen tuum.

Vbi vera & viva fide DEVS colitur, ibi Nomen ejus optime ſanctificatur. Credo Domine, quia omnipotens es, ſumme ſapiens, & ſuper omnia bonus; verax quoque & fidelis in promiſſis, imo ipſa veritas. Domine adauge fidem meam; Adjuva incredulitatem meam, ut te in vera fide & veritate ſanctificem.

Mirabilia quidem opera & judicia tua Domine; ſed vera & juſtificata in ſemetipſa. Admirabile eſt nomen tuum in univerſa terra; ſed non eſt apud te impoſſibile omne verbum. Teſtimonia tua credibilia mihi facta ſunt nimis, ideoque domum tuam (Eccleſiam) decet ſanctitudo. Nam quid indignius, quam talia credere; & talibus moribus vivere, ut quod ore confitemur, id eſt, noſſe te, factis videamur negare? Abſit hoc à me, ſed vivax potius fides vigeat in me; ut moribus fidei congruentibus ſanctificem nomen tuum glorioſum in ſæcula. Nam quid proderit nomen Chriſtianum, ſine moribus Chriſtianis?

II. SPES.

Adveniat regnum tuum.

Quod paratum nobis eſt ab origine mundi. Ex infinito enim amore feciſti nos hæredes regni tui, cohæredes autem Chriſti. Spero itaque videre bona Domini in terra viventium. Quid enim ô Bonitas immenſa? Tot modis vocas me, & repellere me poteris? ſic invitas & trahis me, & deficere ſines in via? In te Domine ſperavi, non confundar in æternum. Hæc ſpes repoſita eſt in ſinu meo. Hæc in omni anguſtia confirmat cor meum, ut non deficiam in tribulationibus meis. Credo enim quod Redemptor meus vivit, & adimplebit me lætitia cum

vultu ſuo, cum introducet me in Regnum ſuum. O Spes, quæ non confundit! Spes tantæ remunerationis ô quantum eſt ſolatium laboris!

III. CHARITAS.

Fiat voluntas tua.

Amore tui, ô dulciſſime Pater, inflamma cor meum, ſic utique facere voluntatem tuam, & parere mandatis tuis grave non erit. Amanti enim nihil difficile, nedum impoſſibile, quia fortis eſt ut mors, dilectio. Hæc utinam repleat & regat cor meum. Hinc enim naſcetur & nutrietur inter te & me morum ſimilitudo, & voluntatum unio, ut ſit mihi unum velle tecum, & idem nolle; nec ſit ulla deinceps voluntatis meæ erga tuam rebellio: Sed in lege tua ſit omnis voluntas mea. Quodnam autem luculentius veri amoris & amicitiæ indicium eſſe poſſit? Nonne qui habet mandata tua & ſervat ea, ille eſt qui diligit te? Certe probatio dilectionis exhibitio eſt operis.

IV. TEMPERANTIA.

Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.

Vt corpus cibo, ſic animus Temperantia paſcitur: imo ſobrius & moderatus victus & corpori & animæ utilis eſt. Itaque da mihi, ut uſum rerum delectabilium & ad vitam hanc pertinentium rectæ rationis freno gubernem: ne forte crapulâ & cura ventris gravetur cor meum: & ſic corpus quod corrumpitur, voluptatibus immerſum deprimat animum cœleſtia cogitantem. Merito autem quotidianum hoc pabulum poſtulo, quia voluptatis eſca, ſub omnibus pæne creaturis, quibus utimur quotidie, latet, & nobis inſidiatur ubique.

V. IVSTITIA.

Et dimitte nobis debita noſtra.

Iuſtitiæ eſt reddere unicuique quod ſuum eſt. Quid autem proximo debemus, niſi, ut invicem diligamus? ut alter alterius onera portemus; & ſic adimpleamus legem tuam? denique ut proximo faciamus, quod nobis fieri vellemus? Iuſtum quoque eſt, ut qui decem millium talentorum, id eſt, longe gravioris debiti condonationem à te petimus: centum denariorum, id eſt, debiti minimi remiſſionem proximo non negemus. Hujus ergo juſtitiæ zelum & amorem da mihi Domine, ne ea neglecta incidam in manus juſtitiæ tuæ. Nam ſi homo homini ſibi ſimili reſervat iram, quomodo poterit à te ſperare miſericordiam? Nonne juſtum eſt, ut qua menſura menſus eſt, remetiatur ei?

VI. FORTITVDO.

Et ne nos inducas in tentationem.

Multis tentationibus obnoxia eſt vita hominis, imo tota ipſa tentatio eſt. Itaque virtute Fortitudinis corrobora cor meum, ut nec ſeducat proſperis, nec adverſis ſuperer, & ſeparer à te. Vides enim quæ ſit fortitudo mea, ut reſiſtere poſſim. Quin Fortitudo & ſalus mea tu es Domine. Miſerere ergo mei, & quoniam infirmus ſum. Sed & fortes quæſierunt animam meam. O utinam fortior illis, tu, inquam, fortis & potens in prælio ſupervenias: ſic utique non timebit cor meum, quoniam tu mecum es! Si Deus pro nobis, quis contra nos? Non enim patieris tentari nos ſupra id quod poſſumus, ſed facies cum tentatione proventum.

VII. PRV-

VII. PRVDENTIA.

Sed libera nos à malo. Amen.

Facile effugiet omne malum, quem Prudentia rexerit, quæ eſt recta ratio agibilium. Da ergo mihi Domine virtutem hanc, ut quidquid ago, prudenter agam, & finem in omnibus reſpiciam. Nam ubi Prudentia præeſt, mala etiam cooperantur in bonum: at ubi deeſt, ipſæ qnoque virtutes in vitium abeunt; ipſa bona evadunt mala. Fac ergo, ne inſtar cæci temere currentis, impingam, & corruam in malum, ſed palpebræ præcedant greſſus meos. Da mihi ſimplicitatem columbæ, ſed imprimis prudentiam ſerpentis; ut ſicut is malum capitis avertit objectu corporis: ſic ego, corpus & membra potius exponam tormentis: quam detrimentum animæ patiar, quod extremum eſt omnium malorum.

MODVS RECITANDI

Orationem Dominicam ad excitandos pios affectus; meditatione interpoſita.

Ex P. Chriſt. Mayer.

Pater noſter.

DOmine cœli & terræ, infinitæ cum unigenito Filio tuo & Spiritu ſancto majeſtatis, potentiæ, ſapientiæ, bonitatis, ac proinde infinite honorabilis, & amabilis, fons omnis boni, à quo certa cum fiducia ſperanda omnia bona naturæ, gratiæ, gloriæ.

1. *Sanctificetur nomen tuum.*

Sanctificeris, ameris, glorificeris à me, & omnibus, in omnibus perfectionibus tuis, potentia, ſapientia, bonitate, miſericordia, juſtitia, in omnibus judiciis & decre-

tis

tis tuis, circa me, omnes, & omnia; in omnibus operibus naturæ, gratiæ, gloriæ; in omnibus permiſſionibus, in omnibus beneficiis tuis, omni poſſibili modo; gratis propter te, infinite ſuper omnia, nunc, ſemper, æternum, & ultra. Vtinam ſic ſemper à me, & ab omnibus glorificatus fuiſſes, & deinceps ſemper ſic glorificeris & ſanctificeris!

2. *Adveniat regnum tuum.*

Vtinam in me, & omnibus perfecte regnes, nunc per gratiam, tandem per gloriam. Vtinam anima mea ante omnia quærat regnum Dei; quæ ſurſum ſunt, ſapiat, & deſideret; non quæ ſuper terram. Vtinam pertæſa præſentis exilii, ubi peccatum regnat, ubi ambitio ſuperbia, *&c.* dominatur; ad illam beatam vitam, & regni æterni poſſeſſionem indeſinenter aſpiret. Vtinam id ſemper factum fuiſſet, & ex momento hoc fieret perfecte, ut tecum, & cum omnibus SS. tandem regnemus in omnem æternitatem!

3. *Fiat voluntas tua.*

Fiat à me, & ab omnibus viatoribus tua ſanctiſſima voluntas in perfecta præceptorum, & conſiliorum omniſque beneplaciti tui executione, pure propter te, tam exacte, alacriter & conſtanter, omnibus diebus & momentis vitæ noſtræ in terra, ſicut fit à Beatis ſeu Comprehenſoribus æternum in cœlo; cum inſatiabili deſiderio tibi gratificandi pro beneplacito tuo. Vtinam id ſemper à nobis omnibus, intellectu, affectu, effectu factum fuiſſet, & deinceps fiat, ſicut vis, cum omni poſſibili perfectione!

4. *Panem noſtrum quotidianum.*

Omnia ſubſidia corpori & animæ neceſſaria ad gratiam, perſeverantiam, & gloriam conſequendam nobis miſe-

miſericorditer largiri dignare, ſicut tibi placet; ad maximam tuam gloriam, hodie & omnibus diebus vitæ noſtræ, per tuam infinitam bonitatem.

5. *Et dimitte nobis.*

Condona nobis ex immenſo theſauro miſericordiæ tuæ omnia peccata noſtra, corde, ore, opere, omiſſione perpetrata; omnem ingratitudinem noſtram, pro tot beneficiis tuis; omnes injurias tibi, proximiſque noſtris, illatas: ſicut & nos, ex toto corde, pleniſſime remittimus omnibus omnes offenſas, (ut reconciliati fratribus, facilius inveniamus viciſſim & nos gratiam in oculis tuis) idque ex puro amore tui infinite amabilis, indefeſſo, aſſiduoque conatu uſque ad extremum vitæ ſpiritum.

6. *Et ne nos inducas.*

Ne permittas nos ullis unquam mundi, carnis, diaboli tentationibus ſuccumbere, ſed glorioſe de omnibus in virtute tua triumphare, nunc, ſemper, in hora mortis, ad majorem tuæ infinitæ potentiæ, ſapientiæ & bonitatis gloriam luculentius manifeſtandam.

7. *Sed libera nos.*

Præſerva & libera nos clementer ab omnibus malis corporis, & animæ, præſentibus & futuris; quatenus nos à perfectione, perſeverantia, & ſalute conſequenda, gloriaque tua promovenda impedire, aut retardare poſſunt. ut ſine impedimento, perfectius te amare, & glorificare poſſimus in tempore, beatius olim in æternitate, idque non tam ob noſtrum emolumentum, quam ob gloriæ tuæ incrementum.

Amen.

Fiat, quod peto, ſicut vis, quando vis, quomodo vis, per viſcera miſericordiæ tuæ, per merita Filii tui, B. V. Ma-

tris

tris ejus, & omnium Sanctorum. Atque utinam hæc omnia pia deſideria renovarentur à me & omnibus, ſi fieri poſſet, gratuito amore tui, intenſiſſime, ſicut eſt placitum ante te, omnibus momentis temporis gratiæ!

CAP. III.

LITANIÆ CHRISTIANARVM VIRTVTVM,

Ex Sacra Scriptura collectæ.

KYRIE ELEISON. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.
Chriſte audi nos. Chriſte exaudi nos.
Pater de cœlis DEVS, miſerere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miſerere nobis.
Spiritus ſancte Deus, miſerere nobis.
S. Trinitas unus Deus, miſerere nobis.

(Miſerere nobis.)

Qui primos Parentes in originali juſtitia & innocentia creaſti, *Geneſ. 2.*
Qui Abel ſingulari religionis affectu munera ſua offerentem reſpexiſti, *Geneſ. 4.*
Qui Noë inter perverſos, juſtum inventum, à diluvio per arcam ſervaſti, *Geneſ. 7.*
Qui Loth & Abraham ſingulari hoſpitalitatis laude illuſtres feciſti, *Geneſ. 18. & 19.*
Qui Abraham mirabili obedientia, & fide decoraſti, *Geneſ. 22.*
Qui Iſaac & ſemini ejus benedictionem omnium gentium promiſiſti, *Geneſ. 26.*
Qui Iacob mira in adverſis patientia & fiducia roboraſti, *Geneſ. 29. &c.*
Qui Ioſeph ſingulari pudicitiæ, & caſtitatis amore donaſti, *Geneſ. 39.*

Qui

Qui Moyſen populi tui Ducem, & virum mitiſſimum, in omni domo tua fideliſſimum prædicaſti, — *Num.* 12.

Qui eidem eximiam erga proximos charitatem, & fraternæ ſalutis zelum inſpiraſti, — *Exod.* 32.

Qui Filiis Levi magnum vindicandi honoris tui zelum indidiſti, — *Ibid.*

Qui Samuelem Prophetam juſtitiæ amantem, & ab omni munerum corruptela alienum populo tuo judicem dediſti, — 1 *Reg.* 7, *&* 12.

Qui David regem, virum ſecundum cor tuum, juſtitiæ, manſuetudinis, ac pietatis laude ſublimaſti, — 1 *Reg.* 13.

Qui Salomonem ſapientia mirabili, pace, & gloria ſuper omnes terræ Reges exornaſti, — 3 *Reg.* 4.

Qui Tobiam inſigni patientia, & erga proximos miſericordia decoraſti, — *Tob.* 2.

Qui Iudith ſingularis caſtimoniæ & pietatis viduam, orationis fiducia, & magnanimitatis gloria nobilitaſti, — *Iudith* 8.

Qui Eſther & Mardochæi fidelitate populum tuum ab excidio liberaſti, — *Eſth.* 8.

Qui Iob mira & rara patientia nobis omnibus in ſpeculum & exemplar patientiæ dediſti, — *Iob* 1, *&c.*

Qui Eliam prophetam ſingulari zelo, & libertate ſpiritus, adverſus Pſeudoprophetas & impios armaſti, — 3 *Reg.* 18.

Qui Ioſiæ Regi pium legis & religionis zelum infudiſti, — 2 *Par.* 34.

Qui Danielem prophetam ſingulari abſtinentia, ſobrietate & ſapientià decoraſti, — *Dan.* 1.

Qui tres Pueros ob confeſſionem tui in

(brace to all lines:) Miſerere nobis.

forna-

fornacem ignis ardentis, intrepidos intrare, & illæſos exire feciſti, *Dan.* 3.

Qui Matathiam, & Iudam Machabæum, ſingulari zelo & amore legis, & patriæ religionis in hoſtes armaſti, 1 *Mac.* 2. *&* 3.

Qui ſeptem Machabæos unà cum Matre invictos inter ſupplicia feciſti, 2 *Mac.* 7.

Qui ſacratiſſimam Virginem MARIAM ab omni peccato immunem in puriſſimam Sponſam & Matrem elegiſti, *Lucæ* 1.

Qui eandem ſingulari Caſtitatis, Humilitatis, Obedientiæ, & Virtutum omnium privilegio præ cæteris electis omnibus exornaſti, *Ibid.*

Qui ſenem Simeonem juſtum & timoratum, magno deſiderio exſpectantem redemptionem Iſraël, adventu tuo mirè recreaſti, *Lucæ* 2.

Qui Annam filiam Phanuelis, aſſiduo tibi in jejuniis & orationibus in templo ſervientem, tui conſpectu recreaſti, *Ibid.*

Qui tres Magos Reges magno zelo ad requirendum & adorandum cœli terræque Regem recens natum excitaſti, *Matth.* 2.

Qui eoſdem Magos illuſtri Fide, ad agnoſcendum in parvulo Infante Deum & Hominem, ſtella duce illuminaſti, *Ibid.*

Qui Ioannem Baptiſtam mira vitæ auſteritate & abſtinentia, Præcurſorem, & pœnitentiæ Præconem miſiſti, *Matth.* 3.

Qui eundem zelo & amore veritatis ad arguendum impii Regis crimen intrepidum feciſti, *Marci* 6.

Qui diſcipulos & Apoſtolos, rudes, pauperes, & ſimplices elegiſti, ſed per

Miſerere nobis.

eos,

eos, totum mundum Euangelio ſubjeciſti, *Matth. 4.*
Qui Ioannem caſtitatis dono inſignem, ſingulari amoris privilegio dignatus es, *Ioan. 13.*
Qui Cananææ ſupplicantis fidem & orandi perſeverantiam commendaſti, *Matt. 15.*
Qui centurionis & Reguli fidem miraculo & ſanitatis beneficio approbaſti, *Matth. 8. & Ioan. 4.*
Qui Publicani humilitatem ſingulari præconio extuliſti, *Lucæ 18.*
Qui in turbis triduo te ſuſtinentibus verbi divini audiendi zelum miraculo comprobaſti, *Marci 8.*
Qui in die Pentecoſtes Apoſtolorum tuorum corda igne S. Spiritus in tuo amore confirmaſti, *Actor. 2.*

Miſerere nobis.

Propitius eſto, parce nobis Domine.
Propitius eſto, libera nos Domine.

Vt abnegantes impietatem & ſecularia deſideria, ſobrie, & juſte, & pie vivamus in hoc ſeculo, *Tit. 2.*
Vt operemur bonum, dum tempus habemus, *Galat. 6.*
Vt digne ambulemus vocatione qua vocati ſumus, *Epheſ. 4.*
Vt ſupportemus invicem in charitate, ſoliciti ſervare unitatem Spiritus in vinculo pacis, *Ibid.*
Vt ſimus factores verbi, & non auditores tantum, *Iacob. 1.*
Vt habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti ſimus, *1 Tim. 6.*
Vt nemini quidquam debeamus, niſi ut invicem diligamus, *Rom. 13.*
Vt provideamus bona, non tantum co-

Te rogamus audi nos.

ram Deo, ſed etiam coram omnibus hominibus, *Rom.* 12.

Vt corpora noſtra hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium noſtrum exhibeamus, *Ibid.*

Vt nulli malum pro malo reddamus, *Ibid.*

Vt per bona opera certam vocationem noſtram facere ſatagamus, *2 Petr.* 1.

Vt bonum facientes non deficiamus, *Galat.* 6.

Vt ſemper in Domino gaudeamus, *Phil.* 4.

Vt non quæ noſtra, ſed quæ IESV Chriſti ſunt, ante omnia quæramus, *Phil.* 2.

Vt qui ore confitemur Deum, factis non negemus, *Tit.* 1.

Vt omne quodcunque facimus in verbo, aut in opere, omnia in gloriam Dei faciamus, *Col.* 3. & 1 *Cor.* 10.

Vt errantes in ſpiritu lenitatis & manſuetudinis inſtruamus, *Galat.* 6.

Vt omnia noſtra in charitate fiant, 1 *Cor.* 16.

Vt alter alterius onera portemus, & ſic adimpleamus legem Chriſti, *Galat.* 6.

Vt gratiam Dei in vacuum non recipiamus, 2 *Cor.* 6.

Vt Sanctorum intuentes converſationem, eorum fidem & patientiam imitemur, *Hebr.* 13.

Vt militantes Deo non implicemus nos negotiis ſecularibus, 2 *Tim.* 2.

Vt in omnibus ſumamus ſcutum fidei, in quo tela nequiſſimi ignea extinguere poſſimus, *Epheſ.* 6.

Vt ſic curramus in hoc vitæ ſtadio, ut tandem bravium accipiamus, 1 *Cor.* 9.

Te rogamus audi nos.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Adauge nobis FIDEM.

Agnus

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Infunde nobis SPEM.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Accende in nobis CHARITATEM.

Chriſte audi nos. Chriſte exaudi nos.

Kyrie eleïſon. Chriſte eleïſon. Kyrie eleïſon.

Pater noſter.

Oremus.

DEus qui diligentibus te facis cuncta prodeſſe: da cordibus noſtris inviolabilem tui amoris affectum, ut deſideria de tua inſpiratione concepta, nulla poſſint tentatione mutari.

DEus qui ſuperbis reſiſtis, & gratiam præſtas humilibus, concede nobis veræ humilitatis virtutem, cujus in ſe formam fidelibus Vnigenitus tuus exhibuit; ut nunquam indignationem tuam provocemus elati, ſed potius gratiæ tuæ capiamus dona ſubjecti.

VRe igne ſancti Spiritus renes noſtros, & cor noſtrum, Domine: ut tibi caſto corpore ſerviamus, & mundo corde placeamus.

DEus, qui Vnigeniti tui patientia antiqui hoſtis contriviſti ſuperbiam, da nobis, quæſumus, quæ idem pie pro nobis pertulit, digne recolere, ſicque exemplo ejus, nobis adverſantia æquanimiter tolerare.

DEus, qui juſtificas impium, & non vis mortem peccatoris: majeſtatem tuam ſuppliciter deprecamur: ut nos famulos tuos de tua miſericordia confidentes cœleſti protegas benignus auxilio, & aſſidua protectione conſerves, ut in ſtadio virtutum indefeſſe currentes accipiamus bravium, & nullis tentationibus unquam à te ſeparemur. Per Dominum noſtrum.

CAP. IV.

EXERCITIA PIISSIMA,

ſeu Praxis & Actus variarum VIRTVTVM, Ex Ludovico Palma Clerico Regul.

Alia ejuſdem mire pia & utilia exercitia habes ſupra Sect. I.

I. Actus Compunctionis & odii contra peccata.

Declina à malo & fac bonum: inquire pacem & perſequere eam. Pſal. 33.

1. *Contritio eſt, qua quis ex animo ſuper omnia deteſtatur commiſſa peccata, ob Deum offenſum; cum firmo propoſito confitendi, & non amplius peccandi: adjuncta ſpe veniæ.*

O Deus meus, & Miſericordia mea, ego verè contritus, flecto genua cordis mei, ſummoque cum dolore animi humiliter me accuſo, & coram divina Majeſtate tua meam culpam agnoſco, confitendo omnia peccata mea, & omnes abominationes commiſſas toto tempore vitæ meæ, in ſuperbia, avaritia, luxuria, invidia, gula, ira, acedia; & in vitiis omnibus, quæ ab iſtis promanant: quia, proh dolor! nimis inclinatus, & effuſus in omnia fui. Cujus me ſummopere pœnitet, ac doleo peccaſſe, non amore præmii juſtis promiſſi, quo dignus non ſum; neque timore ſuppliciorum peccatoribus infligendorum, quibus undequaque ſum digniſſimus: ſed ideo tantum, quia offendi te, ô Deus meus, qui ex te ipſo ſumme bonus es, & ſuper omnia colendus; imo ipſa Charitas, ipſa Bonitas, ipſa Majeſtas.

II. Et propter magnum amorem, quem tibi debeo, quemque erga te gero, Domine, odi, deteſtor, abominor peccatum, amorem proprium, inordinatum amorem creaturarum, & omne illud, quod me poteſt impedire, quo minus tibi per ſanctum tui amorem conjungar & uniar. Quid-

Quidquid peccavi cogitatione, verbo & opere; ſive ex fragilitate, ſive ex ignorantia, ſive ex malitia, contra te, Deum meum, contra proximum, & meipſum, quocumque modo: toto cordis affectu, quo poſſum, dico meam culpam, meam maximam culpam: pœnitet me peccaſſe, ac doleo, quod hac hora non ſentiam tantum odium peccati, neque habeam tam ſerium dolorem, nec tantam curam deflendi præterita; neque tam firmum propoſitum cavendi futura peccata, quantum vellem & deberem habere, ut meis tantis abominationibus reſpondeat.

III. Ideo te precor, Deus meus, accepta illud odium infinitum, quo tu peccatum deteſtaris, in ſupplementum ejus; quod ego habere deberem: & in vicem doloris, quo careo, offero tibi, Miſericordiſſime Pater, dolores Ieſu Chriſti, Filii tui, & Redemptoris mei, ſimulque ſacrificium immaculatæ vitæ ejus: & ſanctum fervorem ac zelum, qui illum traxit ad ignominioſiſſimam, & acerbiſſimam Mortem, ut peccatum deſtrueret.

IV. Ah IESV, mi clementiſſime, ad pedes miſericordiarum tuarum me proſterno, obſecrans te per charitatem illam, quæ de cœlo te traxit in uterum Virginis, ut mihi applices merita amariſſimæ tuæ paſſionis, & pretioſiſſimi ſanguinis, quem pro peccatoribus, quorum ego maximus ſum, effudiſti: & ita ſuppleas omnes meos defectus, & ignoſcas mihi omnia vitia, peccata, negligentias, & ingratitudines.

Largire, quæſo, ut omnia iſta in poſterum longe à me fiant: & quamvis ego natura non poſſim eſſe impeccabilis, ſaltem, ô Bonitas infinita, fac mihi hanc gratiam, ne unquam mortaliter peccem. Sane hoc eſt, quod etiam tu ipſe vis, deſideras, petis, & mandas: da quod jubes, & jube quod vis.

Deinde fac, Domine, ut loco ſupradictorum vitiorum, in me imprimantur omnis generis ſanctæ virtutes;

quod totum cedat tibi in gloriam, gratiarum actionem, nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen.

ACTVS BONI PROPOSITI.

Iuravi, & ſtatui cuſtodire judicia juſtitiæ tuæ. Pſalm. 118.

I. O Potentiſſime Deus, quia illuminante gratia tua cognoſco, quantopere ſim obligatus ad bene operandum, & proſequendam virtutem: ad declinandum à malo, & fugiendum peccatum: ideo nunc omnino mihi diffiſus, totuſque confiſus & innixus ſanctæ tuæ gratiæ, propono, & tota virtute liberi mei arbitrii, pleniſſimo, deliberatiſſimoque conſenſu ſtatuo, nunquam amplius peccare: & potius millies ſingulis horis profundere vitam, quam unquam graviter te, Deus meus, offendere: aut tentare quidquam, facere, dicere, aut cogitare, quod ſit contra tuum beneplacitum: ſed ut baſiliſcum fugere omnem occaſionem peccandi, & quidquid tibi diſplicet: quandoquidem ego volo, quæcunque tu vis, ac deteſtor, quæcunque tu deteſtaris.

Et ſi forte, quod abſit, continget, me committere, vel omittere quidpiam, contra tuum beneplacitum, id omne jam nunc proteſtor, non fore meæ voluntatis & mentis, ſed malignæ ſuggeſtionis, & ſubiti motus, huic meo decreto contrarii. Tu, Domine, fac, ut in eodem firmus perſiſtam, & ut nullas tales obreptiones admittens, omnium deſideriorum & motuum meorum, gratia tua juvante, plenus ſim dominus.

Quapropter libere tunc renuncio omni conſenſui, tuæ voluntati contrario, & abſolute me abdico libertate arbitrii, quoties ad malum alliciar, & in periculo verſabor te offendendi, & in omni eo, quod tendit ad malum.

II. Præ-

II. Præterea propono etiam in poſterum perfectiſſime omnia tua divina præcepta ſervare, & quæ tibi in Baptiſmo, aut aliis votis promiſi: conabor etiam quantum per gratiam tuam potero, imitari ſanctiſſimam vitam tuam, & comparare habitum omnium earum virtutum, quæ tibi magis placent: & facere per omnia tuam rectiſſimam voluntatem,& in omnibus reprimere meam, in mala propenſam, ſubjiciendo illam tui amore omnibus meis ſuperioribus, æqualibus, & inferioribus; tandemque ingredi viam perfectionis, per illa media, quæ tu Magiſter meus, in ſancto Euangelio tuo, verbis, & exemplis monſtraſti.

III. Adjuva me igitur, Domine; quia ſine tuo ſingulari auxilio non valeo exequi, & implere bona iſta mea propoſita: da mihi vivam fidem, fortem & conſtantem animum; ut ſicut tu peccare non potes per naturam, ita ego non poſſim per gratiam tuam.

IV. Denique rogo te, ut declarationem hanc meæ voluntatis acceptare, & approbare digneris tuo judicio; ut omnia ſint, & fiant ad gloriam & honorem tuum, ſalutem animæ meæ, & proximi mei, & ſecundum ſanctiſſimam tuam voluntatem: cui, cum toto meo eſſe, quod mihi largitus es, me dedo, & conſecro, Amen.

III.

ACTVS

Humilitatis, & cognitionis ſui.

Qui ſe humiliat, exaltabitur. Lucæ 14. 18.

I. H*Vmilitas eſt Virtus, quæ reprimit appetitum, ne ſe immoderate in alium extollat.*

Et quomodo ego, viliſſimus vermiculus terræ, cum video te, Deus meus, amore mei humiliatum ad patiendam ignominioſiſſimam mortem; quomodo, inquam,

ego me audebo extollere,& non potius infra terram abſcondam! cum & me agnoſcam tam ſuperbum, & ingratum, ut non credam inveniri aliquam creaturam, quæ ſi à te habuiſſet tantam gratiam & tot beneficia, quot ego, non multo majore fervore & ſpiritu tibi ſerviiſſet, quam ego. Imo quia hanc veritatem ex corde, & ſicuti eſt, in reipſa, non ſatis agnoſco, fateor me ſuperbiſſimum, & in veritate aliis omnibus viliorem; adeoque propter meam vanitatem & ſtultam ſuperbiam, tibi, Deo meo, merito inviſum & execrabilem.

II. Heu me: ſic excæcavit me ſuperbia mea, ut meipſum non agnoſcam, & non videam, Domine, quod quanto plura dona à te accipio, tanto gravior ſit ingratitudo mea, & majora peccata mea; tantoque ſtrictior à me tibi reddenda ſit ratio. Ideo profecto ego ſum vilior peccator omnibus aliis; & credo, neminem tam longe unquam à te receſſiſſe, quam ego receſſi per mea flagitia; imo credo, maximos quoſque peccatores ſi habuiſſent talia auxilia, qualia ego, majore feſtinatione ad te redituros, ac forte ſemper, & majore ſinceritate cordis, & affectu, te amaturos, & honoraturos fuiſſe: ſane magis dolerent de ſuis peccatis, ac fidelius tibi ſervirent, quam ego.

III. Obſtupeſco, Domine, quomodo ſuſtineas conſpectum meum, cum ſim creatura tibi tam ingrata. Et ideo prorſus indignum me reputo, ut tibi ſerviam, tuque exaudias orationes meas; indignum omni gratia. & cœleſtibus inſpirationibus; imo indigniſſimum, quia tam parum ad lucem tuam reſpicio: ideoque pridem fui promeritus, ut à te projiciar, & relinquar in tenebris & erroribus: indignus etiam, cum ſim tibi tam inobediens & refractarius, qui habitem inter tuos fideles: & in domo ſervorum tuorum: à quibus, ſi pro meritis me tractare vellent, nihil aliud audire me oporteret, quam contumelias & convitia. Quin etiam procul amandari me conveniret

veniret à conſortio omnium hominum, ne forte putredo meorum abominabilium ulcerum, & vitiorum, quenquam illorum inficiat.

IV. Vellem etiam omnibus notam eſſe meam extremam vilitatem & miſeriam, ut omnes juſta me abominatione deteſtarentur, ac zelo gloriæ tuæ pro meritis exciperent.

V. Admiror Domine tuam erga me pietatem inæſtimabilem, qua me toleraſti hucuſque, neque ut ſumma erga te ingratitudine promerebar in profundiſſimum inferni puteum deturbaſti. Imo agnoſco me ſolum propter meam ingratitudinem, inter omnes alias creaturas indignum divina tua cura, providentia & amore, quibus omnes alias creaturas proſequeris: & horreſco intuens me ipſum, tanquam rem, ultra quam dici poteſt, ſordidam, odioſam, & abominabilem: petoque à te, ô lux æterna, ut ſemper magis me ipſum agnoſcam, ne unquam ſuper alios amplius perverſe me extollam.

Ah Domine, ex infima abyſſo miſeriæ meæ clamo, & invoco abyſſum Miſericordiæ & pietatis tuæ; dona mihi hanc gratiam. Amen.

I. V.
ACTVS
Petitionis ad Deum.

Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo; dabit vobis. Ioan. 15.

I. BEnevolentiſſime Deus, & Dominus meus, quamvis ego ſim tuus creatione, conſervatione, Redemptione, Iuſtificatione, ſpeciali vocatione, & naturali conditione: magis tamen peculiariſſima electione liberi mei arbitrii cupio eſſe, & ſum tuus: ideo nullius alterius januam, pro gratia aliqua, præter tuam, qui es fons & origo omnis boni, mihi licet pulſare.

II. Neque aliud deſiderare, petere, aut velle à te debeo, niſi illud unum, quod tibi magis placet, & majorem tuam gloriam concernit: & ſi quando meam voluntatem alterius cujuſquam rei deſiderio moveri continget, illam jam nunc abominor, deteſtor, & fieri nolo: precorque divinam Majeſtatem tuam, ne unquam in ſimilibus me exaudias. Imo propterea primo & principaliter peto, & ſumma qua poſſum, contentione te rogo, ut perfectiſſima tua voluntas in me ſemper fiat: mea vero nullius ſit efficaciæ: adeo ut nihil prorſus in me inveniatur, quod non ſit tuum.

Quia tamen voluntas mea prorſus otiari non poteſt, opto, ut quocunque feratur, non ſola feratur, Domine, ſed ſemper conjuncta cum tua, quæ ſola eſt ſancta & recta. Ita cum gratia tua deſidero, ita apud me ſtatuo, ita coram curia tua cœleſti proteſtor.

III. Quare, Domine, quoties aliquid à te peto, nihil intendo petere, niſi per IESVM Chriſtum, Filium tuum; ſanctiſſimis ipſius, & meis qualibuſcunque deſideriis pariter conjunctis. Itaque benigne Pater, ſi non mea, ſaltem gratioſa deſideria Filii tui merentur admitti. Sic exhibes Iuſtitiam ipſi, mihi miſericordiam: tibi vero ipſi concilias honorem & gloriam. Voluntas dulciſſimi Filii tui, Deus meus, vult, deſiderat, mandat, ut ego ſim mitis & humilis corde, patiens, benignus, charitate repletus; cupit ut vivam tibi, mihi moriar. Da, benevole Pater, Filio tuo, ut impleatur hoc, tam pium ſanctumque deſiderium ejus; ſic enim ſatisfiet etiam tuo: & ipſius honor & totius SS. Trinitatis laus & gloria augebitur.

IV. Domine, quia nihil ego boni ex meipſo præſtare queo, concede mihi hanc gratiam, ut ego te ſinam facere, quæcunque volueris; & ut meum facere, ſit acquieſcere tibi, ut agas in me id unum, quod maxime tibi placuerit.

Et ut in me nihil ſit, quod tibi diſpliceat, exorna me

ſanctis

ſanctis virtutibus, dando mihi augmentum Fidei, Spei, & Charitatis: humilitatem ſpiritus, puritatem cordis, & omnes illas Virtutes, dona, gratias, quas ſcis mihi eſſe neceſſarias; & quidquid de gratia tua in mea ſive anima, ſive corpore deſideras inveniri: quo melius tibi poſſim placere, dignius & fidelius ſervire, & te perfectius amare.

Rogo inſuper, ut mihi des gratiam perveniendi ad eum gradum perfectionis, quem ab æterno deſideras me conſequi: des etiam auxilia, media ac diſpoſitiones neceſſarias ad obtinendum eundem.

V. Præterea, tota contentione pectoris mei, peto à te, veram contritionem de peccatis meis; & plenam remiſſionem illorum: & ut in poſterum des, me millies potius velle corpore mori, quam ut vel ſemel moriar anima.

VI. Ita pius es, dulciſſime Domine: ita ad rogandum ipſe me excitas Miſericordia tua, ut ego terra & cinis petere audeam, non ſolum id quod habes, ſed illud etiam, quod es ipſemet: peto, inquam, infimus tuus cliens, ea qua poſſum demiſſione animi, te ſolo, & unico perfrui; in te ſolo, reſpirare, & quieſcere, & non in aliquo tuo dono quantumvis excellente, nobili, pretioſo, divino.

VII. Peto puriſſimam illuminationem intellectus, ad tria præcipue cognoſcenda. Primum ad cognoſcendum perfectiſſime beneplacitum tuum, & faciendam integre ſanctiſſimam voluntatem tuam. Deinde ad cognoſcendam propriam meam vilitatem, ingratitudinem, & ad omne bonum indignitatem. Denique ad habendam perfectam notitiam omnium virtutum moralium, illaſque conſequendas, quo in me, Deus meus, amor tuus nudus, purus, ac ſincerus magis magiſque proficiat.

VIII. Tandem rogo te, placeat tibi acceptare meas orationes, non ut à me procedentes, ſed velut à te inſpira-

ſpiratas: & illas conjungere cum orationibus Filii tui, IESV Chriſti, ſanctiſſimæ Matris ſuæ, SS. Angelorum, Apoſtolorum, Martyrum, Doctorum, Virginum, Confeſſorum, & utriuſque Eccleſiæ, triumphantis ac militantis: ad obtinendas ſupradictas gratias & dotes ſpirituales, & corporales: tam mihi quam proximo: neque attendas, Domine, perſonam meam, ſed illorum, quorum offero tibi merita, preceſque, per IESVM Chriſtum, Filium tuum: à quo derivatur, & provenit omne opus meritorium, & omnis bona voluntas. Quod totum cedat ad ſempiternam gloriam, & honorem amabiliſſimæ, adorandæ, glorioſiſſimæque Trinitatis, Amen.

V.

ACTVS

Renunciandi voluptatibus, pro conſervanda Caſtitate.

Erunt ſicut Angeli in cœlo, qui neque nubent, neque nubentur. Matth. 22.

I. PVriſſime Domine, & meritiſſime poſſeſſor cordium humanorum, tibi libentiſſime do omnimodam poſſeſſionem, & directum dominium meorum omnium, renunciando omni affectui terreno, & ſenſuali delectationi: ita ut ſi ego poſſem frui omnibus voluptatibus, & deliciis ſenſus & carnis, quæ ab omnibus hominibus delibari ac percipi ſolent, quæque deſiderantur; & ſi poſſem illis etiam ſine peccato perfrui, nihilominus tamen liberaliſſima mente illis renunciarem, & promptiſſime illas refugerem: ſicuti nunc renuncio & refugio, quo tibi magis placeam, tibi puriùs vivam, meque tibi conformem.

II. Præterea non ſolum repudio quaſcunque delectationes carnis, ſed etiam ſenſualitatis: ut ſunt oculorum,

rum, ne aſpiciant illa objecta, quæ oculis hominum videntur pulchra, delectabilia, & curioſa, aut etiam quamcunque rem creatam, quæ ipſos afficiat.

Sic etiam renuo omnem aliam delectationem, quam à quacunque re creata poſſent accipere ſenſus mei; id quod toto corde deſidero in me impleri, tantum ut magis oblecter in te, tibique gratior fiam. Quia cum laqueos omnium illecebrarum abrupero, & meum cor ab omni guſtu, & oblectatione terrena purgavero, tunc demum facilius illud ſe tibi conformabit, & uniet cum tuo corde, mi dulciſſime Ieſu. Et ſic potero felici tui conſpectu potiri, quemadmodum dixiſti; *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Extingue igitur in me, Domine, & extirpa radicitus, fundituſque omnem cupidinem carnis, & ſenſuum.

III. Imo ut magis tibi placeam, ſerviam, & te purius amem, non ſolum repudio omnes ſupradictos guſtus, voluptates, & delicias: ſed etiam ſtatuo ne illis quidem inhiare, quæ ſunt ſpiritus, niſi qua proſunt ad excitandum in me faſtidium ſenſualium, eoque perducunt, ut mea tota oblectatio, guſtus, & conſolatio in te ſolo ſit, & in beneplacito ſanctiſſimæ voluntatis tuæ, Amen.

VI.

ACTVS

Renunciandi bonis temporalibus, amore paupertatis.

Qui non renunciat omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Luc. 14.

I. REx Regum, & Dominus Dominantium, Deus meus, ſuperabundo conſolatione, & cor meum exultat gaudio, quando cogito, te abſolutum eſſe univerſorum, & inter univerſa mei quoque, poſtremi & mini-

mi

mi Dominum. Vnde ab alio, quam à te, poſſideri nolo: nec aliud ego poſſidere aut habere volo pro meo bono, & theſauro, quam te: ita ut ſi mihi offerretur poſſeſſio, & Dominium totius mundi, cum omni ſua opulentia, ſplendore, potentia, ego promptiſſime ipſi renunciarem, ſicut in præſens illi ſponte. libereque renuncio: neque illi ſolum, ſed etiam omnibus aliis rebus, quæ ab humano corde in hac vita deſiderari poſſunt: atque hoc tui ſolius amore.

II. Et ne, cum omnibus renunciaro, meum animum detineant aliqua de ſingulis, profiteor Domine, quod ſi me nunc exui velis amictu, quo tegor, & omnibus commoditatibus meis privari, æquo id animo ferrem; ut magis me tibi, qui nudus pro me in Cruce pependiſti, conformem, & magis in mea nuditate tibi placeam, Domine Ieſu.

Si exturbarer & excluderer domo, quam inhabito, tibique Domine magis placeret me habitare cum feris in ſylvis, aut in quocunque alio loco vili morari, forem contentus.

III. Si quando privabor melioribus cibis & fructibus terræ, & ad ſuſtentationem vitæ non niſi panem durum, ac cibarium cum aqua habuero, contentus ero, & pro eo gratias agam: quandoquidem & illo ſum indignus, propter multiplicia peccata mea. Ah Domine, imprime cordi meo hanc veritatem: adjuva, & ne permittas me iſtis vanis bonis mundi, aut quacunque re creata, exquiſita, pretioſa, vel tenuiſſime affici: ſed totum meum bonum, theſaurus, & divitiæ meæ in te ſint, & cor meum in te ſolo conquieſcat. Amen.

VII. AC-

VII.
ACTVS
Renunciandi propriæ voluntati, ex virtute obedientiæ.

Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Luc. 9.

I. REctor & primus motor univerſi, cui omnia obediunt, Deus infinitæ Majeſtatis, deſiderio ardet cor meum, quoties mecum ipſe cogito (cogito autem ſæpiſſime) quomodo poſſim tibi placere, & me per omnia beneplacito tuo conformare. Et propterea nunc ultro, & libere, me totum tibi offero, & mancipo; peculiariter autem propriam meam voluntatem, cujus liberam poſſeſſionem tibi trado, & reſigno: quandoquidem aliud, præter hanc, in mea poteſtate non habeo. Hanc ergo per omnia, & in omnibus, cum pleniſſimo uſu & exercitio ſanctæ obedientiæ, ſanctiſſimæ tuæ voluntati ſubjicio: renunciando plane firma reſolutione, quantum poſſum, voluntati & libero meo arbitrio.

II. Tuaque gratia fretus, propono, ſemper tibi obedire, in omni re, non facili magis, quam difficili; amplectendo de novo, & acceptando libentiſſime omnia ſancta tua præcepta, & quantum ratio vocationis & officii mei patitur, etiam conſilia: deſiderans, ut illa ſint perpetua regula, ac lucerna pedibus meis, & lumen ſemitis meis: dulcia ſint faucibus meis eloquia tua; adimpletio eorum ſuper mel & favum. Voluntas tua ſit corona capitis mei: & tanquam torques in collo meo, facere quæ tu, Deus meus, mandare nobis, & ſuadere dignaris. Nolo proinde meam voluntatem, vel in minimo unquam tibi eſſe rebellem, ſed ſemper ad unguem tuæ conformem: ita ut ſola contraria cogitatio, & motio, ſit mihi dolori, ac tormento.

III. Sub-

III. Subjicio etiam hanc meam voluntatem, tui amore, omnibus meis ſuperioribus, in omnibus illis rebus, quæ ſunt conſentaneæ divinæ tuæ legi, aut ei non expreſſe contrariæ. Quantumvis autem ardua, moleſtaque mandaverint; nihilominus propono, cum tuo auxilio, prompte illa exequi.

IV. Ah Domine tolle, tolle tandem penitus à me propriam meam voluntatem; nec ſit amplius indicium, neque veſtigium meæ voluntatis in me: ſed omnia mea tua ſint: exure, & redige illam ardore & igne tui amoris in favillam; ut ablato & conſumpto malo, totus ego tandem purus & tibi gratus evadam, Amen.

VIII.

ASPIRATIO

Mentis in Deum.

Os meum aperui, & attraxi ſpiritum, Pſal. 118.

I. O Deus meus, propter immenſum illum amorem, quo me proſequeris, utinam ego ſic redamem te, ſicut mereris & debes amari.

II. O Domine mi, Deus amoris, Bonitas infinita, utinam, ſicut ego in te, & per te ſolum vivo, ſum, & moveor, ita etiam meum vivere, moveri, & eſſe totum cedat in honorem, & gloriam tuam.

III. O Pater miſericordiarum, utinam talem me facias, qualem Filius tuus meretur, & Spiritus ſanctus me eſſe deſiderat.

IV. Amare te volo, Domine, quia ſumme bonus es: mei vero ipſius curam habere non alia de cauſa, quam quia tuus ſum; & conſervatio mei ad honorem tuum pertinet. Et ideo proteſtor, totam curam, quam habiturus ſum de me, non futuram quaſi de re mea, ſed quaſi de tua, id eſt, non mei, ſed tui cauſa me amabo.

V. Gratum hoc tibi ſit, Deus meus: & acceptum habe,

habe, Domine, ob amorem dilectiſſimi Filii tui, Ieſu Chriſti Redemptoris mei, in quo tibi bene complacuit.

IX.

ACTVS

Eliciendi, cum audimus vel videmus aliquod bonum proximi.

Particeps ego ſum omnium timentium te, & cuſtodientium mandata tua, Pſal. 118.

I. DOmine Deus meus, cum audio, & video proximum meum, & particulariter N. tibi ſervire, & boni aliquid facere vel moliri; gaudeo, & multum in hoc mihi complaceo. Et bonum ipſius quaſi meum reputo: & tanquam meum, illud tibi offero, dedico, cum omnibus illis bonis quæ omnes Sancti peregerunt olim, & peragunt adhuc in univerſo mundo, ad æternam gloriam tuam, perinde ac ſi ipſemet ea feciſſem, & facerem.

II. Ago tibi gratias, Domine, pro bonis inſpirationibus & auxiliis, quæ tam huic perſonæ, quam omnibus aliis meis proximis tribuiſti, & tribuis ad bene operandum, loquendum, & cogitandum: neque aliter de hoc tibi gratias ago, quam ſi tale beneficium propriæ fuiſſet exhibitum animæ meæ.

III. Quin etiam inſinuo, & immitto me in proprium cor ipſius, & omnium famulorum, & famularum tuarum, ut ſimul cum eis ex corde perficiam omne illud, quod ipſi in cultu & obſequio tui faciunt, & deſiderant facere. Tu enim ſcis, Domine, quod ego idem omnino vellem præſtare, ſi tu à me idem fieri velles, & ad idem agendum gratiam, vires, occaſionem, & facultatem dares. Nulla profecto me difficultate, nullo timore ab illo præſtando me absterreri ſinerem.

IV. Adauge vero, Domine, enixe rogo, in illo, bonum, gratiam, & merita, cum omni virtute, quantum ipſe, te inſpirante, deſiderat, aut te ſciente, indiget: ut à quo tibi grata præſtantur obſequia, multo etiam gratiora, & perfectiori modo deferantur.

V. Denique largire, quæſo, Domine mi, ut quiſquis viderit tale bonum, exemplo inflammatus, paria meditetur, & agere ſtudeat, ſecundum diſpoſitionem tuæ voluntatis, ad majus tuum obſequium, & gloriam. Amen.

X.

ACTVS ELICIENDI,

Cum audimus & videmus aliquod malum proximi.

In quo judicio judicaveritis, judicabimini, & in qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis. Matth. 7.

I. MI perfectiſſime Domine, cum audio, & video aliquod malum, maxime ſpirituale, proximi mei, ſummopere compatior humanæ fragilitati, quamvis omnibus communi; & præcipue compatior defectui hujus N. Attamen non credo, tantum eſſe malum illud, quantum mihi videtur, vel eſſe dicitur: imo forte nullum eſt: neque tale videtur lucidiſſimo oculo tuo, quale noſtro fallaci. Si tamen, Domine ſcrutator cordium noſtrorum, eſt culpa aliqua, magnopere doleo de lapſu fratris mei: multo magis autem de tua offenſa.

II. Ego in vicem hujus defectus, & in compenſationem tuæ offenſæ, offero tibi pretioſum ſanguinem Ieſu Chriſti, Filii tui, tantopere humiliati & attriti propter ſcelera noſtra: illius charitatem, manſuetudinem, ac longanimitatem inter continuos noſtros defectus tibi repræſento.

III. Sed

III. Sed heu! & ego ad ipſum perpetravi: vel in alio ſimili te non minus offendi,proh dolor! & gravius etiam te offenderem,niſi tua me gratia præſervaret. Vnde etiam toto corde gratias ago tibi pro auxilio, ſine ullis meritis meis mihi præſtito.

IV. Optime ſcio, Domine, te ex quovis malo elicere poſſe majus bonum; alias malum non permitteres. Cedat ergo ad majorem tuam gloriam defectus iſte; ad majorem vero humilitatem & cognitionem ſui ipſius, qui peccavit.

V. Oro denique, occlude omnium oculos, ne inde ſumant audaciam patrandi ſimilia: liga linguas morſu conſcientiæ, ne de re illa male loquantur, neve ex minore delicto, quod per humanam infirmitatem admiſſum eſt, per defectum charitatis, & improbitatem humanam plura alia naſcantur.

XI.

ACTVS

Charitatis, eliciendæ ex quacumque re creata bona malaque.

Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Rom. 8.

I. BEnigniſſime Domine, magnam capio voluptatem, non ſolum ex omni illo amore, quo te proſequuntur omnes ſancti, & juſti, qui ſunt in hac vita: ſed multo magis illo, quo te longe ſincerius complectuntur, tum illi, qui corpore liberati, adhuc in aditu Regni cœleſtis commorantes, avidiſſime faciem tuam expectant: tum illi,qui in penetralia felicitatis admiſſi,clariſſimo tui conſpectu fruuntur; homines & Angeli: ac præcipue inter illos SS. Humanitas I. C. Redemptoris noſtri, & Beatiſſima Virgo Maria.

II. O ſi ego poſſem te amare omnibus illis affecti-

bus, quibus illi omnes te amant! quam id libenter & hilariter præſtarem! Sed quia non poſſum, gaudeo ſaltem, ipſos, qui melius poſſunt, id facere: optoque ut ſemper magis magiſque id faciant, & in amore eodem perſeverent in æternum, ſecundum beneplacitum tuum.

III. Ex altera parte, Domine, vehementer diſplicet mihi: ac doleo, plurimos alios è ſervis tuis negligentius te amare: pleroſque etiam pro amore, tibi referre injurias. Obſecro, Domine, pro infinita Bonitate tua, ignoſce illis, & largire gratiam tuam, qua ſe emendent, & te vel jam incipiant amare ſuper omnia, & in omnibus exequi tuam ſanctiſſimam voluntatem.

IV. Sed quid dicam de illis, qui à te ad imaginem, & ſimilitudinem tuam formati, & innumerabilibus beneficiis donati, cum te, quem ſuper omnia amare deberent, ne agnoſcunt quidem, infideles & improbi? quantum hoc, amabiliſſime Domine, dolorem mihi creare debet, quas excutere lacrymas? Vtinam omnium illorum corda, & voluntatem in poteſtate mea haberem, ut poſſem illos tuo amore inflammare! Ecce, Domine, ſaltem cogitatione mea purgatos, ab omnibus peccatis, quales ego eſſe deſidero, & tu facere potes, omnes illos puros, & ſanctos tibi offero, ad honorem & gloriam tuam.

O quanta mihi felicitas eveniret, ſi poſſem ego ſupplere defectum ipſorum, proſequendo te actibus illis amoris, quibus ipſi te proſequi deberent! & non ſolum ipſorum defectum, ſed etiam pravorum Angelorum, & hominum damnatorum, qui pro amore & laudibus, execrabili contra te odio iraque flagrant, longe pejus, quam flammis inferni. Sed quia ne pro mea quidem parte, ſatis amare, ac laudare te ſufficio, omnem & meum, & aliorum defectum, deſiderio ſaltem, quo poſſum, & quantum poſſum, ſuppleo.

V. Interea magnum mihi ſolatium eſt, quod ſciam tuam divinam Majeſtatem, infinito ſuæ voluntatis affe-

ctu ſatisfacere pro omnibus, & omnes amandi partes explere: cum infinito amore amas te ipſum. Quare ſummopere gaudeo,& hunc amorem nunc tibi humiliter exhibeo,& pro me offero,in ſupplementum etiam omnium illorum, qui omittunt hoc facere, ô Deus, amor meus, ſummum, & unicum bonum meum!

O R A T I O

Divi Thomæ Aquinatis, ad multas magnaſque virtutes impetrandas aptiſſima.

CONCEDE mihi, quæſo omnipotens & miſericors Deus, quæ tibi placita ſunt, ardenter concupiſcere, prudenter inveſtigare, veraciter agnoſcere, & perfecte adimplere.

Ad laudem & gloriam nominis tui ordina ſtatum meum: & quod à me requiris ut faciam, tribue ut ſciam, poſſim, & velim: & da exequi ut oportet, & expedit ſaluti animæ meæ.

Via mihi, quæſo, ad te ſit tuta, recta & conſummata, non deficiens inter proſpera & adverſa, ut in illis non extollar, & in iſtis non deprimar. In proſperis gratias tibi referam, & in adverſis ſervem patientiam. De nullo gaudeam vel doleam, niſi quod promoveat ad te, vel quod abducat à te. Nulli placere appetam, vel diſplicere timeam, niſi tibi.

Omnia in charitate da facere, & quod ad cultum tuum non pertinet, quaſi mortuum reputare. Actiones meas da peragere non ex conſuetudine, ſed ad te referre cum devotione.

Vileſcant mihi omnia tranſitoria propter te, & chara mihi ſint omnia tua, & tu Deus meus plus quam omnia. Delectet me omnis labor qui eſt pro te, & tædioſa ſit mihi omnis quies, quæ non eſt in te.

Frequenter & ferventer da mihi dulciſſime Domine,

cor meum ad te dirigere, & defectionem meam cum emendationis propoſito, dolendo penſare.

Fac me Deus meus humilem ſine fictione, hilarem ſine diſſolutione, triſtem ſine dejectione, maturum ſine gravitate, agilem ſine levitate, veracem ſine duplicitate, timentem ſine deſperatione, in te ſperantem ſine præſumptione, caſtum ſine corruptione, proximum corripere ſine indignatione, ipſumque ædificare verbo & exemplo ſine elatione, obedientem ſine contradictione, patientem ſine murmuratione.

Da mihi, dulciſſime Ieſu, cor pervigil, quod nulla à te abducat curioſa cogitatio: da immobile, quod nulla deorſum trahat indigna affectio: da invictum, quod nulla fatiget tribulatio: da liberum, quod nulla ſibi vendicet violenta delectatio: & da rectum, quod nulla ſeorſum obliquet ſiniſtra intentio.

Largire mihi, dulciſſime Deus meus, intellectum te cognoſcentem, diligentiam te quærentem, ſapientiam te invenientem, converſationem tibi placentem, perſeverantiam te dulciter & fiducialiter exſpectantem, fiduciam te feliciter amplectentem: Da tuis pœnis configi per pœnitentiam, tuis beneficiis in via uti per gratiam, & tandem tuis gaudiis in patria frui per gloriam. Qui cum Patre & Spiritu ſancto vivis & regnas, *&c.*

CAP. V.

ALIA EXERCITIA præcipuarum virtutum.

Ex via vitæ æternæ.

1. Exercitium

Vivæ Fidei.

CRedo tibi, ô veritas, ô bonitas, & hic, & ubique mihi præſentiſſime, & hæc, N. & quæcunque ſcripta, facta,

facta, & à te dicta ſunt, ad meam eſſe inſtructionem, & certiſſima eſſe profiteor coram curia tua, neque eſſe quod excuſem, niſi credam illa, & opere id oſtendam per gratiam tuam.

Tu potentiſſimus, & ſapientiſſimus, & optimus, & ego non credam tibi? & hæc teſtimonia voluntatis tuæ non amplectar? vere credibilia mihi, & amabilia facta ſunt nimis. Sive rationem & Sapientes, ſive rerum naturam inſpiciam, & audiam. Vtinam te audiviſſem ſemper, ô omne bonum, & nunquam te offendiſſem. Vtinam vita mea te honoraſſem, & ex patientia mea oſtendiſſem fidem meam.

Verum ex nunc in æternum credam, & diligam te opere, & veritate. Fac de me quod tibi viſum in æternum, & ego gratia tua quam ſcivero voluntatem tuam faciam ex intimo tui amore, & quæcunque revelaſti pro ſalute mea amplectar, & omnes voluntates tuas, ô vita mea, & omne bonum, Amen.

II. Exercitium

Spei.

Tu ſcis Deus meus, tu ſcis quod non ſimus ſufficientes aliquid facere ex nobis, uti nec hoc N. tanquam ex nobis. Itaque ego pulvis & cinis ad te confugio, uti per te, & per patientiam & conſolationem Scripturarum ſpem habeam, & in te ſperans non confundar. Tune enim, ô bonitas ſic N. me vocas, & repellere me poteris? ſic invitas & trahis ad ſequendum te, & deficere ſines in viâ?

In te, Domine ſperans, ſcio, non confundar in æternum, etſi inveniam in membris meis legem repugnantem legi mentis meæ, neque dignus ſim gratia tua, ſed qui dediſti mihi Corpus & Sanguinem tuum in pretium, & te hodie paratus es dare in pignus ſalutis, &

qui tot beneficiis N. prævenisti me, & petere toties juſſiſti, & dare promiſiſti, ô bonitas, ô veritas, dabis utique mihi quod petam, ut toto corde ſperem in te; & quamvis occideris me, ô ſpes, & vita mea, in te ſperabo; etſi conſurgerent in me caſtra mundi hujus, & totius vanitatis, tamen portio mihi erit cuſtodire legem tuam & te ſequi; quo enim ibimus à te bone Ieſu? nonne vita mea es, & verba vitæ æternæ habes?

III. Exercitium

Charitatis.

O charitas Deus meus, da mihi intellectum & diſcam mandata tua, ſive per epiſtolam, ſive per creaturam loquaris ad cor meum; quicquid enim ad ſalutem diſco, tu præſentiſſimus mihi me intimo amore doces, ô ſalus mea, & medicina animæ meæ. Et quanto id amore doces me, qui nihilum ſum apud te! tune bonorum meorum eges, ut tu ſpontaneo amore, tot me bonis, & charitate tua prævenias?

Sic enim, Pater æterne, dilexiſti mundum, ut Filium tuum unigenitum dares. Sic tu benigniſſime Ieſu Fili Dei, ut pro me in mortem vitam dederis tuam: & gravia mihi eſſe queant mandata & conſilia tua? diligam ergo te Deus fortitudo mea, ô quàm tibi adhærere mihi bonum eſt!

Quid ergo me ſeparare poterit à charitate tua? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius? fortis enim ut mors dilectio tua, & aquæ multæ ſpero non poterunt extinguere charitatem, id eſt, ignem quem veniſti mittere in terram, & vis vehementer accendi. Amen.

IV. Ex-

IV. Exercitium,

Pro charitate Proximi.

O charitas Deus meus, Credo tibi & ſpero in te, & diligo te toto corde, & proximum propter te. Etenim in hoc cognoſcent omnes, quod diſcipuli tui ſumus, ſi dilectionem habuerimus ad invicem.

Hoc inquiebas eſſe mandatum ſimile maximo. Qui enim diligit proximum, vere legem implevit, & qui non diligit, manet in morte. Si ergo ante omnia mutuam in nobismetipſis continuam charitatem habere debemus, ex hoc in æternum ſuper omnia hanc ſervare volo, & diſcipulus tuus eſſe, neminem judicare, neminem verbo aut opere contriſtare, ſed ſolari, juvare, ultro honore omnes prævenire, omnes in te diligere, omnibus etiam minimis facere quod tibi facerem, ô amantiſſime Ieſu.

Mandatum enim, dixiſti, novum do vobis, ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos. Cum igitur dignatus ſis animam ponere pro nobis & me: & ego debeo & cupio gratia tua, pro fratribus non pecuniam, non commoditatem ſolum ponere, ſed & animam meam.

Da autem mihi, ô Ieſu, non diligere verbo, neque lingua, ſed opere & veritate, ut quæcunque volo ut faciant mihi homines, id faciam illis ſeu tibi potius: qua enim menſus menſura fuero, remetieris mihi, & teipſum dabis mihi, qui es ſpes mea, ſalus mea, & refugium meum.

V. Exercitium

Gaudii ſpiritualis.

Quod mihi in hac ſolitudine gaudium, Deus meus, niſi tu omne bonum? ſed eheu! longe & à me, & prope, & intra me, videoque te per ſpeculum in ænigmate.

 Quan-

Quantum ergo & quale gaudium mihi eſſe poteſt, qui in his tenebris ſedeo, & lumen tuum, ô Sol juſtitiæ, non video? Gaudens tamen gaudebo in Domino, & exultabo in Deo Ieſu meo, qui poſt tenebras ſpero lucem.

Vtinam cor meum & caro exultent in te Deum vivum. Vbique enim etiam in hac lacrymarum valle materia gaudii mihi eſt. Servit enim mihi omnis creatura, & cœli enarrant gloriam tuam, & annuntiant mihi amorem tuum.

Muros video cœleſtis Ieruſalem poſitos in oculis meis, ne tui, ne patriæ obliviſcar. Adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi non meminero tui. Delectaſti me Domine, in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo.

Et cum ſcriptum legam: Delectare in Domino,& dabit tibi petitiones cordis tui: nonne dabis eas mihi, quæ ſunt: Gaudere in te Domino meo ſemper, & exultare in te, in gloria tua, quodque tibi flectatur omne genu? utinam ſic gaudeam, ut vitæ hujus gaudia repellam conſtanter, & te fruar, ac tædia feram fortiter, & quidquid tibi viſum fuerit; tuus enim ſum: & quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deum.

VI. Exercitium,

Pro Fiducia in periculis.

Protector noſter, aſpice Deus, & eſto firmamentum & refugium meum: etenim credo tibi, Domine, & in te ſpero,& toto corde te diligo. Deus meus ne elongeris à me, Deus meus, in auxilium meum reſpice, & me emptum ſanguine tuo ſtantem in lubrico, undique laqueis & foveis animæ meæ cinctum trahe in funiculis charitatis tuæ.

O quis

O quis dabit mihi pennas,ſicut columbæ, ut volem & non deficiam, ut ſequar ſic te Paſtorem meum gratia tua, & adhæream tibi toto corde meo!

Tibi, ô Ieſu, derelictus eſt hic pauper; orphano mihi, quæſo ô Pater miſericordiarum, ſine quo nihil poſſum, eſto Tutor & Adjutor: Tu enim es Deus meus, ſpes mea unica, protector meus, cornu ſalutis meæ, & ſuſceptor meus. Amen.

VII. Exercitium,

Gratitudinis erga Deum.

Confitebor tibi Domine in toto corde meo, narrabo omnia mirabilia tua. Mirabilis enim facta eſt ſcientia tua ex me ſuper miſericordia,& veritate tua erga me. Vnde enim hoc mihi, ut recorderis mei, & tot me prævenias benedictionibus dulcedinis, & amantiſſimæ charitatis tuæ?

Adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi non meminero tui in principio lætitiæ meæ. Tu enim potentiſſimus, & ego vapor,& nihil; tu ſapientiſſimus,& lumen;& ego tenebræ,& ignorantia;tu bonitas ipſa,& juſtitiæ meæ,ſicut pannus menſtruatæ; & tamen hæc mihi præſtas, & aperis manum tuam mihi, & imples me omni benedictione. Ideo eructavit cor meum verbum bonum, & dico tibi opera mea, & totum me,ut facias de me volentem in bonis & malis in tempore, & in æternitate trado me tibi, qui tradidiſti temetipſum pro me. Reddo me tibi, ut vivas in me, & tibi moriar, & diligam te toto corde meo. Amen.

VIII. Aliud exercitium

Gratitudinis pro innumeris Dei beneficiis.

Quid retribuam tibi,Deus meus,pro omnibus quæ re-

tribuiſti mihi, cor, corpus, & animam meam? Credo enim tibi, & in te ſpero, & vere toto corde te diligo.

Ecce vota mea tibi Domino meo reddam coram omni populo tuo, & deſideria hæc, qui dediſti incipere N. dabis ſpero perficere.

Spondent hoc beneficia plura, corpus & ſanguis tuus pignora mihi ſunt, ſed ſuper omnia Charitas tua, quod non me deſeres, neque derelinques. Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes.

Repleatur os meum laude tua, ut cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam. Benedicam te Domine in omni tempore, non labiis tantum, ſed & factis. Vtinam ſic luceat lux mea coram hominibus, ut videant opera mea bona, & glorificent te qui in cœlis es. Amen.

IX. Exercitium,

Pro Affectu Reſignationis.

O Chriſte Ieſu, refugium meum, Domine mi, credo, & in te ſpero, & te toto corde diligo. cum vero in te vivamus, moveamur, & ſimus, ex hoc momento in æternum tibi vivam, & movebor, & ero.

Quid enim mihi eſt in cœlo, & à te quid volui ſuper terram? ſi quid eſt, toto corde abnego, ut amem te tota anima mea. Et vere quid velle miſeri extra te poſſumus, in te uno omnia habentes?

Ecce appoſuiſti mihi in hoc N. aquam & ignem, mortem & vitam, triſtia & læta, ſperanda & timenda; quid optabo aut timebo? ad quæ extendam manum meam? ego neſcio introitum & exitum meum, ô Ieſu, neſcio, tu ſcis, fac de me quod placet tibi, tuus ſum ego toto corde.

In manibus tuis ſortes meæ, ſive in morte, ſive in vita. ad te levabo oculos meos & extollam manus meas

meas in ſancta, benedicam te Domine in æternum, in æternum.

O unica ſpes Chriſte Ieſu, Deus meus, fiat voluntas tua, ſicut in cœlo & in terra, fiat, fiat, non quod ego volo, ſed quod tu. Ecce ut jumentum factus ſum apud te, & ego ſemper tecum, ideo omnem ſolicitudinem meam, ſive de publicis, ſive privatis agatur, in te projicio, ex nunc in æternum; quoniam ſcio, tibi de illis & iſtis, ter maxime Deus, eſt cura, etiam de me; etſi noveris me, & nihilum meum, cuſtodi me obſecro propter te, ut pupillam oculi, & ſub umbra alarum tuarum protege me.

Etſi non eſt malum in civitate, quod non feceris, amantiſſime Domine mi, quid querar? fiat, fiat voluntas tua; & ſi non eſt bonum niſi à te, ad quem reſpiciam niſi ad te? & præſtolabor cum ſilentio ſalutare tuum Deus meus, & diligam te toto corde meo. Amen.

X. Exercitium,

Pro affectu Humilitatis.

Diſcere me jubes à te, Magiſter bone, ut mitis ſim & humilis corde. Et unde obſecro, qui nihil ſum & vapor, ignorans odio an amore dignus ſim, ipſe me ſeduco? Si nihil ſum, ſi nihil habeo quod non accepi, & tua ſunt omnia, cui me præponam? Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum. Et Deo gratias, Deo gratias, Deo gratias, video quid ſim, ubi ſim, & qualis; ubi, eheu, eſſe hodie, poſſim, quid faciam & facere hodie poſſim? mala ſcilicet omnia ex me, & bona aliqua per te; non enim ſumus ſufficientes facere aliquid ex nobis, tanquam ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex te eſt, & omnia opera noſtra operatus es in nobis.

Nunquid ergo gloriabitur ſecuris contra eum, qui ſecat in ea, & coram te, ter maxime Deus, qui exaltas humiles

miles & deſpicis ſuperbos, etiam Angelos, mente cordis ſui, & humilias omnem ſuperbum. Cupio igitur gratia tua recumbere tecum in noviſſimo, de nullo queri; omnia enim in vero judicio feciſti, nullum æmulari; ex te enim & in te & per te ſunt omnia, Deus cordis mei & omnia.

XI. Exercitium,

Pro Contemptu Rerum terrenarum.

O ſapientia Æterna, ô Veritas, ô Magiſter bone, qui eructaſti nobis abſcondita à conſtitutione mundi, da mihi, ut idem ſapiam tecum, idem loquar. Beatos eos appellem, nempe pauperes, mites, patientes, pacificos, quos tu appellaſti, & ſunt in æternum apud te, tot Sancti & Electi tui.

Da ut de mundo,& concupiſcentia ejus ſentiam quod tu Deus meus: nonne enim tranſit inſtar navis,floris,volucris, fluminis,fumi & vaporis quidquid eſt? quid enim qui ab orbe condito hoc in loco, urbe, regione, vel etiam à ſæculo fuerunt, ubi nunc ſunt? ubi ergo & illi brevi erunt, qui nunc ſunt? tranſierunt illi,& non eſt invenire veſtigium eorum, tranſibunt & hi.

Vanitas vanitatum,& omnia vanitas. Scio, ſcio,& tu ſola veritas, ſola bonitas, quam diligo ſuper omnia, pro qua deſero omnia. Quid enim prodeſt mihi & ulli homini, ſi univerſum mundum lucretur, & animæ ſuæ detrimentum patiatur? quid prodeſt?

Vere enim non ſatiatur oculus viſu, nec auris auditu impletur, neque anima his terrenis omnibus; res enim omnes extra nos ſola cognitione fere in nobis ſunt, imo æque anima in opinione ſola, atque reipſa quieſcit, neque in ullo omnino quieſcere poteſt cor meum, niſi requieſcat in te.

Cur ergo in vanum curro, & aërem verbero? cur ullius,

lius hominis diem quæro, aut judicium revereor? Mihi pro minimo eſt ab ullo judicari, aut ab humano die.

Quid vero mihi opus eſt cætera quærere, quibus expleri non poſſum? & quæ, ſi primum quæſivero te, ultro adjicies mihi? Erant igitur qui confidunt in nihilo, & loquuntur vanitates, conceperunt laborem, & pepererunt iniquitatem; ova aſpidum ruperunt, & telas araneæ texuerunt, & cum dictum ſit à te, Niſi quis renunciaverit omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus, abnego omnia & adhæreo tibi, Deus meus, omne bonum. Amen.

XII. Exercitium,

Pro Paupertate.

O Rex regum & Dominus dominantium, qui mihi hic ades & ubique me conſervas, verene dixiſti: Beati pauperes ſpiritu, ô veritas, & ego beatus eſſe nolim, & habere regnum tuum, & ſimilis eſſe tibi Regi meo, Deo meo, & ſedere aliquando, & tecum judicare? vere elegiſti pauperes in hoc mundo, & deſiderium pauperum ſoles exaudire.

Elige ergo me, & exaudi me, quia ecce toto corde & ſincero abnego omnia propter te, parva & magna, ſaltem affectu, ut dicere aliquando poſſim: Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te, quid ergo erit nobis? quid? certe theſaurus maximus in cœlo. Et quis ille? Tu ipſe amantiſſime Ieſu. tu enim theſaurus meus, in quo cor meum & omne deſiderium meum.

Nudus egreſſus ſum de utero matris meæ, & nudus vertar illuc; & ego nudus, nudum te Ieſum ſequi cupio, & perfectus eſſe, & vendere omnia, ut inveniam in te hic & in æternum centuplum & omnia. Amen.

XIII. Exercitium,

Pro Obedientia.

Humiliaſti temetipſum Domine Deus meus, & Rex meus, factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis, ut diſcerem à te, ut ſim mitis & humilis corde; & ego non ſequar te ſic invitantem me: non audiam te dicentem; Qui vos audit, me audit, qui vos ſpernit, me ſpernit?

Sequar per gratiam tuam: melior certe eſt obedientia quam victimæ, & auſcultare magis quam offerre adipem arietum; quaſi enim peccatum ariolandi eſt repugnare, & quaſi ſcelus idololatriæ, nolle acquieſcere. Itaque per gratiam tuam ſubjectus ero omni creaturæ propter te, maxime ſuperioribus meis ſive bonis, ſive dyſcolis; & voluntarie ſacrificabo tibi; qui oblatus es propter peccata mea, & attritus propter ſcelera mea, ut nec in ullo opere inveniatur voluntas mea.

Neque inquiram, velut nec Abraham, quare præceperis mihi, tu enim ſapientia æterna es, & ego puer neſciens introitum & exitum meum. Tu bonitas infinita es, & de me quaſi ſolus eſſem, ſolicitus eſſe dignaris; & ſcio, vir obediens loquetur victorias.

Quid igitur eſt Domine Ieſu, Redemptor mi, quid vis me facere? paratum cor meum, paratum cor meum: da quod jubes, & jube quod vis ſervo tuo, filio ancillæ tuæ. Veni enim facere voluntatem tuam, Deus meus, volui, & volo legem tuam in medio cordis mei. Amen.

XIV. Exercitium,

Pro Caſtitate.

O fili Virginis Ieſu Chriſte, dilectiſſime animæ meæ, cujus oculi contemplantur me omni loco, beati ſane ſunt mundi corde, vere beati, quoniam ipſi te videbunt; hoc eſt

eſt unicum votum meum, & omne deſiderium meum.

Audivi dicentem Eccleſiaſten tuum: Qui diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum ſuorum, habebit amicum regem: ideo ego eam diligo, ut tu mihi, amantiſſime Domine mi, amicus ſis, qui dediſti mihi gratiam, ut caperem verbum, quod non omnes capiunt, ut non nuberem, ſed eſſem, ſicut Angelus Dei, ſollicitus tantum de iis, quæ Domini mei ſunt; ut anima mea tota pulchra, & ſine macula, & ruga, audire aliquando mereatur: Veni, veni de Libano ſoror mea ſponſa, veni, coronaberis.

Sed quia ſcio quoniam aliter non poſſum eſſe continens, niſi tu Deus des mihi, rogo te per viſcera miſericordiæ tuæ, cuſtodias animam meam, quoniam ego ſanctus ſum, ut vitem occaſiones eas, & converſationem N. & diligentiſſime ſenſus cuſtodiam, ut ignem illum evadam, qui ad internecionem devorat, urat vero me ignis amoris tui, quem voluiſti vehementer accendi, Amen.

XV. Exercitium,

Pro Patientia.

Audio te patientiſſime Ieſu, & video te velut præſentiſſimum, virum dolorum, & ſcientem infirmitatem, audio dicentem verbo & exemplo, ut in patientia poſſideam animam meam: qui vult venire poſt me, tollat crucem ſuam, & ſequatur me.

Itaque cupio tollere crucem, & ſequi te. ſcio enim quod non ſines me tentari ſupra id quod poſſum. Tu noſti vires, onus jumenti tui, quale ego factus ſum apud te. Et ſcio, bona & mala, paupertas & honeſtas à te Deo meo ſunt; neque eſt malum in civitate, quod non fecerit Dominus. Et ſi bona de manu tua accepimus, mala quare non ſuſtineamus?

Iram tuam Domine portabo, quoniam peccavi tibi;

omne gaudium exiſtimabo, uti me hortatur Apoſtolus, cum in varias tentationes incidero, & recogitabo te, amantiſſime Ieſu, qui talem ſuſtinuiſti adverſus temetipſum pro me contradictionem, ut patientia mea multo precioſior auro inveniatur in laudem & gloriam nominis tui, qui tot ac tanta pro me paſſus es, ut intrares in gloriam tuam. Et, ſpero, momentaneum hoc N. & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operabitur in nobis. Amen.

XVI. Exercitium,

Pro Abſtinentia.

O æterna Sapientia, fierine poteſt, ut non tinniant adhuc ambæ aures noſtræ præcepto illo tuo primo, dato homini, primo & ſancto: In quocumque die comederis, morte morieris, & adhuc Evæ noſtræ libet auſcultare, & hoſti huic viliſſimo ſuccumbere, & ventri ut deo parere? & edere, & nunquam ſatiari ſiliquis porcorum? juſtus comedit & replet animam ſuam, venter autem impiorum inſatiabilis.

Nonne omnis qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet, & illi quidem, ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem ut incorruptam?

Nolo igitur amore tui, qui pro me eſuriiſti quadraginta dies, & ſitiſti, felle & aceto in cruce potatus es, nolo propter viliſſimam eſcam, momentaneam voluptatem, deſtruere opus tuum, Deus meus: ſed libens, ſi placuerit, ſequar te Domine cum Nazaræis, vinum & ſiceram non bibam, in quo eſt luxuria, ſed deſidero cum Daniele & Elia, Ioanne, & omnibus ſanctis tuis ſobrie, & juſte, & pie tibi vivere, & expectare beatam ſpem, & adventum gloriæ tuæ ô Deus, ô ſatietas, ô vere omne bonum meum. Amen.

XVII. Ex-

XVII. Exercitium,

Pro fervore Spiritus renovando.

Domine Ieſu, Rex meus & Deus meus, tu pro me in laboribus es à juventute tua: omnes electi tui portant pondus diei & æſtum; ſol, ſydera, elementa; & omnes creaturæ tuæ ſerviunt mihi, ut ego ſerviam tibi: Filii hujus ſæculi quid non faciunt pro viliſſimis bonis? pro fumo honoris, umbrâ voluptatis, quomodo ſudant, & ſeſe diſcruciant! Et ego ſervus tuus emptus pretio tam magno, conductus mercede tam grandi, adhuc ſtabo toto die otioſus? Quin ſuave jugum tuum, & onus leve gaudens ſuſcipiam. portabo & glorificabo te in corpore meo; & per gratiam tuam, quodcunque poteſt facere manus mea, inſtanter operabor pro te, qui ſic operaris omnia in omnibus pro me; & ſic operatus es ſalutem meam in medio terræ. Nam qui parce ſeminat, parce & metet: Bonum autem facientes ſi non deficiamus; ô quam copioſe, tempore ſuo metemus, portantes manipulos noſtros cum exultatione! Tunc ſatiabimur ab ubertate domus tuæ; & comedemus panem in regno tuo in æternum, ſi hoc brevi vitæ momento in ſudore vultus noſtri veſcamur pane, & regno tuo vim faciamus!

Quid ergo egeſtatem operatur mihi manus remiſſa, cum manus fortium ſibi paret divitias? Audio dicentem, Qui congregat in meſſe, filius ſapiens eſt; qui autem ſtertit æſtate, filius confuſionis. Ecce nunc tempus acceptabile, & tempus meſſis, vita præſens: nunc dies ſalutis, in quibus multos meritorum & gratiæ tuæ manipulos colligere licet: veniet hyems, in qua nemo operari poterit. Mors enim non tardat: & tempus irrevocabile volat. Da mihi, ut horum memor, ſatagam per bona opera certam facere vocationem, ne ſi forte tepidus eſſe cœpero, incipias & tu evomere me ex ore tuo.

XVIII. Exercitium,

Pro mortificatione curioſitatis.

Domine Ieſu Chriſte, in quo omnes theſauri ſcientiæ & ſapientiæ abſconditi ſunt; utinam noverim te, noverim me; utinam noverim voluntatem tuam. Illa enim ſola ſcientia ſufficit mihi, qua in æternum ſapiens & ſalvus eſſe poſſum; & cognoſcere te, videre te, ac poſſidere in te omnia; eo plura ac perfectius, quo minus me hic vana curioſitas in diverſa diſtraxerit. Vnum enim eſt neceſſarium, & hæc eſt vita æterna, ut unum te cognoſcamus.

Hæccine vera ſunt? hæccine viva fide credo? & quaſi crederem, ſic vivo, cogito, loquor, & operor coram te? & in te ſpero, ô ſpes unica; & te amo, ô infinita bonitas hic mihi præſentiſſima?

Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam, ſpero in te ſolo, & ſcio, non confundar: vanitas enim vanitatum, & omnia vanitas: & ſicut amore tui ſuper omnia doleo. quod offenderim te, ita toto corde amo te ſuper omnia. Et quid ultra me ſeparare poterit à te, ô Ieſu, ô vita, ô amabiliſſima charitas! ô Deus cordis mei & omnia! Quid nunc, anima mea, quæram altiora & fortiora me ſcrutari? Cur oculos convertam ad vanitatem, & non ad te ô Ieſu, in quo ſolo eſt ſalus noſtra? Sed, eheu! per negligentiam terra noſtri cordis inculta ſpinas & tribulos germinat; & quia in ſeipſa non invenit requièm, foris cogitur evagari anima noſtra; & dum à ſui circumſpectione torpeſcit; incuria ſui, curioſam in alia facit. Et vero omnis ſapientia, ſcientia, experientia, vana eſt, quæ ad æternitatem non prodeſt. Quid ergo eſt niſi afflictio Animæ, quæ ſatiari non poteſt, neque in ulla creatura quieſcere, ſed in te ſolo, in quo ſunt omnia? O felix anima, cui tu unus es omnia, & quæ in te videt omnia, & à te accipit, & ad te dirigit omnia, ô Deus cordis mei, & omnia.

XIX. Ex-

XIX. Exercitium, Pro pace & tranquillitate animi.

Crebro homini pio uſurpandum.

Nam Pax Dei exſuperat omnem ſenſum.

Agnoſco, Domine Ieſu, mihi præſentiſſime, quod in pace factus ſit locus tuus. Tu vero ſolus, pax noſtra, & centrum, & requies, & omne bonum mihi es. Quid ergo opto, aut ſpero jam præter te? Quid metuo, aut doleo extra te! Tu amor meus; tu timor meus.

Domine mi, mane obſecro mecum, & in te ſine quieſcat anima mea; & delectetur in te: Quid enim eſt, quod paci illi, quæ in te eſt, comparari valeat, cum exſuperet omnem ſenſum; & plus quam juge convivium ſit ſecura & quieta mens, quam inhabitas?

Abſit ergo, Domine mi, ut iſta N. res me turbet; hanc petam; de illa doleam extra te. Nulla enim adferre mihi ullum bonum poteſt, ſi pace tua careain. Et quid mihi deeſſe poteſt, ſi te omne bonum habeam? Cur præ ſordibus & ſpinis his N. te ô ſummum hominis bonum, perdam pacem, inquam, animæ meæ? Habeant ſibi, quæ volunt, filii hujus ſæculi; Ego autem in te gaudebo, & exultabo in Deo Ieſu meo; Tu vero diſpulſa nube vanitatis hujus, & oſtenſa luce voluntatis tuæ, facies (ita ſpero & humillime rogo) ut pax, & ſerenitas tua repleat & exhilaret cor meum. Nunquid, etſi haberem omnia, ſine te, nihil eſſem, & nihil haberem inter omnia; ſed & renunciare omnibus deberem, ſi vellem tuus eſſe diſcipulus? Quorſum ergo haberem illa, ſi te una cum illis habere non poſſem? Si bonum meum unicum tollerent, aut minuerent, id eſt, pacem animæ meæ? Et quidem ideo petuntur, & quæruntur iſta, ut quieſcat in iis cor noſtrum; ſed quis unquam hoc aſſequutus eſt? imo inquietum ſemper eſt cor, donec in te

 ſolo

ſolo requieſcat. Nam capax ſummi boni, quidquid te minus eſt, illo repleri aut ſatiari non poteſt.

Ita ſcio, ita credo, ita mihi denunciant ſæcula præterita, & omnis creatura.

Cur vero non reſpuo illud bonum? cur illud malum non admitto, quod dum longe eſt, & extra muros eſt, velut hoſtis aſpectu ſolo, & affectu turbat animam meam? Abſit Domine, averte hoc à ſervo tuo; cujus certe pax & omne bonum eſt conquieſcere in voluntate tua. Tu noſti quid expediat publice & privatim gloriæ nominis tui, & meæ ſaluti: Ego vero, cum id ignorem; quid ſpero, vel metuo; quid doleo, vel gaudeo, niſi de voluntate tua?

Et vero, quidquid eveniat, nihil ſcio, fiet, nec capillus de capite peribit; non folium arboris, non arena movebitur, abſque providentia tua: Vnde nec mirari debeo, nec de ullo unquam eventu conqueri: facta enim eſt, & fiet voluntas tua; quin & mea; quia toties eam reſignavi, uti & jam reſigno tibi, cujus ego totus ſum, & omnia: Vnde humillime rogo, ut nunquam, ô Sapientia æterna, quidquam ſecundum meam inſipientem voluntatem facias; aut fieri permittas. Fiat mihi potius in omnibus ſecundum verbum & beneplacitum tuum. Sola tua voluntas ſecundiſſimus ventus, quo aſpirante inter tot fluctus vitæ præſentis, ad portum ſalutis, & beatæ æternitatis ſecure pervenire liceat. Amen.

XX. Exercitium,
De recto uſu bonorum:

Vtiliſſimum Divitibus in hoc ſæculo; ut VÆ divitum, *iis vertatur in beatitudinem* Pauperum.

Legite ô divites, & intelligite.

O benigniſſime Deus, cujus eſt orbis terræ, & plenitudo

tudo ejus; qui bonorum noſtrorum non eges, ſed bona tua nobis tam large communicas: prout & ego de liberali manu tua iſthæc bona me recepiſſe fateor;

Sed verene bona ſunt? O bone Ieſu,tu æterna Veritas dic mihi obſecro;quia pungit & angit me ſermo tuus. *Væ*, inquis, *vobis divitibus, qui hic habetis conſolationem veſtram*: & divitem illum teſtaris recepiſſe bona in vita ſua, ſed demum ſepultum in inferno.

Siccine nos gloriamur in bonis iſtis, & beatos dicimus, quibus hæc ſunt; cum tu æterna veritas iis *væ* commineris? imo addis, *Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in regnum cœlorum*; & rurſum: *Facilius eſt camelum transire per foramen acus, quam divitem intrare in regnum cœlorum.*

Hæccine vera ſunt! immo veriſſima; utpote verba æternæ veritatis. Quomodo ergo nos illa vocamus bona, & ea curis ac laboribus paramus? An quod facient poſſidentes bonos, & tibi ſummo bono gratiores? Verum audio te non divites, ſed pauperes elegiſſe in hoc mundo Item, *Si dives fueris, non eris immunis à delicto*; & iterum, *omnes qui volunt divites fieri in hoc ſæculo, incidunt in tentationes & laqueos diaboli; & deſideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt homines in perditionem.*

Sed forte auxilio ſunt ad commodius ſerviendum tibi? Verum audio, *Non poteſtis Deo ſervire & Mammonæ*; & iterum: *Qui amat aurum, non juſtificabitur. Nihil enim eſt iniquius quam amare pecuniam*; &, *Beatus vir, qui poſt aurum non abiit, nec ſperavit in pecuniæ theſauris*; *Beatos* quoque pronuncias *pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.*

O vox Domini confringentis cedros! & revelantis condenſa! An huic credo Deus meus? verene credo tibi ô æterna Veritas? væ mihi miſero, quem fluxa bona ad breve momentum conceſſa in tale diſcrimen adducunt, ut per ea ſeparari poſſim à te ſummo bono, & mergi in perditionem ac extremum malorum!

Quid faciam tibi, ô cuſtos hominum; quare poſuiſti

me in loco & ſtatu tam lubrico? Quid faciam,ut per bona temporalia non amittam æterna? Iubes, ut divitiis, ſi affluunt,cor non apponam,ut non ſuperbe ſapiam; ut honorem te de ſubſtantia mea,imo tua; nihil enim intuli in hunc mundum,ſed nec auferre quidquam potero.Diſpenſator quidem tuus ſum; ſed eheu! ubi veneris poſiturus rationem cum ſervis tuis, quomodo fidelis inveniar?

Anguſtiæ mihi ſunt undique. Sed ecce, ſcio quid faciam. Potius quam peream æternum, abjiciam omnia propter te; & tu reſtitues mihi longe meliora. Arcta eſt via & anguſta porta, potius quam excludar à te, libentiſſime ponam, aut potius apud te deponam omnia. Scio enim, quia tu potens es depoſitum meum ſervare, qui teipſum ſervas mihi, ô Deus meus & omnia.

Dixiſti, ô æterna Veritas, non ſolum religioſis & monachis; ſed omni Chriſtiano, *Niſi quis renunciaverit* (ſaltem affectu) *omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.*

Renuncio itaque omnibus, & humillime rogo te per viſcera miſericordiæ tuæ, ut poſſim eſſe diſcipulus tuus: ô Domine ſalus & vita noſtra, tu non delectaris in perditione & morte cujuſquam; Aufer ergo à me concupiſcentiam oculorum, & ſuſcipe hoc deſiderium meum, quo jam ſecundum affectum animi mei omnibus renuntio, reipſa etiam paratus facere potius, quam te offendere; & pauper eſſe potius cum Lazaro,quam cum Epulone dives.

Itaque cor meum, & omnia mea, id eſt, quæ tua ſunt, tibi lubens offero. Diſpone de iis, prout tibi placet: Si enim tua ſunt, uti vere ſunt, iniquus ſim, ſi jus tuum uſurpem mihi.

Eſto igitur, tollat ea vel vis hominum, vel clades bellorum, vel malitia Satanæ, vel injuria tempeſtatum, vel alius quicunque caſus: Ego in te unum reſpiciam; patienter & humiliter dicam cum Iobo: *Dominus dedit, Dominus abſtulit; ſit nomen Domini benedictum.*

Si petat à me pauper, aut potius tu ipſe per pauperem ſub-

ſubſidium: reddam libens, nam tuum repetis; & tamen, quæ charitas tua eſt, centuplum promittis. An forte diffidam tibi, & potero unquam à me ullum triſtem ac vacuum dimittere? Nequaquam; ita coram te, & cœleſti curia tua propono.

Quidquid præterea cognovero ex ratione, aut prudentum conſilio, aut tua inſpiratione, fore ad majorem tuam gloriam, (non meam) id paratus ſum facere. Deſerenda ſemel in morte, jam potius affectu, tui cauſſa deſero; perdenda, jam volens perdo; ut ſerventur tibi, adeoque mihi apud te. Iam abrenuntio omnibus, ut ſim tuus diſcipulus.

Si mundus hæc non intelligit, cujus eſt hic theſaurizare, domum ad domum conjungere, familias augere, ſplendide vivere, ambulare in magnis, grande nomen quærere: utinam ſaltem ego inter diſcipulos tuos, & diſpenſatores fideles per gratiam tuam eſſe deſiderem, tanquam redditurus brevi rationem villicationis meæ, & reſponſurus tibi, quærenti, cur non dederim ad uſuram talenta tua: neque enim fallere te poſſum. Scio quid à ſervo meo exigerem; ſcio quid à me tu poſtules. Abſit vero ut ſim ſervus ſciens voluntatem Domini, & non faciens.

Ergo me, & omnia mea ex toto corde reddo tibi. Ecce jam affectu pauper ſum: Ecce reliqui omnia, & ſequor te. Quid ergo erit mihi? Tu Deus meus, & omne bonum: Tu merces mea magna nimis. Tu pars & hæreditas mea; & quidni ſufficiat mihi? Quin etiam nunc das mihi teipſum; id eſt, corpus & ſanguinem tuum. inſuper centuplum, & vitam æternam promittis. Credo tibi, quia Veritas es; omnis autem homo mendax. Credo tibi, quia ſumma bonitas es; & beneficiis vinci non potes; Etenim quæ vere tua ſunt, ea reddimus tibi, ô Deus cordis mei, ſuſcipe ea, ſicut ſincero corde offero: Tu vero, quando placebit tibi, me à bonis ſeculi pauperem, ſed tuis donis divitem ſuſcipias in æterna tabernacula tua, Amen.

Cap. VI.

Exercitia matutina & veſpertina complectens.

EXERCITIVM MATVTINVM.

Vt recte pieque diem tranſigas, plurimum refert bene cœpiſſe. Itaque mane evigilans, protinus diei auſpicio Dei *memoriam junge, & cave, ne Actionum & Cogitationum primitias, alius habeat præter Deum. Male & infeliciter tibi nullus ibit dies, quem Deo auſpice cœperis. A fonte enim omnis boni, quid niſi bonum?*

Quinque puncta exercitii matutini.

1. *Sis gratus.* 2. *Cor offer.* 3. *Opus diſpone futurum.* 4. *Vita peccatum.* 5. *Subſidiumque pete.*

I. GRATIARVM ACTIO.

O Æterne Deus, laudo te, & gratias ex intimis cordis mei viſceribus ago tibi, quia me *Creaſti* ad imaginem tuam; & pretioſo Filii tui ſanguine *Redemiſti* me: Sed & præter alia innumera beneficia, hucuſque tam clementer *Conſervaſti* me; & hac nocte à periculis maliſque me cuſtodiens, ad hujus diei initium incolumem perduxiſti. Quid retribuam tibi Domine, pro his & aliis omnibus, quæ dediſti mihi?

II. OBLATIO SVI IPSIVS.

Ecce Domine totum libens offero tibi, à quo profluxit omne quod habeo: Corpus, Animam, utriuſque vires, & omnes hujus diei Cogitationes, Verba, & Opera Ad Maiorem Nominis Tvi Gloriam pure & plane refero; ut in his omnibus laudetur & glorificetur nomen tuum benedictum in ſæcula: idque in unione omnium operum, quæ Salvator noſter

ſter in terris in perfectiſſima charitate pro ſalute noſtra geſſit: ut ex abundantia meritorum unigeniti Filii tui, in quo tibi bene complacuit, mea juvetur infirmitas, & defectus ſuppleatur.

III. DISPOSITIO ACTIONVM.

Sed quid me vis facere, ut placeam tibi? Scio Domine, quia rigidam totius vitæ & temporis rationem reddemus tibi, quando venies poſiturus rationem cum ſervis tuis. Et hinc meritò vereor omnia opera mea, ſciens quia non parces delinquenti; neſciens autem, qua hora venturus ſis, & citaturus me, ut reddam rationem villicationis meæ: & quid, ſi hodie? Itaque cum in hoc ſtatu, N. officio, N. gratia tua vivam, ſtudiis & operibus vocationi meæ congruentibus, velut N. & N. diligentius incumbam; omnia honeſte, & ſecundum ordinem facere conabor.

Et quia jubes primum quærere regnum Dei; negotiis & curis externis parcius me tradam, ne tempus deſit negotiorum omnium maximo, ſeu curæ ſalutis & æternitatis. Agnoſco enim quia vanum eſt, curare & lucrari omnia, & te ſolum, ſummum bonum perdere. Quin potius præ omnibus, & in omnibus te quæret anima mea, ô Deus meus & omnia.

IV. FVGA PECCATI.

Vtinam, ô Domine, dirigantur hodie viæ meæ ad cuſtodiendas juſtificationes tuas! Et certè non libet ambulare vias peccatorum, vias difficiles, in quibus nil niſi contritio & infelicitas; nam etſi initio videantur bonæ; tamen illarum noviſſima ducunt ad mortem. Iuravi & ſtatui cuſtodire judicia juſtitiæ tuæ. Dixi, Cuſtodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea. Avertam oculos meos, ne videant vanitatem: & utinam omni cuſtodia ſervem cor meum. Scio, has N. & illas N.

occaſiones ſæpius mihi fuiſſe damnoſas; Et quomodo eidem me rurſus hodie periculo committam? Non faciam ô Domine, amore cui uni placere, ſervire, & adhærere deſiderat anima mea.

V. PETITIO GRATIÆ DIVINÆ.

Verum, ô Domine, quid prodeſt hæc velle, niſi tu des poſſe & perficere? Fruſtra proponit homo, niſi quem gratia tua diſponit. Tu noſti fragilitatem meam, quia inops & miſer ego ſum, nec quidquam ſine te facere poſſum, imo ne cogitare quidem: ſed ex te uno eſt omnis ſufficientia mea. Exurge itaque in adjutorium mihi, & efficaci tua gratia vires adde, ut quod volo bonum, feliciter perficere poſſim.

Tu quoque, ô ſanctiſſima Dei Mater, Virgo, & Patrona mea ſingularis, curam clientis tui ſuſcipe, & monſtra te eſſe matrem. Tuque ô Angele cuſtos, qui juſſu bonitatis divinæ mei curam ſuſcepiſti. Et vos, ô SS. Patroni mei N. N. mihi præcipue dilecti, hodie clienti veſtro fideliter adſiſtite, & in viam ſalutis dirigite. Veſtris, quæſo, precibus & meritis apud Deum agite, ut ejus gratiæ ductu ſic vivam hodie, ut vobiſcum vivam, gaudeam, Deumque laudem in æternitate. Amen.

EXERCITIVM

Ingentis meriti & efficaciæ, ſeu actus Heroicus & Pactum cum Deo ineundum.

EX PHILIPPO ROVENIO *Archiep. Philip. Vicar. Holland. in Inſtit. Chriſt. piet.* Et P. Mart. à Matre DEI, *Carm. Excalc. in Gymnaſ. Phil. Chriſt. Quos de vi & præſtantia hujuſmodi Exerc. plenius conſule.*

HOmo pius *Deum indeſinenter laudare & modico labore plurimum mereri cupiens, hujusmodi* Pactum *cum* DEO *inire poteſt; Nempe, quod ad certa quædam ſigna v. g. ſonitum campanæ,*

panæ, aſpectum Cœli, tunſionem pectoris, &c. *(nam ſigna pro placito aſſumi & multiplicari poſſunt) velit & gratum habeat quodvis opus bonum, &* DEO *gratum, quod unquam factum eſt, ſeu hodie fit, aut unquam deinceps futurum eſt, aut fieri poſſet. Item, toties ſe ipſum velle* DEO *offerre; dolere de peccatis; renovare propoſita vota; Deum adorare, laudare,* &c.

Vim & valorem hujuſmodi Actus *à contrario colligere licet. Si quis ſtatueret ſecum, quoties audit campanam, cœlum reſpicit,* &c. *toties ſe velle ratum & gratum habere, quicquid unquam mali actum vel agendum eſt, optaretque ſe ejus eſſe participem, quantæ is ſe culpæ oſtringeret: Hoc itaque ſi in malo tam efficax eſt, quidni idem bono applicatum immenſæ virtutis & meriti erit? Sed en* Formulam hujuſmodi Pacti.

O benigniſſime Pater miſericordiarum, Deus, Dominus, ac Creator meus: ex quo, per quem, & in quo ſunt omnia. in te enim vivimus, movemur & ſumus: proindeque ſupremi jure Dominii omnia ſerviunt tibi: Hinc & tuus ſum ego; uti nunc meipſum trado tibi in ſervum perpetuum fœdere ſempiterno; ut omnia vitæ meæ momenta, & omnia quæ intra me, & circa me ſunt, benedicant Nomini tuo. Sed quia præſentis vitæ neceſſitates minus ſinunt mentem indeſinenter intendere laudibus tuis, hinc tale PACTVM tecum, mi Domine, inire cupio.

Quoties cœlum ſuſpexero; vel pectus percuſſero, vel piam imaginem adſpexero. Quoties horologium; aut ſignum Miſſæ, vel Elevationis ſacratiſſimæ hoſtiæ percepero; Roſarium, vel librum in manus accepero. Quoties carnem, mundum, vel Dæmonem, me in quacunque materia fidei, ſpei, charitatis, caſtitatis, patientiæ, humilitatis, *&c.* tentantem ſenſero, *&c.* Nunc pro tunc declaro, toties me facere & exercere velle omni meliori, quo fieri poteſt, modo & forma, Actus hoſce ſequentes: etſi forte pro tunc ad hoc mente minus adverterem.

Toties,

Toties, inquam, gaudeo & gratulor tibi ex animo, ob infinitas perfectiones tuas, quod ſis QVIES, id eſt, DEVS ſumme potens, ſapiens, bonus, miſericors, juſtus, *&c.* Summum Creaturæ rationalis bonum. Quod nullius egeas, utpote teipſo ſat beatus, & ſufficiens tibi, noſtra autem omnis ſufficientia ex te ſit.

Gaudeo etiam, Domine, propter opera bona, quæ unquam facta ſunt, hodie fiunt, fientque deinceps, propter amorem tui: aliaque omnia, quæ fieri poſſent ab iis quos creaſti & creare potuiſſes; idque ea, qua poſſibile eſt, perfectione.

Gaudeo ob ea quæ Dominus noſter Ieſus Chriſtus, Virgo Maria, SS. Angeli, Patriarchæ, Prophetæ, Apoſtoli, Martyres, Confeſſores, Virgines, omneſque SS. & fideles omnes egerunt ad gloriam tuam; nec non ob amorem, quo te æternum proſequentur, & laudes, quas tibi in perpetuum dicent.

Offero tibi omnia Sanctæ Miſſæ Sacrificia, quæ vel hactenus in Eccleſia peracta, vel deinceps uſque ad conſummationem ſeculi peragenda ſunt; idque animo *Adorandi* & laudandi te uti DEVM ſupremæ majeſtatis, potentiæ, ſapientiæ, bonitatis, *&c.* Item *Gratias* tibi agendi; nec non *Placandi* te, & bona gratiæ & gloriæ *Impetrandi* à te.

Doleo de peccatis meis omnibus & ſingulis ex animo, propter amorem tui. *Spero* de infinita miſericordia tua veniam. *Propono* cum gratia tua, non amplius offendere te.

Doleo quoque ob tot peccata à mundi initio, hucuſque à quocunque homine commiſſa, iiſque te tam graviter offenſum. Opto ex animo, ut compenſari aliquatenus meo ſanguine poſſent. Vtinam vice cujuſque peccati ſingulis Æternitatis momentis mille tibi obſequia à SS. Angelis, & omnibus Beatis deferantur.

Dimitto ex animo, amore tui, omnibus qui me offenderunt, vel quomodocunque læſerunt: & opto illis pro ſingu-

ſingulis offenſis; à te peculiarem aliquam gratiam, ſeu beneficium. Et utinam nunquam ipſi tuam offenſam incurrant.

In manus tuas committo me, & omnia mea; præſertim finem vitæ meæ, ut diſponas de me, uti re maxime tua, in tempore & æternitate, quod tibi placuerit, & viſum fuerit fore ad Majorem tuam.

Poſtremo offero tibi, quidquid poſſum melius, & meliori modo; præcipue vero VITAM, Paſſionem, & Sanguinem D. N. I. Chriſti in gratiarum actionem pro beneficiis omnibus Corporis & animæ, quæ à te hactenus accepi, & deinceps accipiam, præſertim pro charitate, qua ab æterno dilexiſti me. Et pro dono perſeverantiæ obtinendo; ut tibi inſeparabiliter adhæream.

Hunc ipſum Actum, quo ad ſingula membra, aliaque his implicite incluſa, toties ratum eſſe volo quoties aliquod è ſignis præſtitutis, vel præſtituendis edidero: imo tot vicibus, quot creaturæ productæ ſunt à te, aut produci poſſunt: quoties ſpiritum duxero. Denique quoties poſſibile, vel imaginabile eſt, id ipſum iterari, ac multiplicari. Atque hoc pure ob amorem tui, omneſque bonos ac ſanctos fines, qui ab ullo haberi poſſent.

DOMINE, quod dixi, dictum, factum, gratum, ratumque volo; affectu, effectu, fructuque, quo ad licet, maximo.

Hunc actum hac forma prolixiore, ſemel in die præſertim mane, vel ante, ſeu poſt Sacrum, *exercere ſufficit. Sed ſæpiſſime ad ſigna conſtituta repetatur; quod haud erit difficile; cùm ſola & unica mentis directione, ſeu reflexione fieri poſſit. Item dicendo,* O IESV, *vel,* O DEVS meus & OMNIA.

ORA-

ORATIO VTILISSIMA,

Qua mane quivis Actiones ſuas, & omnia Deo commendet, ac Chriſti Meritis uniat.

Ex precibus German. P. Petri Caniſii Soc. I.

LAudo te ex toto corde meo, & gratias ago tibi, Domine Deus meus, quod, cum nihil eſſem creaveris me ad imaginem tuam: ita nimirum ut æterni & ſummi Boni, id eſt, tui ipſius capax eſſem. Et cum jam perditus eſſem, utpote filius iræ, & reus æternæ maledictionis; tu nihilominus ex vi immenſi amoris tui, per tuam ſanctiſſimam vitam & paſſionem, mortem, & pretioſum ſanguinem tuum redemiſti me.

Vnde, ſicut omnè bonum de tua ſolius manu recipio; ita hoc quidquid eſt, & me ipſum totum ad laudem & gloriam ſupremæ Majeſtatis tuæ viciſſim lubens in perpetuum offero.

Denique cum indignus eſſem omni gratia, & beneficio; imo plenus immunditia, & dignus ſupplico; tam benigne mihi Spiritum ſanctum, una cum donis ſuis largitus es. Et ſuper hæc omnia, æterna mihi in cœlis bona & gaudia præparaſti.

Obſecro quoque per immenſam bonitatem tuam, ô benigniſſime Salvator Ieſu Chriſte; ut hoc die me ab omni peccato cuſtodias, ne perdam gratiam tuam; ſed cor meum, & omnem intentionem meam, intellectum, & voluntatem, omnes corporis & animi vires ad tui ſolius cultum & honorem convertam; ut cogitationes, verba & opera mea tibi per omnia placeant.

Sed quia ob ſummam imperfectionem meam, non ſum ſufficiens, quid quam agere, imo ne cogitare quidem ex me ipſo, quod coram oculis divinæ Majeſtatis tuæ gratum, mihi utile, aut meritorium eſſe poſſit; Ex te autem eſt omnis ſufficientia noſtra: hinc te ſupplex & humillime

me rogo,ut defectui & inopiæ meæ ex infinita abundantia charitatis tuæ, & inexhauſto meritorum tuorum theſauro ſuccurrere digneris.

Et ſic demum offero & commendo tibi Domine Ieſu Chriſte indigniſſima & ex ſe viliſſima opera mea; ut tu unias ea digniſſimis, & ſanctiſſimis operibus totius vitæ tuæ, in ardentiſſima & perfectiſſima charitate factis, qua tu omnia ad ſalutem noſtram operatus es, in medio terræ; pro beneplacito & gloria æterni Patris tui.

Denique quidquid hodie me agere vel pati neceſſe fuerit, hoc, precor, non tantum clementer ſuſcipe; ſed etiam per tuam ſanctiſſimam Incarnationem, Vitam, Paſſionem, ac Mortem, meritorium mihi ac ſalutiferum effice; ut per hoc animæ meæ ſalus magis magiſque juvetur, & omnis vita mea, tuæ ſanctiſſimæ vitæ ac paſſionis exemplo perfectius conformetur: utque hoc pacto ad juvandam proximi mei ſalutem, ad pacem & charitatem cum eo ſervandam magis fiam idoneus. Ante omnia vero, ut divinæ Majeſtatis tuæ voluntatem, obſequium, & amorem toto corde promovere ac perficere valeam. Amen.

BENEDICTIO

Mane & veſperi uſurpanda:

Ex Eodem.

PAx Domini noſtri IESV Chriſti; & virtus ſacratiſſimæ Paſſionis ejus. Signum S. Crucis, & Titulus triumphalis IESVS NAZARENVS REX IVDÆORVM. Integritas quoque Beatiſſimæ Virginis Mariæ; Cuſtodia SS. Angelorum, præſertim Tutelaris mei; & ſuffragia omnium Electorum Dei, ſint inter me, & omnes inimicos meos viſibiles & inviſibiles, nunc & in hora mortis meæ; Amen. In nomine Patris,& Filii,& Spiritus ſancti. Amen.

EXERCITIVM VESPERTINVM.

V*Eſperi, dum cubitum te conferes, cave ne Dei ſis immemor, cujus favore hucuſque diem & vitam perduxiſti; forſan non perducturus uſque mane niſi Deum tibi hoc veſpere concilies. Mortis ſanè memoriam ipſe quodammodo lectus ingerit, in quem velut in ſepulcrum nuda membra reponis: & quid eſt ſomnus ipſe, niſi frater & imago mortis? Nimium temerarius eſt, qui offenſo, & non reconciliato Deo, audet ſe nocti & ſomno credere. Quin ſic potius ad nocturnam te quietem compara, ac ſi quis auri inſuſurret:* Hac nocte repetent à te animam tuam. *Ideoque memento orandum cum Propheta:* Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in mortem, ne quando dicat inimicus meus, prævalui adverſus eum.

Quinque puncta exercitii Veſpertini.

1. *Solve Deo grates.* 2. *Pete lumen.* 3. *Diſcute mentem.* 4. *Delicti veniam poſce.* 5. *Recide malum.*

I. GRATIARVM ACTIO.

O Infinita Bonitas, gratias ex intimo corde ago tibi, pro omnibus beneficiis tuis, quæ mihi indigno hodie, & tota vita mea tam liberaliter contuliſti. Sit tibi laus & gloria, à me, & ab Electis tuis, in cœlo & in terra; & ab omni creatura tua, in ſæculorum ſæcula.

II. PETITIO LVMINIS.

O Sapientia Æterna, in multis eheu, offendimus omnes; ſed delicta quis intelligit? Tu ô lux vera illumina tenebras meas, ut videam, & ſciam quid deſit mihi. Tu noſti omnia abſcondita cordis: & omnes greſſus meos conſideras. Da ergo ut quicquid hodie contra te, cogitando, loquendo, vel operando deliqui, id plene recogitem tibi in amaritudine animæ meæ.

III. DISCVSSIO CONSCIENTIÆ.

O Scrutator cordium & renum Deus; infelix ego peccavi

cavi hodie in Cœlum & coram te: Et quomodo poſſum celare te, qui prævidiſti omnes vias meas; & intellexiſti cogitationes meas de longe? Quid faciam tibi, ô cuſtos hominum? Heu mi Domine; Peccavi, & delicta mea à te non ſunt abſcondita. Sed & ſi meipſum dijudico, en reprehendit me cor meum, in his maxime.

Hic examina conſcientiam tuam, eoque totius diei decurſum repete: ubi fueris, quibuſcum egeris, quid cogitaveris, dixeris, feceris, expende. Sed memento pro ratione ſtatus; officii, ſeu vocationis tuæ examen inſtituere! ſic facile, quid commiſſione, quid omiſſione peccaveris, agnoſces. Item, quid in exercitio Virtutis N. *tibi magis neceſſariæ, quid in exterminatione vitii* N. *tibi magis infeſti profeceris, ſerio diſpice*, &c.

IV. PETITIO VENIÆ.

O Pater miſericordiarum, qui non lætaris in perditione peccatorum, reſpice me ſecundum multitudinem miſerationum tuarum. Ego omnes offenſas hujus diei, & totius vitæ meæ depono in abyſſum æternæ charitatis tuæ, qua dilexiſti nos. Doleo ex intimo corde meo, me tam ingratum fuiſſe tot beneficiis tuis, & toties te Deum & ſummum bonum meum offendiſſe. Precor per mortem & amorem filii tui Ieſu Chriſti, parce miſero; & dimitte mihi clementiſſime, quidquid hodie, vel unquam in Te, proximum, & meipſum peccavi.

V. PROPOSITVM EMENDATIONIS.

O potentiſſime Deus, ſine cujus numine nihil eſt in homine, coram te, & omni curia cœleſti propono firmiter, exactius regulam voluntatis tuæ ſequi; mores corrigere, vocationi meæ propius attendere: peccata ſimul ac pericula fugere, *&c.*

Verum hæc ego quidem volo; ſed ſine te non valeo. Tu ergo qui das velle; adde poſſe ac perficere. Da quod jubes, & jube quod vis; ut ſobrie, juſte, & pie vivam in hoc ſeculo: & æternum te laudem cum Sanctis tuis in futuro.

Suſcipe hoc deſiderium meum Domine, ſicut incenſum in conſpectu tuo. ſacrificium hoc veſpertinum & ſerotinum deprecationis meæ ne deſpicias pro infinita miſericordia tua.

Vos vero, ô ſancti Patroni mei, inprimis Virgo Mater, & tu Angele Cuſtos, & tu N. omneſque cœlites, qui indefeſſe laudatis Deum, etiam dum ego tantiſper quieſco & ſileo, Vos mei curam agite, & Deo me commendate, ut protegar ab inſidiis hoſtium meorum, qui nobis dormientibus ſemper vigilant, parati ad nocendum. Sit Deus protector noſter, & nulla nobis adverſitas nocere poterit.

Domine Deus auge in nobis Fidem, Spem & Charitatem. Radicitus extirpa omne peccatum, & vitium, diſcordiam, infidelitatem, errores, opiniones. Increpa errantes, converte incredulos. Schiſmaticos in Eccleſiæ unitatem recollige, lumen gratiæ tuæ illis oſtende. Eccleſiæ tuæ Paſtores & Præpoſitos, cæteroſque Primores, Imperatorem, Reges, Duces, Epiſcopos, & omnem Poteſtatem ab omnibus adverſitatibus corporum animarumque cuſtodi.

Peccatores ad veram pœnitentiam converte. Iuſtos in bono conſerva. Cogitationes eorum, verba & opera confirma. Miſerere omnium Domine: & in tua ſervitute deditos tibi corrobora. Enutri operarios: erige mœſtitia preſſos, infirmos cura, egentibus neceſſaria adminiſtra, peregrinantibus optatum largire in Patriam reditum: in periculis maris conſtitutis portum ſalutis tribue: prægnantes lætifica, captivos ſolve.

Dimitte omnibus qui mecum peccaverunt, vel quos ad peccandum impuli. Affectis per me injuria, ſcandalizatis vel circumventis, redde centuplum. Sanguine vel familiaritate mihi conjunctorum, Parentum, Fratrum, Sororum, quorum utor opera vel ope, qui pro me orant, qui orationi meæ ſe commendarunt, omnium de me

bene

bene ſentientium iter in via ſalutis dirige. Exaudi illos in quacunque tribulatione ad te clamaverint. Inimicis noſtris & nobis Charitatem largire perpetuam. Sit in omnibus patientia, benignitas, miſericordia. Procul ſit invidia, ira, & amarulentia.

Sed & piiſſime Pater miſerere omnium animarum in Chriſto dormientium. Inprimis parentum meorum, cæterorumque, cum quibus familiariter ſum converſatus, vel quorum hæreditates nunc poſſideo, omniumque, qui in tua fide requieſcunt. Requiem æternam dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis. Amen.

PATER æterne, per vitam & mortem dilectiſſimi Filii tui; perque viſcera miſericordiæ tuæ rogo te, concede mihi, ut in bono perſeverem, & moriar in gratia tua.

BONE IESV per charitatem æterni Patris, & ultima in cruce verba, quibus Patri ſpiritum commendaſti, Te rogo, ſuſcipe ſpiritum meum in fine vitæ meæ.


SPIRITVS ſancte Deus miſerere mei, & ſancta inſpiratione tua me ſemper & potiſſimum in hora mortis meæ corrobora.

Sanctiſſima Trinitas, unus Deus miſerere mei, nunc & in hora mortis meæ. Amen.

ASPIRATIO HORARIA.

O Deus infinitæ miſericordiæ : Doleo *ex amore tui*, *quod unquam offenderim* Te. Amo *te ex toto corde meo*. Adoro *&* laudo *te per ardorem charitatis & infinita merita dilectiſſimi* Filii tui, *Vna cum amore* Spiritus ſancti, *cum deſiderio & fervore* B. Virg. MARIÆ *& omnium* Electorum *tuorum*, Petoque *ut des mihi continuum tui amoris augmentum, omnes meas actiones prævenìendo & dirigendo ad Gloriam tuam.*

FINIS SECT. IV.



AMORI & DELICIO GENERIS HVMANI,

IESV CHRISTO,

Cujus deliciæ ſunt eſſe
Cum Filiis Hominum.

LIGNO VITÆ,

in medio PARADISI plantato;
Cujus fructus immortalitatem præſtat edentibus.

AGNO PASCHALI,
IMMACVLATO EVCHARISTICO;

Qui in perpetuam Exitus ab Ægypto comedendus eſt memoriam.

MANNÆ DE COELO VERO,

Quod omnem Saporis in ſe ſuavitatem continet.

PANI ANGELORVM,

Sed & CIBO VIATORVM,

Quem manducandum, peregrinantibus in hoc deſerto, quaſi prodigus ſui
DEVS dedit MORTALIBVS.

VITI VERÆ,

Quæ cœleſti ſucco Palmites in ſe manentes fœcundat & vegetat:
Quin & Vinum profert germinans Virgines: Ac lætificans cor hominis.

PELICANO MYSTICO,

Qui pectoris ſui cruore pullos nutrit ſuos.

SAMARITANO SOSPITALI,

Qui VINVM Charitatis, & OLEVM Miſericordiæ noſtris infundit vulneribus.

SACERDOTI IN ÆTERNVM SECVNDVM ORDINEM MELCHISEDECH;

Qui panem & vinum, immo Se ipſum obtulit.

PONTIFICI SVMMO,

SANCTO, INNOCENTI, IMPOLLVTO, SEGREGATO à PECCATORIBVS.

Qui neceſſe non habet pro ſuis, uti alienis peccatis offerre victimas.

PASTORI BONO,

Qui in loco pinguis PASCVÆ OVES ſuas poſuit;

Immo CARNE & SANGVINE ſuo paſcit.

Et quid majus dare potuit,
Qui nobis SEIPSVM dedit;
NASCENS in Socium;
CONVESCENS in Edulium;
MORIENS in Pretium; &
REGNANS daturus eſt in Præmium?

SECTIO

SECTIO V.

De modo pie Communicandi, celebrandi & audiendi Miſſam, una cum Orationibus & variis Exercitiis, ad uſum tam Sacerdotum, quam Laicorum accommodatis.

PRO FERIA QVINTA.

CAP. I.

Colloquium ſeu Meditatio de ſacra Communione recte & utiliter inſtituenda omni ſtatui ſerviens.

§. 1. *Excitatio, ſeu invitatio ad ſacram Communionem.*

CHRISTVS.

VEnite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Ego enim ſum paſtor bonus, qui poſui animam meam pro ovibus meis, & paſco eas pabulo vitæ longe dulciſſimo, id eſt, ipſo Corpore & Sanguine meo. Feci enim grande convivium, ut oſtenderem divitias & potentiam Regni mei. Venite ergo & comedite panem meum, & bibite vinum, quod miſcui vobis: delitiæ enim meæ ſunt eſſe cum filiis hominum. Conſortes gratiæ & gloriæ meæ, id eſt, omnium bonorum meorum, vos reddere cupio, omni jure & more veræ ac fidelis amicitiæ. Et ideo de cælo veni in hunc mundum, & *Homo Factus* ſum, tot labores, cruciatus, & mortem ipſam ſuſtinui, & deſiderio magno deſideravi hoc paſcha manducare cum Diſcipulis meis.

Vt vero perpetuum memoriale tanti amoris mei, & pignus futuræ gloriæ relinquerem vobis, meipſum dedi. Ecce, totum me dedi vobis: naſcens in ſocium, conveſcens in edulium, moriens in pretium, & tandem re-

gnans in præmium. Et quid potui majus, aut excellentius dare? aut quid potui amplius facere, quod non feci?

HOMO. Vere tu Domine ſuavis, & mitis, & multum miſericors. O quam admirabile eſt nomen tuum in univerſa terra! Sed quid eſt homo, quod memor es ejus? aut filius hominis, quia viſitas, & ita magnificas eum? Nonne pulvis, & cinis, & univerſa vanitas, omnis homo vivens? & dignum ducis, ſuper hujuſcemodi aperire oculos tuos? ingredi ad eum, & manſionem apud eum facere? Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi? Tu Domine dives es in omnes, & potens ſuper omnia, & tua ſunt omnia: ego vero egenus & pauper ſum; ſed & tu bonorum meorum non eges. Et quid, ſi dem tibi omnem ſubſtantiam meam, imo ſi meipſum dedero, quid dignum poterit eſſe tantis beneficiis tuis?

CHRISTVS. Immola Deo ſacrificium laudis, & redde Altiſſimo vota tua. Pergratum æterno Patri, & mihi placens ſacrificium eſt, oblatio ſeu perceptio Corporis, & Sanguinis mei. Hoc ergo frequenter, ſed & reverenter fac in mei commemorationem: Ad hoc enim hæc ſacra myſteria, in Eccleſia mea exſtare volui, ut amorem meum, & beneficium redemptionis tuæ, perenni memoria recoleres. Scio, te aliud mihi non poſſe rependere: ſed an gratum animum, & tanti beneficii memoriam reddere non potes? potes utique; nec convenientius, quam in hujus myſterii pio & frequenti uſu: Et ſi negligis, vide ne & tu cenſearis cum ingratis & indignis illis, & excludaris à cœna mea.

HOMO. Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam palam exhibuiſti timentibus te! qui, ut dulcedinem tuam in filios tuos demonſtrares, pane ſuaviſſimo de cœlo præſtito eſurientes reples bonis. Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, quibus me tam amanter invitas ad te! ſed heu, quis ego ſum, ut de menſa tua,

ò Rex

ô Rex magne ſuper omnes Reges, comedam panem omnibus diebus vitæ meæ?

§. 2. *Dignitas & excellentia Auguſtiſſimi Sacramenti.*

CHRISTVS. Hoc eſt quod te volo diligentius expendere: ne forte, ſi levius æſtimes beneficium, quod præſtiti fidelibus meis, tandem fias tepidus, & nauſeet anima tua ſuper cibo iſto tanquam leviſſimo; & ſic ego quoque incipiam te evomere ex ore meo. O quam felix es, mi Chriſtiane, ſi noveris bona tua, qui in loco tam pinguis paſcuæ collocatus es, & cui tanto beneficio, & convivio tam nobili frui conceſſum eſt! Sed tu imprimis beatus es, ô Sacerdos, quem ſingulari honoris privilegio elegi mihi de populo, ut ſtes coram me, velut Amicus & Conſiliarius meus intimus, in menſa mea, & cibum inde capias, quin & ceteris fidelibus meis diſpenſes. Tibi certe conceſſum eſt, quod Angelis negatum eſt (& quo merito tuo?) Dominum majeſtatis, officio prorſus admirando, tremendo, & vere divino, ore ſacro conficere, & quaſi è throno gloriæ ſuæ evocatum in altari præſentem ſiſtere, (obediente Deo voci hominis) eumque manibus contrectare, ac cæteris diſpenſare. Stupent ad hoc cœli, & Angeli myſterium attoniti venerantur; dum infra ſe vident, quem ſupra ſe ſemper adorant. Et homo, vel Sacerdos, hoc ipſum animo frigido, impuro, & diſtracto tractare audet? & qui toties paſcitur pane Angelorum, adhuc ſiliquas cum porcis deſiderat!

HOMO. Magna omnino dignitas hominis; major Sacerdotis. Sed & magnum procul dubio utriuſque debitum vivendi tantæ dignitati conformiter. Verum, heu, Domine, video prævaricantes, & tabeſco: & quam in multis ipſe deficio! Imperfectum meum vident oculi tui. video & ego aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege pec-

peccati, ut non quod volo bonum, faciam, ſed quod nolo malum.

§. 3. Vtilitas & neceſſitas dulciſſimi Sacramenti Euchariſtiæ.

CHRISTVS. Ecce ad hoc ego offero tibi gratiam, & opem meam, imo ipſum me gratiæ fontem, & omnis boni autorem, in hoc ſacramento largior. Scio, quia ſine me nihil potes facere, ſed ecce, ego ſum panis vivus, qui de cœlo deſcendi: Panis, inquam, cor hominis confirmans, quem ſi frequenter, & reverenter acciperes, brevi ſentires mutationem dexteræ Excelſi; tunc enim ſicut adipe, & pinguedine repleretur anima tua: fortis & potens fieret ad opera virtutum, & in fortitudine cibi illius ambulares per hoc mundi deſertum, uſque ad montem Dei. Quem vero hoſtem timeat, qui me adjutorem, & intime ſibi præſentem habet? confidenter hic dicet, cum Apoſtolo meo: *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* &, *Omnia poſſum in eo qui me confortat.* Aut cum Viro illo ſecundum cor meum, *Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.*

HOMO. Sit tibi, Domine, æterna laus & gloria, quia paraſti in conſpectu meo menſam adverſus eos qui tribulant me. Et utinam deinceps ex illa vires, & robur accipiam pugnandi contra hoſtes meos. Cur vero hactenus id minus factum eſt, & infirmata eſt in paupertate virtus mea? cur tam facile ceſſi tentationibus, & adverſis? an, quia faſtidivi menſam tuam, & oblitus ſum comedere panem meum, & hinc defecerunt vires meæ præ inopia? An quia minus digne & reverenter id ſæpius facere præſumpſi?

CHRISTVS. Dixiſti quod res eſt, mi homo, nam, ſicuti vita corporis cibo ſuſtentari debet, qui, quod calor naturalis abſumit, continuo reparet: ita plane vigor ſpiritus, ne æſtu concupiſcentiæ paulatim conſumatur, cibo frequenter reſtaurari debet. Quis ſit ille cibus quæ-

quæris? *Ecce Caro mea vere eſt cibus, & Sanguis meus vere eſt potus:* hic eſt panis quotidianus, panis, qui de cœlo deſcendit; quo ſi frequentius, & dignius ſe reficerent Fideles, & inprimis Sacerdotes mei, velut leones ignem ſpirantes, ab hac menſa recederent, hoſtibus, & ipſi Diabolo terribiles, (*ſic loquitur Chryſoſt. Homil. 61 ad pop. Ant.*) Nullum certe efficacius remedium adverſus tela nequiſſimi ignea, & tentationes, maxime carnis, cum qua vobis alioquin eſt quotidiana pugna, & rara victoria. Ejus enim cupiditates facile reſtinguet aqua, quæ hauritur in gaudio, de fontibus Salvatoris; meis inquam, quos in hoc Sacramento omnibus aperui, & vinum germinans virgines, quod hic propinatur: quia ego ſolus ſatio animam inanem, & eſurientem bonis, & delitiis nunquam perituris; ego præbeo illi panem omne delectamentum in ſe habentem. Et quid non boni eveniet illi, ad quem ego fons & auctor omnis boni venire dignabor? Venite ergo & comedite panem meum, & bibite vinum, quod miſcui vobis, & inebriamini chariſſimi.

§. 4. *Frequentia, qua ad SS. Myſteria accedendum.*

HOMO. Sed video Domine, quia pleriſque durus eſt ſermo tuus, & non omnes capiunt eum; nam ut eos prætercam qui ambulant in tenebris, nec credunt verbo veritatis, dicentes: *Quomodo hic poteſt nobis carnem ſuam dare ad manducandum?* videmus alios paſſim multos facile cedere argumentis, quibus ſuaderi videtur rara communio.

CHRISTVS. Ego novi, quam proni ſint ſenſus hominum ad mala; quam levibus, & frivolis ex cauſſis ſe retrahi, & impediri ſinant à cultu & ſervitio meo, quia alias ſtudioſe nimis omnem captant occaſionem ſerviendi mundo, carni, & voluptatibus. O quam facile credunt Dæmoni ſuadenti voluptatem, invitanti ad eſum pomi vetiti, & divinitatem mendaciter pollicenti! Et mihi, qui

qui carnem meam in cibum offero, & ad manducandum tam amice hortor & invito, quin & manducantes divinæ conſortes naturæ, nec non immortales fore ſpondeo, credere & parere recuſant! mihi, qui ſum ipſa Via, Veritas & Vita.

Sed ecce fraudem Pharaonis etiam nunc agnoſce, qui invidens honori meo, non vult dimittere populum meum; ut ſacrificet mihi in deſerto,ſed in medio Ægypti eum occupat operibus luti, laterum & palearum, (quid enim aliud ſunt terrena hæc, argentum & aurum, opes, honores, & curæ hujus ſæculi?) ut non vacet ad ſerviendum mihi: & tamen, quam ſunt homines alacres & indefeſſi ad labores, ex quibus non manducant, niſi panem doloris! qui multo minori labore poterant comedere panem habentem in ſe omne delectamentum, & omnem ſaporis ſuavitatem.

Non ſic olim fideles mei, non ſic, ſed ambulabant in ſimplicitate cordis ſui; amore & zelo pleni, perſeverantes erant in communicatione fractionis panis, & orationibus. Ita nimirum quotidiano hujus cibi uſu crevit & adolevit primitiva Eccleſia mea, ut præ illius deſiderio facile contemnerent omnia, nec ullis minis, tormentis aut blandimentis ſeduci ſeſe ſinerent.

Recole, ô Chriſtiane, ſed tu inprimis ô Clerice, iſta primordia naſcentis Eccleſiæ, quando credentium erat cor unum & anima una: admirare zelum & amorem. Ecce, quo major in illis erat contemptus rerum terrenarum, eo major erat cura cultus & honoris mei. Sed ubi nunc ille zelus? illa inebriatio Spiritus, pax & gaudium in ſpiritu ſancto? heu, quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus!

Filii hominum, uſquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium? quare lignum vitæ relinquitis?quare deſeritis fontem aquæ vivæ,& quæritis vobis ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas?

aquas? Sane ſi ſciretis donum Dei, & quis eſt, qui vos invitat, & qui ſeipſum vobis offert in cibum, magna alacritate curreretis; nec opus eſſet vos ad hanc cœnam magnam, & ad has nuptias compellere. Verum abſcondita ſunt hæc modo à ſapientibus & prudentibus hujus ſæculi, qui non ſapiunt ea, quæ Dei ſunt. At vero norunt pauci pauperes ſpiritu, qui majores in uno hoc cæleſti ferculo delitias, quam in omnibus mundi gaudiis inveniunt.

HOMO. Erubeſco Domine, & in memetipſo confundor, quoties hæc audio & cogito: dum mores primorum fidelium & noſtros aſpicio; heu quanta diſparitas! ſed ne deſpicias nos Deus ſalutaris noſter; fac nos, quales habere deſideras; torpentes excita, cæcos illumina, claudos erige; tardos compelle intrare, ut impleatur menſa tua. Doce me facere voluntatem tuam, quia ſervus tuus ſum, ut voluntarie ſacrificem tibi, & confitear nomini tuo Domine: ut quemadmodum cervus ad fontes aquarum, ita deſideret ad te anima mea: ut concupiſcat & deficiat anima mea in atria tua, Domine. Quidni enim ultro veniam & accurram, ut hauriam de fontibus Salvatoris? cur non libens introibo ad Altare Dei, ad Deum qui lætificat juventutem meam?

§. 5. *Impedimenta frequentis Communionis.*

CHRISTVS. Conſtanter itaque omnia obſtacula, quibus alios paſſim retineri vides, tu zeli & amoris gladio perfringe. Sed inprimis pone modum negotiis, & curis hujus ſæculi, quibus velut ſpinis mens humana pungitur, & cave ne in multis ſint actus tui. Quorſum enim cor tam miſere & multipliciter diſtrahere, cujus unione longe felicius vivitur? Quid turbaris erga plurima, & VNVM ſuper omnia tibi neceſſarium, idemque mihi gratiſſimum, id eſt, curam animæ negligis? nonne anima plus quam corpus? & quid proderit, lucrari omnia,

& ani-

& animam perdere? mihi quidem nihil ingratius aut moleſtius, quam has audire voces: Villam emi, & juga boum; uxorem duxi, & ideo non poſſum venire. Nonne has & ſimiles olim ego tam ſevere & manifeſte damnavi? tu vide an æquum ſit, rebus tam inanibus me poſtponi.

HOMO. Fateor Domine, nimis indignum eſt, ob res inanes & caducas derelinquere te, & menſam tuam, quam tu in tanta charitate, tot delitiis, tot divitiis, non tibi ipſi, non Angelis, ſed nobis hominibus præparaſti. Verum tu ipſe noſti, inter tot negotia, tum privata, tum publica; in tot curis & neceſſitatibus hujus vitæ, quam difficile homini ſit, mentem habere collectam, & ſufficienter diſpoſitam, ad rite participandum tantis myſteriis.

CHRISTUS. Quin tu tanto magis feſtina ad me, cujus conſilio & providentia geruntur omnia: quo enim negotia ſunt magis ardua, quo majori prudentia indigent: tanto, inquam, magis recurre ad tabernaculum, & conſule Dominum: habes ibi fontem ſapientiæ, magni conſilii Angelum. Si itaque indiges ſapientia, pete à me, & dabitur tibi. O ſi ſcires, quam multi texant telas araneæ, & in vanum laborent! quam multis multa cedant infeliciter, quia os Domini non interrogant! Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere, pergere ad labores, & negotia; niſi ego ſol juſtitiæ conatibus veſtris præluxero.

HOMO. Vere Domine, cogitationes mortalium timidæ, & incertæ omnes providentiæ noſtræ. Tu itaque mihi deinceps lux & dux eris, & conſilium meum juſtificationes tuæ. ideoque ſæpius cum Moyſe recurram ad tabernaculum, ut conſulam Dominum.

§. 6. *An ſacra Communione abſtinendum ob judicia & ſermones hominum.*

CHRISTUS. Sed & plurimi ſunt, qui ob metum & judicia hominum, rarius accumbunt menſæ meæ. Tu vero,

vero, qui ſolum judicem ſupremum timendum eſſe noſti, ut qui habet poteſtatem mittere in gehennam, tu qui mihi placere vis,cur potius ex ore vulgi, quam meo pendes? Nonne omnis homo mendax? ego ſum ipſa veritas? Mihi ergo placere & parere ante omnia ſtude, & noli conformari huic ſæculo nequam.Si vero hominibus placere deſideras, meus ſervus eſſe non poteris.

Cæterum ſi pie vivens, & mihi ſerviens perſecutionem & calumniam pateris; gaudere te magis convenit quam dolere, quod dignus habearis, pro nomine meo contumeliam pati; hoc enim vere Chriſtianum eſt: interim vero te conſcientia bonæ voluntatis ſolare: veniet dies, cum ego Iudex ſupremus manifeſtabo omnia conſilia cordium, & arguam judices cogitationum iniquarum tunc ipſi quidem turbabuntur timore horribili, tu vero ſtabis in magna conſtantia, ſi nunc in patientia ſteteris: vincenti enim dabo manna abſconditum, & nomen novum.

HOMO. Fac, Domine, ut mihi pro minimo ſit, ut ab homine judicer aut ab humano die. Quia dies ille magnus revelabit omnia. Vni tibi placere appetam, & diſplicere timeam.

Sed nunquid placebit tibi, ſi conſcius indignitatis meæ, & majeſtatis tuæ, nec non reverentiæ tantis myſteriis debitæ, nihilominus præſumpſero toties venire ad te? Nonne vereri debeo, ne familiaritas contemptum pariat? ita enim multi cenſent; & ego ipſe ſanctius forſan & reverentius, & majori guſtu fructuque faciam, quod rarius fecero.

§. 7. *An titulo Humilitatis, & Reverentiæ abſtinendum à frequenti Communione.*

CHRISTVS. Obſecro vos, ô fideles mei,ſed in hoc non ſatis fideles, ne ultra dicatis malum bonum; & ſocordiam ac tepiditatem veſtram virtutis ſpecie induatis,

tis, fallentes voſmetipſos; nam oculos meos lucidiores ſole fallere difficile erit. Vosne raritas, & mora temporis, aut dilatio diſponit, ut digniores fiatis menſa mea? Ecce ego novi, quid ſit in homine, qui novi omnia abscondita cordis. Sed quam præparati veniatis ad me, poſt moram ſatis longam, teſtis eſt mihi conſcientia veſtra, quam ego intime pervideo: arguam vos & ſtatuam contra faciem meam; quia impia hæc pietas eſt; & irreligioſa reverentia, quæ pietatis titulum prætexit pigritiæ, & ſpecie reverentiæ, religionis zelum fingere novit. Sed mentita eſt iniquitas ſibi. Siccine ſaluti propinquior fit æger, quo diutius medicum fugit? illene magis incaleſcit, qui longius ab igne receſſerit? Ego vero ſum medicus, qui portavi languores veſtros; ego ſum qui veni ignem in terram mittere, & quid volo niſi ut ardeat, & corda veſtra ſuccendat?

Sed apertius loquar tecum, mi homo, ut agnoſcas, quam graviter hic cum multis erres. Sacramentum Corporis & Sanguinis mei confert gratiam, niſi ſuſcipiens aliunde ponat obicem, hoc utique fateris; nonne ergo quo frequentius ſumis, eo plus gratiæ percipis? creſcente autem gratia, ſimul creſcit fides, ſpes, charitas, devotio, reverentia, puritas, cæteræque virtutes, quæ intellectum illuminant, affectum excitant, cor purificant, *&c.* & nonne hic eſt ornatus, hæc veſtis illa nuptialis, quam præcipue requiro à te, ut digne venias ad menſam meam?

Vides ergo, quomodo una communio diſponat ad aliam; adeoque ad craſtinam optime diſpoſitus veniat, qui hodiernæ effectus ſeu fructus ſecum attulerit. Nec eſt cur hinc contemptum timeas. Inter homines quidem ex familiari converſatione facile contemptus naſcitur; quia ex frequenti convictu, defectus, imperfectiones, & vitia cujuſque magis innoteſcunt; at quanto ſæpius & familiarius mihi jungeris, tanto plures & majores

in

in me perfectiones invenies, ac proinde majore me honore ac reverentia proſequeris.

Verum apertius eſt hoc, quam ut probari neceſſe ſit, quamvis contrarium ſuadeat pater mendacii, & multis perſuadeat, qui modicum de gloria mea, de ſalute ſua parum ſolliciti, ambulant in deſideriis cordis ſui. Hinc, quia ſciunt, arctiorem ſui cuſtodiam, & continuum timorem, comites eſſe debere frequentis communionis, ipſi qui oderunt diſciplinam, malunt frequentem communionem, quam pravam conſuetudinem intermittere, ut quaſi ſine freno liberius abeant poſt concupiſcentias ſuas: Nam & genus libertatis æſtimant, à communione & ſacrificio vacare, cum tamen mihi ſervire regnare ſit. Quod ſi forte ſolemni feſto, aut officii debito exigente communicent, aut ſacrificent; tantiſper pietatem colunt, donec munere ſuo perfuncti ſint; mox ad ingenium & priſtinos mores, velut canis ad vomitum, & ſus ad volutabrum reverſuri. Audite cœli & auribus percipe terra, vos enim querelæ meæ teſtes advoco, quando me non audiunt homines, quibus intellectum dedi. *Filios enutrivi & exaltavi, ipſi autem ſpreverunt me. Cognovit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui: Iſraël autem me non cognovit, & populus meus non intellexit.* Quam male, inquam, mihi vicem referunt homines, quos ego creavi & redemi, ut ſervirent mihi! quibus ego tot terræ bona nutriendo corpori; animæ vero Corpus & Sanguinem meum dedi. Nimirum ſimiles facti jumentis inſipientibus, aut potius ſtupidiores illis, non agnoſcunt benefactorem ſuum. Illa enim quantumvis rudia, dominos tamen ſuos agnoſcunt parent illis & famulantur ad nutum, ad quorum præſepia modico tantum fœno paſcuntur. Hi autem, quibus menſa mea & cæleſti epulo quotidie frui datum eſt, heu, ingrati, non reſpiciunt benefactorem ſuum.

§. 8. *Querimonia Chriſti adverſus ſacerdotes tepidos, & negligentes.*

Sed ad vos inprimis, ô ſacerdotes, qui deſpicitis nomen meum, ſpectat hæc querela mea. Nonne ego elegi vos in miniſtros meos, & diſpenſatores myſteriorum Dei; dans vobis poteſtatem, qualem neque Regibus & Principibus terræ, imo nec Angelis ipſis dedi? Sed quotuſquiſque in vobis hic ſerio recogitat corde? Quis incendit Altare meum gratuito? Quis voluntarie ſacrificat mihi? Nonne ſicut populus, ſic ſacerdos; omnes quæ ſua ſunt, quærunt? Vnuſquiſque feſtinat in domum ſuam, Domus autem mea deſerta eſt.

Iam vile paſſim eſt, & vulgarium ſacerdotum munus, frequentius agere ſacerdotem, quotidie aſſiſtere ſacris Altaribus, & offerre Deo Sacrificium: nimirum qui de Altari vivere debent. At quos ego exaltavi, & lautius enutrivi, ipſi ſpreverunt me; Nam incraſſati, impinguati, dilatati, derelinquunt Deum factorem ſuum: & qui edunt panes meos, viventes ſplendide de patrimonio meo, ipſi magnificant ſuper me ſupplantationem. Siccine honori ſibi ducunt Proceres Aulæ regiæ, ſi plebs ruſtica indies accumbat ad menſam Regis, & ipſi interim circa rus, & pecora, & viliora miniſteria occupentur?

Nonne quibus plus datum eſt, plus requiretur ab eis? Nam Laicos quidem ſeculi curæ, educatio prolium, mercimonia, & vitæ hujus negotia facilius excuſabunt; vos autem, qui ſegregati eſtis mihi in opus ad quos adſumpſi vos, ut militetis mihi, ideoque non implicemini negotiis ſecularibus; quam excuſationem habebitis? Cætera omnia vobis aliena ſunt; hoc unum maxime proprium; ſervire Deo. Ego enim elegi vos ex omni populo, ut ſtetis coram me, & miniſtretis mihi, colatiſque me, & adoleatis mihi incenſum; deinde ut ſitis quaſi legati & mediatores apud Deum pro delictis populi.

Itaque

Itaque ad vos præcipue pertinet, frequenter fungi ſacerdotio, & habere laudem in nomine ipſius, ut qui præ cæteris Deo cultum & honorem, proximis opem, defunctis ſolamen, peccatoribus ſubſidium, vobis ipſis ſingularem curam debetis; omnes vero ſimul fraudatis, quoties non legitime impediti, hæc ſacra myſteria negligitis. Et levis iſta vobis injuria videtur, quod tam ampla & magnifica poteſtas, vobis à me gratuito collata, culpa negligentiæ veſtræ otioſa & infructuoſa maneat, & gratiam Dei in vacuum recipiatis?

O quantum boni façere, quantum mali avertere Sacerdotes poſſunt, qui officio ſuo legitime funguntur! Sed quomodo poteritis ſubſiſtere in judicio meo, cum ponam rationem cum ſervis meis, & talenta vobis data, cum uſuris repetam?

Ecce deſolatione deſolata eſt terra, quia non eſt qui recogitet corde. Manum ſuam miſit hoſtis ad omnia deſiderabilia ejus. Vndique venerunt vaſtatores, & conculcaverunt partem meam; & facti ſunt greges mei in rapinam, & oves meæ in devorationem. Vos vero, ô Sacerdotes, non aſcenditis ex adverſo, neque opponitis murum pro domo Iſraël, ut ſtetis in prœlio in die Domini, ſed comeditis agnos de grege, & vitulos de medio armenti, bibentes vinum in phialis aureis, optimo unguento delibuti: nec eſt, qui patiatur ſuper contritione Ioſeph.

An forte remedia tot malis à ſolis militum copiis & armis exſpectatis? Fruſtra confiditis in principibus, in filiis hominum, in quibus non eſt ſalus. Fallimini, ſi putatis in robore exercitus bella conſiſtere. Longe potentior belli nervus, pietas eſt, quia ad omnia utilis eſt. Sed hæc quam rara in viris, qui caſtra ſequuntur? ubi luxus, libido, rapacitas, blaſphemiæ, & quæ vitia non dominantur? Et quid mirum, ſi per hujuſmodi homines infeliciter cauſſa, pacis, patriæ, & religionis agitur? Dei eſt

adjuvare, & in fugam convertere; veſtrum vero eſt, ô Sacerdotes, ſtare inter vivos & mortuos, donec ceſſet quaſſatio. Veſtrum, levare puras manus ad Deum cum Moyſe; Sic utique facilius vinceret Ioſue, & Amalecitas deleret. Veſtrum, inquam, eſt ſtare inter veſtibulum & altare, & dicere: Parce Domine, parce populo tuo; veſtrum eſt offerre Patri meo ſanguinem meum, ut hoc ſacrificio placatus avertat flagella iracundiæ ſuæ, nec permittat effundi ſanguinem innoxium, aut ſinat eos fieri in opprobrium, qui pretio tam caro redempti ſunt.

Hæc ſunt arma militiæ veſtræ, quibus pacem & ſalutem Reipublicæ Chriſtianæ recuperare, & propugnare debetis. Quis ſapiens inter vos, & cuſtodiet hæc, ut in diebus ſuis placeat Deo; & in tempore iracundiæ fiat reconciliatio?

Scrutamini Scripturas, & omnes hiſtorias evolvite, invenietis, quia virgam iræ & ultionis meæ non immiſi niſi peccatis provocatus; nec retraxi, niſi Sacerdotes pio zelo exurgerent, & placarent indignationem meam. Vnde & negligentia ſeu depravatio cultus & ſacrificii mihi debiti, indicium fere ſemper fuit imminentis magnæ vaſtitatis & deſolationis. Nimirum privantur ingrati beneficio, qui neſciunt Dominum; nec intelligunt dignitatem & officium Sacerdotii. Fitque hoc juſto meo judicio, ut tollatur ab indignis regnum, & detur genti facienti fructus ejus, & qui contemnunt me, fiant ignobiles.

HOMO. Heu Domine: Quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus! Venerunt gentes, impii, alieni, latrones in hæreditatem tuam. polluerunt templa & ſanctuaria tua. circumdederunt nos mala quorum non eſt numerus. Nos vero, quid dicemus ad hæc? Non eſt malum in civitate, quod Dominus non fecerit. Viſitas enim in virga iniquitates noſtras, & in verberibus peccata noſtra.

CHRI-

CHRISTVS. Ego cum accepero tempus, juſtitias judicabo. Ego ipſe ſuper paſtores requiram oves meas: & viſitabo eas.

HOMO. Iuſtus es Domine, & rectum judicium tuum. Sed parce peccatis noſtris. intuere & reſpice opprobrium noſtrum: nec in æternum iraſcaris nobis. Sacerdotes tui induantur juſtitia, & ſancti ſint, quia tu ſanctus es, ut honorificent miniſterium ſuum, & ſacrificent ſacrificium juſtitiæ; quia victimæ impiorum abominabiles.

§. 9. *Reverentia ſeu præparatio per affectum* Timoris, *quo accedendum ad ſacra Myſteria.*

CHRISTVS. Dum ergo frequentiam ſacræ menſæ ſuadeo, nolo immemor ſis reverentiæ, qua huc veniendum. In Zachæo amor, & alacritas mihi vehementer placuit, ſed non minus in Centurione timor, & reverentia. Ille me gaudens ſuſcepit in domum ſuam, hic vero conſcius propriæ infirmitatis, non audebat recipere me ſub tectum ſuum. Optimum vero eſt utrumque affectum jungere, & duobus quaſi pedibus TIMORE & AMORE ad hanc menſam venire.

Porro timorem quidem excitabit in te Fides: nam ſi credas firma fide, me Deum, ac Dominum, qui cœlum & terram majeſtate repleo, quem Angeli trementes adorant, in hoc Sacramento vere & realiter præſentem eſſe, quomodo non tremebundus accedes? Plane quidquid hic peccatur, dixeris defectu fidei fieri. Impurus, aut peccato ſordidus nemo veniet, ſi me omnis puritatis auctorem, & omnis impuritatis ultorem hic præſentem eſſe credat.

Ecce quam manifeſte ille ſecretorum meorum conſcius, & fidus interpres voluntatis meæ, Paulus electus meus idipſum moneat. *Probet*, inquit, *ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat; & de calice bibat; qui enim manducat & bibit*

indigne, judicium ſibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini. Quid clarius?

HOMO. Terret me hoc fulmen verborum, & quis illa ſine horrore legat, audiat, vel cogitet? quis ad tremenda Sacramenta Corporis & Sanguinis tui venire audeat? Etiam cœli coram te non ſunt mundi; quanto magis homo putredo & vermis? Dicam ergo potius cum alio Apoſtolo tuo: *Exi à me Domine, quia homo peccator ſum:* ne forte reus fiam Corporis & Sanguinis tui, ſi temere appropinquem tibi.

CHRISTUS. Verbis quidem acrioribus & formidine plenis, ſed veriſſimis utitur Apoſtolus meus ad cautelam veſtram, ne panis vitæ cuiquam culpa ſua mortis venenum fiat. Et tamen, quam pauci, qui verba Apoſtoli, etſi graviſſima, pro dignitate ponderent? Raritatis argumentum eſt, acceſſus multorum ad tremenda hæc myſteria tam facilis & temerarius. Ecce quam leviter & imparati huc multi veniunt; quaſi nullum hujus cibi tam nobilis, ab aliis vulgaribus diſcrimen noverint, & quaſi nihil levius putent, quam me ſuſcipere, aut potius, quaſi neminem minus, quam me hic præſentem credant.

Sed heu, quam juſta mihi etiam hic eſt querimonia adverſus vos, ô Sacerdotes & Chriſtiani mei: vos, inquam, qui ſic inhonoratis me, & tam irreverenter tractatis ac recipitis Sacramenta Corporis & Sanguinis mei! Vos qui juxta idolon Dagon ſtatuere audetis Arcam Domini, id eſt, ad ſacroſanctum corpus meum non timetis accedere corpore & corde tot peccatis ſordido. Quæ conventio lucis & tenebrarum? quæ ſocietas Chriſti & Belial? Concidat idolon avaritiæ, gulæ, libidinis, vanitatis, *&c.* aliàs Arca exitium magis quam ſalutem tibi adferet. Quid vobis, ô ſtulti Philiſtæi, (impii Chriſtiani) cum Arca Domini? non eſt mihi voluntas in vobis, & munus non ſuſcipiam de manu veſtra. Quo mihi multitudinem victimarum veſtrarum? plenus ſum,

ne

ne offeratis ultra ſacrificium fruſtra, incenſum abominatio eſt mihi, manus enim veſtræ iniquitate plenæ ſunt. Olim quidem Sacerdotibus dictum eſt: *Sacerdotes ſancti erunt Deo ſuo, & non polluent nomen ejus, incenſum enim Domini, & panem Dei ſui offerunt, & ideo ſancti erunt.* Et iterum: *Sacerdotes qui accedunt ad Dominum, ſanctificentur, ne percutiat eos*, &c. Quin & cæteris de populo acceſſuris ad ſacrificia, vide, quam ſevere ſanctitas ac munditia præcepta ſit. Homo habens maculam, aut aliud vitium corporis, ab offerendis panibus & ſacrificio repellitur. Sancti eſſe jubentur, qui non niſi figuram & umbram gerebant: quid vos, qui tractatis rem ipſam & veritatem, & ipſum Sanctum Sanctorum? Quæ proportio finiti ad infinitum? aut quæ comparatio panum, boum & ovium ad ipſum Dei Filium? an non æquum, ut pro diſtantia dignitatis, ſit quoque diſcrimen ſanctitatis?

Iam vero ipſa vera ſacramenta Corporis & Sanguinis mei quoties corde, ore, manibuſque impuris polluuntur, & tamen ſecure vivitis, quaſi gens, quæ juſtitiam fecerit. An, quia non profertur cito contra malos ſententia, ideo ſine timore filii hominum perpetrant mala? Nunquid tam graviter peccarunt filii Aaron indigne ſanctuarium ingreſſi, & alienum ignem offerentes? aut Bethſamitæ Arcam curioſius intuiti; quorum pluſquam quinquaginta millia ob irreverentem Arcæ conſpectum ſubito deleta ſunt? Num ita graviter peccavit Oza religioſo, ut ipſi quidem videbatur, officio Arcam ſuſtinens? an gravius peccavit Balthaſar, indignis manibus ſacra vaſa contrectans? Et hos tamen, alioſque plures, aut ignis conſumpſit; aut terra vivos abſorbuit; aut alia gravis vindicta corripuit: adeo ſevere ſemper omnis irreverentia, & impietas erga ſacrificium, & res mihi dicatas olim caſtigata eſt.

O felices vos, ſi lavetis manus veſtras in ſanguine peccatorum, & aliorum mala vobis ſint in cautelam; ut

deinceps ſacrificetis mihi ſacrificium juſtitiæ de corde puro & conſcientia bona. Victimæ enim impiorum abominabiles ſunt coram me, & gravius peccant offerentes indigne me regnantem in cœlis, quam qui me crucifixerunt ambulantem in terris. Hi enim, ſi me cognoviſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent. Illi vero cum Deum me eſſe, & vero in hoc Sacramento præſentem fateantur, adeo tamen indigne me tractare non verentur.

HOMO. Iuſtus es Domine, ſi diſputem tecum, & omnes viæ tuæ, veritas; nec eſt homo ſuper terram, qui poſſit arguere te, & dicere, Cur ita facis? ſola voluntas tua juſtiſſima facti regula eſt. Veruntamen loquar ad Dominum, cum ſim pulvis & cinis. Hortaris nos Domine, ut frequenter veniamus ad Sacramenta tua; ſed viciſſim per hujuſmodi exempla ſeveritatis tuæ quem non absterreas? An non ego merito metuere debeo, ne cum Oza & Bethſamitis peream ad contactum & conſpectum Arcæ ſanctiſſimi corporis tui? Ne veſte nuptiali carens ejiciar à cœna tua? Non eſt enim homo qui vivat & non peccet. In multis offendimus omnes; & quis præſumat venire ad te? deſidero ego quidem; ſed, ſi iniquitates obſervaveris, Domine, quis ſuſtinebit? Domine ante te omne deſiderium meum, & gemitus meus à te non eſt abſconditus.

CHRISTVS. Verba mea non puſillanimem te reddant, ſed humilem: Sacrificium mihi gratum ſpiritus contribulatus: Si illud præmiſeris, ſacrificium Corporis & Sanguinis mei ſecurus offerre poteris. Cor contritum & humiliatum ego non deſpiciam. Etiam cum peccatoribus manducare & converſari volupe mihi fuit: non enim eſt opus bene valentibus medico, ſed male habentibus.

Itaque ut digne accedas ad menſam meam, primum purga conſcientiam ſincera confeſſione, & vera contritione

tione ab omni peccato mortali, & peccandi affectu. Vt vero adhuc dignior, mihique gratior venias, & majorem gratiam percipias, veniales etiam culpas, & omnes pravos animi affectus, & quidquid oculis meis diſplicere noſti, exuere ſatage; omnino quo purior ad me venies, eo majorem gratiam recipies.

Attende, quid fecerim in ultima cœna mea, hoc Sacramentum inſtituens: Priuſquam enim Diſcipulos meos ad ſacram Cœnam admitterem, pedes eorum ablui, ut hac ceremonia, myſterii plena, mentis munditiam oſtenderem, iis neceſſariam, qui digne ad Sacramenta mea venire cuperent. Nam qui lotus eſt, ſeu mundus à peccatis gravioribus, non indiget, niſi ut pedes lavet, id eſt, ut affectus animi purgatos habeat. Sicut enim, qui per terram ambulat, quamvis incedat caute, vix tamen cavet, quin cœno & pulvere pedes maculet; ita difficile vobis eſt in terris vivere, & non infici aliquando terrenis. Vnde ſicut affectus animi ſæpe ex terrenarum rerum uſu inquinantur, ſic ſæpe lavandi ſunt; ſed tunc maxime, cum ad me ipſum puritatis fontem, accedere vultis.

Interim quotidiani defectus, quos ego ſæpe permitto ad exercitium virtutis & humilitatis cuſtodiam, (modo deſit affectus, & adſit vincendi conatus) non debent vos abſterrere. Novi ego compati infirmitatibus veſtris, & gratius mihi eſt, vos ad me amore duci, quam timore retrahi: quia Lex mea potius amoris, quam terroris eſt.

HOMO. Benedictus ſis Domine, qui pro humanitate tua tam benigne & amanter inſtruis me. Tanto itaque alacrius & ſecurius deinceps veniam ad te, ſi modo, quantum in me eſt, nihil, te propitio, mihi conſcius ſim ſuper peccato mortali, aut peccandi propoſito, (*Verba ſunt Gerſonis*) peccatis autem venialibus, quæ non omnino impediunt, expiandis, multa & facilia media te largiente

giente ſuppetunt. Hoc unum ſcio, quia apud Dominum miſericordia, & copioſa apud eum redemptio.

§. 10. *Præparatio propinquior ad ſacram Communionem per affectum Amoris.*

CHRISTVS. Poſito jam pede Timoris, quæ eſt præparatio quaſi remota; accede jam propius altero & quaſi dextero Amoris pede. Imprimis ſit diligens cura rectæ & piæ Intentionis, ut non ex more, aut alio fine pejore, ſed amore mei, & ſalutis propriæ, *&c.* cum fame & deſiderio cœleſtem cibum capias. Cibus ille palato ſuavior; & alendo corpori utilior eſt, qui cum fame & appetitu ſumitur: inſuavis & noxius, qui faſtidienti ſtomacho ingeritur: ita prorſus ego animas inanes & & eſurientes bonis impleo, & faſtidioſos divites dimitto inanes.

HOMO. Heu nos miſeri, cur non urget nos amor tui? non ſtimulat fames, & nuditas? non incitant vulnera & pericula noſtra?

CHRISTVS. Guſtate & videte, quam ſuavis ſim ego, quam potens, bonus, liberalis, miſericors. Vide quoque quia tu es miſer, & miſerabilis, & pauper, & nudus: in me autem ſperant oculi omnium, & ego do illis eſcam in tempore opportuno. Sed hæc conſiderare, paucis curæ eſt, & ideo nauſeat anima eorum ſuper cibo iſto tanquam leviſſimo; adeoque quibus frui licet delitiis menſæ meæ, adhuc ſuſpirant ad ollas Ægypti; & qui paſci poterant pane filiorum, magis inhiant ſiliquis porcorum.

Tu vero, cum ſederis mecum, ut comedas, diligenter attende, quæ poſita ſunt ante faciem tuam: nempe, quis ſit, & quam pretioſus cibus iſte, qui tibi ſumendus proponitur. Videntes olim Filii Iſraël manna de cœlo, dicebant admirabundi: *Man hu, quid eſt hoc?* Quanto magis tu, Chriſtiane, qui non manna Angelicis manibus formato,

mato, ſed corpore meo, ſancti Spiritus opera concepto paſceris? nonne potius hujus cibi excellentiam cogitans, admiraberis, idque non frigide & ruditer, ſed ut in meditatione tua exardeſcat ignis? Noſti, quomodo olim Agnus Paſchalis (figura Sacramenti hujus) ſumi debebat? nihil ex illo crudum, aut coctum aqua, ſed aſſum tantum igni comedendum erat: ſic quoque igne amoris præparari hic cibus debet, ut magis ſapiat & proſit.

Aptiſſima huc erit meditatio vitæ & paſſionis meæ, in qua quidem ita exarſit amor meus, ut aquæ multæ non potuerint extinguere eum. Monumentum vero tanti amoris, hoc Sacramentum inſtitui. Si amare piguit, pudeat non redamare. In his & ſimilibus exercitiis, & piis affectibus plenius te docebit & diriget unctio Spiritus.

Neque enim grave & moleſtum tibi videbitur, modicum temporis exercitio tam pio & utili, ante uſum tanti myſterii impendere; ſi cogites, quot ritibus & ceremoniis, quanto apparatu Sacrificia veteris legis peragi debuerint. Lege Numeros, Leviticum, *&c.* admirare, & ſic tecum ratiocinare: Si hoc in umbra & figura, quid in re ipſa & veritate?

Quid vero magis indignum, aut mihi moleſtum eſſe poſſit, quam ſi videam, nihil paſſim minore cura, & ſollicitudine fieri, quam cultum & ſacrificium meum, quo tamen nihil in terris ſublimius, nihil excellentius? Feſtinat quiſque in domum ſuam, at domus mea deſerta eſt, properatur ad negotia, ad colloquia, & hoſpitis, imo Regis Regum, qui de cœlo venit ad te, non ut reficiatur à te, ſed ut reficiat te, exigua cura eſt. Siccine tu ipſe invitatus ab amico tuo excipi te velles, tam inurbane tractari, tam inofficioſe dimitti?

Regiæ illæ puellæ (*Eſther* 2.) anno integro excoli debebant, ut tandem prodituræ coram rege Aſſuero, gratiam invenirent in oculis ejus: & Sacerdoti, aut cuivis fideli

meo

meo moleſtum erit, horulam, aut vel quartam horæ partem impendere, ut debite ornatus & præparatus adſiſtat Regi Regum, & gratiam inveniat in oculis ejus?

HOMO. Heu, cæcitas & duritia cordis humani, tam ineffabile donum non attendere, non magis revereri! omnia alia ſollicite nimis & accurate peragi, ad ſacram vero Domini menſam tam obiter & perfunctorie nos præparari? Ecce Domine confiteor tibi adverſum me iniquitatem meam; ſed & imperfectum meum vident oculi tui; hujuſmodi ego loquor tecum mi Domine, & te viciſſim talia loquentem audio: (& nonne ignitum eloquium tuum vehementer?) & tamen languet & friget cor meum; & anima mea velut terra ſine aqua tibi: ignem gero in ſinu meo, & cur non ardet cor meum? Fons aquæ vivæ ante oculos meos eſt, & cur non deſiderat anima mea ad te, ſicut cervus deſiderat ad fontes aquarum?

CHRISTVS. O fideles animæ, quas ego in perpetua charitate dilexi, & pretio tam magno redemi, quas pabulo tam pretioſo hactenus pavi, & deinceps paratus ſum paſcere; Vos, ô amici & convivæ mei, attendite vobis; nec ibi ſitis incurii, ubi cauſſa tam gravis & ardua, & plena periculis agitur; ubi, inquam, ſors tam inæqualis, vitæ vel interitus, nimirum pro cujuſque diſpoſitione & meritis obtingit. Ecce fontem, imo mare gratiarum habetis, ex quo tanto plus quiſque hauriet, quo vas capacius attulerit. Dilata, ô homo, os tuum & implebo illud, ſinum animæ tuæ charitatis, devotionis, ac perfectionis deſiderio amplia, ego qui ſolus deſiderium cordis ſatio, te replebo donis gratiæ meæ, ut tu in me, & ego in te maneam: me autem habens, quid erit, quod ultra deſideres? mea enim, & mecum ſunt omnia.

HOMO. Mane mecum Domine, & pone te ſicut ſignaculum ſuper cor meum. Trahe me poſt te, ut curram in odore unguentorum tuorum. Accende in me ignem

quem

quem veniſti mittere in terram. Vtinam diligam te Domine, firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus, utinam ardentiſſimo Angelorum & omnium Electorum amore complectar te, ut me nihil ſeparare poſſit à te, tu enim es ſors mea, & pars mea, Deus in æternum, cui adhærere, mihi bonum eſt. Quid enim mihi eſt in cælo, & à te quid volui ſuper terram?

CAP. II.

LITANIÆ EVCHARISTICÆ,

tum Sacrificantibus, tum Communicantibus utiles,

Ex ſacra Scriptura collectæ.

Nota: *Quæ his ſignis* [ ] *incluſa reperies, ad ſolos Sacerdotes pertinent; & ab aliis præteriri poſſunt.*

KYrie eleiſon.
Chriſte eleiſon.
Kyrie eleiſon.

Pater de cœlis *Deus*, qui ſic dilexiſti mundum, ut Filium tuum Vnigenitum dares; eumque pro nobis carnem ſumere, & Crucem ſubire feciſti: Miſerere mei:

Vt eum totis viſceribus, & intimis amoris affectibus excipiam: & meipſum totum, quantus ſum, tibi reddam, nec mihi, ſed tibi vivam.

Pater Æterne, qui amore noſtri proprio Filio non peperciſti, ſed pro nobis omnibus illum tradidiſti: Miſerere mei:

Vt tantæ charitatis opus grata mente recolere, atque in hoc Sacro myſterio commemorare valeam.

Pater ſanctiſſime, qui miſiſti Filium tuum in mundum, non

non ut judicet mundum, ſed ut mundus ſalvetur per ipſum: Miſerere mei:

Ut Corpus & Sanguis ejus non mihi ſit ad judicium & condemnationem; ſed ad vitam & ſalutem.

Pater ſapientiſſime, qui mirabili conſilio ſalutem noſtram operatus es in medio terræ: & Filium tuum, quem ab æterno tibi æqualem genuiſti, in tempore de Virgine naſci, & in hoc Sacramento, novo & admirabili modo exiſtere, & uſque ad conſummationem ſæculi nobis adeſſe voluiſti: Miſerere mei:

Ut tam ineffabilis gratiæ & charitatis tuæ beneficiis nunquam ingratus inveniar.

Pater optime, apud quem Advocatum habemus *Ieſum Chriſtum*, qui eſt propitiatio pro peccatis noſtris: Miſerere mei:

Ut per eum peccatorum veniam & indulgentiam apud te conſequi merear: Ecce enim Agnus Dei qui tollit peccata mundi.

Pater potentiſſime, qui voce clara teſtatus es hunc eſſe Filium tuum dilectum, in quo tibi bene complacuit: Miſerere mei:

Et quia tibi de actibus meis placere non valeo, reſpice in faciem Chriſti tui, ut per eum gratiam in oculis tuis inveniam.

Pater liberaliſſime, qui, juxta promiſſionem Filii tui dilectiſſimi, dabis nobis ſi quid petierimus in nomine ejus: Miſerere mei:

Ut hoc quod unice precor, obtineam: nimirum, ne unquam indigne, vel ad judicium Corporis & Sanguinis Filii tui myſteria ſumam.

Pater orphanorum, in quem ſperant oculi omnium, & tu das illis eſcam in tempore opportuno: Miſerere mei:

Et panem quotidianum da mihi hodie; Panem, inquam, vivum, qui de cœlo deſcendit, ut confirmet cor meum, & nutriat in æternum.

II.

FILI Redemptor mundi *Deus*, qui ex infinita charitate opus noſtræ redemptionis ſuſcepiſti; & in caſtiſſimo

mo Mariæ Virginis utero carnem ſumens, in ſimilitudinem hominum factus es, & habitu inventus ut homo: Miſerere mei:

Vt tam immenſæ charitatis tuæ, & ſanctiſſimæ Incarnationis memoriam intimo corde recolam, quoties per hoc Sacramentum naſceris in anima mea.

Ieſu dulciſſime Salvator, qui paraſti menſam in conſpectu noſtro adverſus omnes qui tribulant nos: Miſerere mei:

Vt nunquam prævaleant adverſum me inimici mei, nec timeam mala, quoniam tu mecum es, & in hoc Sacramento mihi intime præſens.

Ieſu amabiliſſime, qui dixiſti: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos: Miſerere mei:

Vt relever pondere peccatorum meorum, quoniam ſicut onus grave gravata ſunt ſuper me; & refice hoc cœleſti pabulo eſurientem ac deficientem ſpiritum meum.

Ieſu miſericordiſſime, qui miſertus es ſuper turbas, diu te ſuſtinentes: & non habentes quod manducarent, mirabili virtute potentiæ tuæ omnes ad ſatietatem paviſti: Miſerere mei:

Vt non deficiam in via, ſi fuero cœleſti fraudatus alimonia.

Ieſu liberaliſſime, qui pinguem nobis dediſti panem, præbentem delicias regibus, & cibas nos ex adipe frumenti: Miſerere mei:

Vt ſicut adipe & pinguedine repleatur anima mea, nec areſcat aliquando cor meum, ſi obliviſcar comedere panem meum.

Ieſu benigniſſime, qui nos exhortaris ad ſumendum te, dicens: Caro mea vere eſt cibus, & Sanguis meus vere eſt potus. Et: Niſi manducaveritis Carnem Filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis: Miſerere mei:

Et da mihi hunc panem, & potum digne ſumere, ut non eſuriam nec ſitiam iterum, nec moriar in æternum.

Ieſu ſuaviſſime, quem Zachæus ſuſcepit gaudens in domum ſuam: ac Centurio præ reverentia non eſt auſus recipere ſub tectum ſuum: Miſerere mei:

Vt utriuſque affectum, id eſt, Amorem & Timorem, ſemper jungam, cum Te ſuſcipio in domum meam.

Ieſu humillime, qui etiam cum Publicanis & peccatoribus familiarius agere, & manducare dignatus es, dicens: Non eſſe ſanis opus Medico, ſed male habentibus: Miſerere mei:

Vt ad me quoque peccatorem divertere digneris; & ſana animam meam, quia infirmatur ad mortem.

Ieſu Rex magne & mirifice, qui ut oſtenderes potentiam ac divitias Regni tui, feciſti nobis grande convivium, & ad illud omnes Regni tui ſubditos tam amanter vocare dignatus es: Miſerere mei:

Vt ad hoc divinum convivium lætanter & propere; ſed nunquam niſi veſte nuptiali indutus accedam.

Ieſu amantiſſime, qui deſiderio deſideraſti, antequam patereris, hoc Paſcha manducare cum Diſcipulis tuis: Miſerere mei:

Vt quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita ad te Deum vivum in hoc Sacramento deſideret anima mea.

Ieſu puriſſime, qui volens inſtituere hoc Sacramentum, primum pedes Diſcipulorum tuorum, poſitis in terram genibus abluiſti, in ſignum puritatis ac munditiæ, quam nobis hæc SS. Myſteria ſumpturis commendatam eſſe voluiſti: Miſerere mei:

Et amplius lava me ab iniquitate mea; & à peccatis meis munda me; non tantum pedes; ſed & manus & caput abluens; id eſt, ut affectus, & opera, & intentio pura ſint, dum menſæ tuæ particeps eſſe cupio.

Ieſu benigniſſime, qui lignum vitæ in medio Paradiſi, id eſt, Eccleſiæ tuæ, contra omnes morbos, & ipſam mortem animæ noſtræ poſuiſti: Miſerere mei:

Vt

Vt fructum vitæ & immortalitatis inde capiam, & renovetur ex eo, ſicut Aquilæ, juventus mea.

Ieſu largiſſime, qui teipſum nobis dediſti naſcens in ſocium, conveſcens in edulium, moriens in pretium, & regnans demum daturus es in præmium: Miſer. mei:

Vt pro tantis beneficiis omni tempore benedicat tibi anima mea, & omnia quæ intra me ſunt, nomini ſancto tuo.

Ieſu veraciſſime, qui te ipſum tradens in cibum & potum, dixiſti: *Hoc eſt Corpus meum*, quod pro vobis tradetur: Et, Hic eſt Sanguis meus, qui pro vobis effundetur: Miſerere mei:

Vt non vacillem in fide, & verbis oris tui: quia tu es ipſa Veritas, in cujus ore non eſt inventus dolus aut mendacium; es quoque Deus ſumme potens, apud quem non eſt impoſſibile omne verbum.

Ieſu mitiſſime, qui diſceſſurus ex hoc mundo ad Patrem, reliquiſti nobis juge monumentum immenſi amoris tui; & feciſti in hoc Sacramento memoriam mirabilium tuorum, jubens nos hoc facere in tui commemorationem: Miſerere mei:

Vt ſemper memoria memor ſim tui, ineffabilem potentiam, ſapientiam, ac bonitatem tuam hic relucentem venerer aſſidue; nec unquam obliviſcar omnes retributiones tuas.

Ieſu manſuetiſſime, qui nec Iudam à conſortio Diſcipulorum, & menſa tua, in ultima Cœna excludere voluiſti: Miſerere mei:

Ne ego, heu nimis indignus, & infidelis ſervus tuus, nunquam cum Iuda fiam reus Corporis & Sanguinis tui.

Ieſu gratiſſime, qui peracto hoc myſterio coram Diſcipulis tuis, Patri Æterno gratias egiſti, & hymno dicto, ad hortum orationis locum egreſſus es: Miſerere mei:

Vt nunquam ab hoc tam excellenti convivio ingratus recedam: ſed tanti beneficii ſeria conſideratione, magis magiſque in tui amorem exardeſcat anima mea.

Ieſu Sacerdos in æternum, & Paſtor bone, qui temetipſum in Ara crucis obtuliſti victimam; & poſuiſti ani-

mam tuam pro ovibus tuis, eaſque paſcis ipſo Corpore & Sanguine tuo: Miſerere mei:

Vt quia erravi ſicut ovis quæ periit, require ſervum tuum, & reporta me humeris tuis in ovile tuum, & paſce in loco paſcuæ, ubi me collocaſti.

Ieſu clementiſſime, qui Diſcipulis in Emaus euntibus te ſpecie peregrini adjunxiſti, & in fractione panis demum te cognoſcendum præbuiſti: Miſerere mei:

Vt te, quem ſub his figuris vere mihi præſentem credo, etſi oculis non video, tandem revelata facie contemplari merear: & interim dum me dulci alloquio tuo, & pabulo Corporis tui paſcere digneris in via; amore & deſiderio tui ardens in me ſit cor meum.

I I I.

SPIRITVS ſancte DEVS, qui myſterium Incarnationis Domini N. *Ieſu Chriſti* mirabili virtute divinitatis operatus es in utero Virginis; eam ineffabili modo fœcundans, & ſanctificans, ut dignum Filii DEI habitaculum effici mereretur: Miſerere mei:

Vt ego quoque eundem Dominum ac Deum *meum ſyncero affectu ac puro corde in hoc Sacramento concipere, & deinceps ſanctis operibus palam oſtendere valeam.*

I V.

S. TRINITAS unus DEVS, qui aperis manum tuam, & imples omne animal benedictione: Miſerere mei:

Vt panis ille qui confirmat cor hominis, detur mihi ad veſcendum, & in fortitudine cibi illius ambulem per hoc deſertum uſque ad montem ſanctum tuum.

S. Trinitas unus *Deus*, qui filiis Iſraël in memoriam liberationis à dura ſervitute Pharaonis Agnum Paſchalem, noſtri Salvatoris typum, edere juſſiſti: Miſerere mei:

Vt quotieſcunque ſumo hæc divina myſteria, noſtræ redemptionis opus grata mente recogitem.

S. Tri-

S. *Trinitas* unus *Deus*, qui filios Iſraël per deſertum euntes manna de cœlo, & cibo Angelico, omne delectamentum in ſe habente paviſti, ſed tandem ſuper eo nauſeantes ſevere puniſti: Miſerere mei:

Vt purgato cordis palato, guſtem & videam quam ſuavis ſit Dominus; nec unquam nauſeet anima mea ſuper cibo iſto tanquam leviſſimo.

S. *Trinitas* unus *Deus*, qui non ſemel olim irreverentiam & injuriam circa Sacrificium, & Arcam (figuras tantum & umbras hujus Sacramenti noſtri) commiſſam gravi punitione caſtigaſti: Miſerere mei:

Vt his exemplis monitus, cautius, ſanctius, & religioſius Sacroſancta myſteria tua tractare ſatagam.

S. *Trinitas* unus *Deus*, qui pro infinita clementia tua elegiſti me in miniſtrum tuum, & de ſtercore erigens pauperem, voluiſti me fungi Sacerdotio, ut offeram tibi dona & ſacrificia in odorem ſuavitatis: Miſ. mei:

Vt huic tam ſublimi & ſanctæ vocationi dignis moribus reſpondeam, tibique puris manibus ac mundo corde ſemper immolem Sacrificium laudis, & reddam tibi Altiſſima vota mea.

S. *Trinitas* unus *Deus*, qui vis ſanctos habere miniſtros, dicens: Sancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum: Miſerere mei:

Vt à terrenis curis & carnis deſideriis abſtrahatur cor meum, ut in ſanctitate & juſtitia coram te ſervire valeam omnibus diebus vitæ meæ.]

V.

SANCTA MARIA, quæ ſola inter mulieres benedicta, ad altiſſimum Dominicæ incarnationis myſterium electa, & à Spiritu ſancto præparata, Dominum cœli & terræ caſtiſſimis viſceribus tuis concipere, novem menſibus geſtare, ac mundo Salvatorem edere meruiſti: Ora pro me:

Vt & ego indignus famulus tuus hunc ipſum Dominum, imo Filium tuum

tuum pura mente in hoc [ſacrificio] (vel) Sacramento ſuſcipere & portare [aliiſque diſpenſare] valeam.

Omnes SS. *Angeli*, & *Archangeli*, qui Dominum veſtrum propter nos hominem factum humiliter adoraſtis, & jacentem in præſepio Regem veſtrum cum ſtupore venerati eſtis, nec non gaudium de nato Salvatore nunciaſtis, & jam regnanti in cœlis ad miniſterium ſemper adſiſtitis; quin etiam ipſum Altare, celebrante Sacerdote, frequentes ac venerabundi cingitis: * Orate pro me:

Vt & ego hunc panem Angelorum digno ſemper honore tractem, & ejus frequenti uſu ſic confirmetur cor meum, ne unquam mihi prævaleant inimici mei.

Sancte *Ioſeph*, qui in ſponſum Mariæ Deiparæ, & in Nutritium Chriſti *Ieſu* à *Deo* delectus, Sponſæ & conjugi tuæ ſedulam curam, & obſequium; Alumno, ac filio tuo putatitio omnem cultum & honorem præſtitiſti: Ora pro me:

Vt & ego utrique ſedulo famulari valeam: & præſertim Chriſto in Venerabili Sacramento debitum cultum ac reverentiam ſemper exhibeam.

V I.

SANCTE *Simeon*, qui longa exſpectatione & vehementi deſiderio Meſſiam videre cupiviſti, eumque tandem oculis tuis cernere, & in ulnas tuas ſuſcipere meruiſti, dicens præ gaudio: Nunc dimittis, *&c.* Ora pro me:

Vt & ego ardenter deſiderem videre Ieſum in gloria, nec minus vehementi deſiderio ad ipſum in hoc Sacramento vere præſentem ſemper anhelem, cumque ſuaviſſime complecti merear ulnis animæ meæ.

Sancti *Magi* & *Reges*, qui ſtella duce de longinquo venien-

* *Ita teſtantur SS. Patres, Chryſoſtom. Gregorius M. Vide in Aphoriſ. noſtris Euchariſt.*

nientes, ad Regem Regum recens natum properaſtis, eique munera veſtra ſingulari fide & intima devotione, procidentes in terram, humiliter obtuliſtis: Orate pro me:

Vt ego quoque ad hunc ipſum Regem vere in hoc Sacramento præſentem adorandum, & muneribus meis licet exiguis honorandum, ſimili fide & religione veniam, vel potius donis ejus præveniar, & ſimili, qua vos, clementia ſuſcipiar.

Omnes SS. *Patriarchæ* & *Prophetæ*, qui variis typis, figuris, & umbris hujus Sacrificii & Sacramenti myſteria præfiguraſtis, & ad Meſſiam ingenti deſiderio, multis votis ac ſuſpiriis anhelaſtis: Orate pro me:

Vt ego, non quidem umbram, ſed rem ipſam; non figuram, ſed ipſam veritatem; non Arcam, ſed Sanctum Sanctorum; non oves aut boves, ſed ipſum Dei Filium ſancte tractare, ac puro corde complecti valeam.

Omnes SS. *Innocentes*, qui Chriſto recens nato tenella corpora veſtra, & ipſos infantiæ atque innocentiæ annos novelli Martyres conſecraſtis: Orate pro me:

Vt ego ingrediar in innocentia mea, ad Altare Dei, *& una cum hoc* [Sacrificio] *ſeu Sacramento, me ipſum* Deo *meo hoſtiam vivam, ſanctam, placentem offerre valeam.*

S. *Ioannes Baptiſta*, qui viſitatus à Chriſto, & Matre ejus, exultaſti præ gaudio in utero Matris tuæ. Poſtmodum vero indignum reputabas te, qui ſolveres corrigiam calceamenti ejus; dignus tamen, qui, ipſius Chriſti præconio, maximus inter natos mulierum, & plusquam Propheta audires; & ſacrum ipſius verticem baptizando contingeres: Ora pro me:

Vt & ego lætabundus introëam ad Altare Dei, ad Deum qui lætificat juventutem meam. Sed tamen non ſine timore & profunda humilitate coram tremenda ejus majeſtate comparere ſtudeam.

VII.

S. PETRE Princeps Apoſtolorum, qui Chriſtum

Filium Dei vivi, non quidem ex inſtinctu carnis & ſanguinis, ſed revelatione Æterni Patris in cœlis, confeſſus es: & paſcendas ab eo oves; ſed & claves cœli accepiſti: Ora pro me:

Vt ego in hoc Sacramento viva & immobili fide confitear verum Deum *ac Dominum meum* Ieſum Chriſtum, *eumque vere ac realiter hic præſentem agnoſcam, proindeque eum, ut par eſt, reverear.*

S. *Paule*, qui factus ex lupo agnus; ex perſecutore prædicator Euangelii; ex vaſe contumeliæ, vas Electionis; & raptus in tertium Cœlum, de cœleſtibus myſteriis ſingulariter edoctus fuiſti, adeoque inſtitutionem, & legitimum uſum hujus Sacramenti graviſſimis verbis tradidiſti: Ora pro me:

Vt ego acceſſurus ad hæc tremenda myſteria, prius ſerio juxta monitum tuum probem meipſum; ſollicite cavens, ne illa ad judicium & mortem ſuſcipiam; nec unquam reus efficiar Corporis & Sanguinis Domini.

S. *Ioannes* dilecte Domini, qui in noviſſima Cœna ſingularis tui erga Magiſtrum, ejuſque viciſſim erga te amoris fiducia recubuiſti ſuper pectus Domini, & inde ſuxiſti fluenta cœleſtia, quæ eructaſti poſtea ſcribens Euangelium, & inſtar Aquilæ ſublimius evolans ad contuenda, nobiſque referanda divini & incarnati *Verbi* myſteria: Ora pro me:

Vt ego ad Chriſtum Salvatorem meum in Sacramento præſentem magis trahar amore, quam deterrear timore: & ſancta fiducia innitar ſuper Dilectum meum; hauriamque in gaudio aquas vitæ de fontibus Salvatoris.

Omnes SS. *Apoſtoli*, qui in ultima Cœna, ab ipſo Chriſto Salvatore Sacerdotes creati, poteſtatem accepiſtis conſecrandi hæc SS. myſteria; ſed præmiſſa pedum lotione, quaſi ſymbolo puritatis, de interiori munditie hîc neceſſaria admoniti, & ſic ad verum Agnum, id eſt, Corpus & Sanguinem Domini veſtri manducandum admiſſi eſtis: Orate pro me: *Vt*

Vt & ego gratiam & munus Sacerdotii [per veſtros Succeſſores manuum impoſitione mihi collatum] *debito honore venerer, & non niſi mundata prius conſcientia ad participanda hæc divina myſteria veniam.*

SS. *Euangeliſtæ*, qui inſtitutionem hujus Sacramenti illuſtri teſtimonio aſſeruiſtis: Orate pro me:

Vt ego plena fide, ſpe viva, charitate fervida hoc magnum myſterium venerari ſemper ac participare valeam.

Omnes SS. *Diſcipuli Domini*, qui una cum primis Fidelibus perſeverantes eratis quotidie in communicatione fractionis panis, ita ut credentium eſſet cor unum, & anima una: nec quiſquam aliquid ſuum eſſe diceret: Orate pro nobis:

Vt & nos, qui de uno Pane, & de uno Calice participamus, non niſi in unione pacis & vinculo charitatis, ad Sacramentum pacis & Amoris accedamus: idipſum dicamus & ſentiamus omnes, & ſic unanimes uno ore honorificemus & glorificemus Deum, *& Dominum noſtrum* Ieſum Chriſtum, *qui eſt pax noſtra faciens utraque unum.*

VIII.

Omnes SS. *Martyres*, qui Chriſto Regi Martyrum Corpus & Sanguinem ſuum nobis in ara Crucis & communionis offerenti, Corporis & Sanguinis veſtri victimam reddidiſtis: Orate pro me:

Vt ego Spirituali martyrio mortificem membra mea ſuper terram, & [oblaturus] *(ſeu)* ſuſcepturus *ſacra myſteria, me ipſum prius mactem* Deo *hoſtiam vivam, acceptabilem, ſanctam, Deoque placentem, ſacrificium Iuſtitiæ, in odorem ſuavitatis.*

Omnes SS. *Pontifices & Confeſſores* Sacerdotes Domini, qui ut miniſtri Chriſti, & fideles diſpenſatores myſteriorum Dei, ſancte functi eſtis Sacerdotio; & pro populo hoſtiam placationis frequenter obtuliſtis; eundemque pane verbi, & Sacramenti indefeſſe paviſtis; Orate pro me:

Vt & ego munere fidelis [Sacerdotis] *(ſive)* Chriſtiani *ſtrenue fungar, ne oblata ſalutis remedia ſpreviſſe, vel gratiam Dei in vacuum recepiſſe forſan inveniar.*

IX.

S. *Franciſce*, qui conſcius puritatis ac ſanctitatis ad Sacerdotium requiſitæ, ab eo præ reverentia abſtinuiſti: Ora pro me:

Vt & ego munus tam ſanctum & ſublime condigne æſtimare ac honorare ſtudeam.

S. *Thoma* de Aquino, qui angelico pollens ingenio, & excellenti doctrina cultum ac venerationem ſanctiſſimi Sacramenti ſingulariter in Eccleſia promoviſti: Ora pro me:

Vt hujus Sacramenti fides, devotio, & reverentia magis indies creſcat ac proficiat in anima mea.

Omnes SS. *Monachi* & *Eremitæ*, qui egreſſi de Ægypto hujus ſeculi, id eſt, mundo mortui, & avulſi ab uberibus, ablactati à lacte, quod propinat mundus, non amplius ſuſpiraſtis ad ollas carnium, ſed concupiſcentias carnis viriliter calcantes, cibo Angelorum, manna de cœlo, pane vivo paviſtis in deſerto hujus ſeculi animas veſtras, donec veniretis ad terram promiſſionis lacte & melle manantem: Orate pro me:

Vt ego viles Ægypti cibos faſtidiam; voluptates, inquam, ſeculi ſpernam præ deſiderio hujus cibi cœleſtis, nec delecter ſiliquis porcorum, cui datum eſt veſci pane filiorum.

Omnes SS. *Virgines* & *viduæ*, quæ plusquam virili animo, conſtans propoſitum continentiæ & caſtitatis arripuiſtis, adeoque obtuliſtis corpora veſtra hoſtiam vivam ſponſo veſtro Deo viventi, Regi ſeculorum immortali, & ſic caſtas ac perpetuas cum Sponſo nuptias celebratis: Orate pro me:

Vt ego per vinum germinans Virgines caſtitatis zelum imbibam, ac continue puri cordis amore indiſſolubile teneam cum Sponſo

veſtro

veſtro connubium, eumque in hoc Sacramento vere præſentem medullitus ac totis viſceribus amplectar, & exoſculer.

X.

S. *Maria Magdalena*, quæ una cum Sorore Chriſtum hoſpitio excepiſti, ſed vacans à miniſterio, & ſedens ad pedes Domini, audiebas verbum illius. Alias quoque in convivio Phariſæi, pedes Domini lacrymis tuis ubertim manantibus laviſti, & capillis terſiſti; ſic & amorem in Dominum, & dolorem criminum palam oſtendens. Denique pendenti in Cruce adhæſiſti, & ſepultum vi amoris æſtuans quæſiviſti: Ora pro me:

Ut & ego à curis ſeculi abſtraham cor meum, & quæram præ omnibus in otio ſancto vacare Deo: Acceſſurus vero ad Dominum meum in hoc Sacramento, prius contriti cordis lacrymas offeram Deo meo, & crucifixo libenter adhæream; non quærens gloriari, niſi in Cruce Domini mei Ieſu Chriſti.

Omnes *Sancti & Electi Dei*, qui jam revelata facie, in patria, viſione beata aſpicitis, & pleno jam ore manducatis Panem illum, quem nos nonniſi per ſpeculum in ænigmate conſpicimus, & aliena ſpecie velatum accipimus. Vos enim felices portum tenetis; ad quem nos miſeri tendimus; ô quot inter tempeſtates & pericula! Viatico egemus, ut ſuperemus. Viaticum Chriſtus eſt; Via utique, Veritas, & Vita: & unicum ſolatium peregrinationis noſtræ: Orate pro nobis:

Ut eo nos ſaltem ſuſtentemur in Via: donec vobiſcum & nos ſatiemur ab ubertate domus Dei, & torrente voluptatis ejus potemur in Patria.

O R A T I O.

DEus, qui nobis ſub Sacramento mirabili paſſionis tuæ memoriam reliquiſti: tribue, quæſumus, ita nos Corporis & Sanguinis tui ſacra myſteria venerari, ut redem-

redemptionis tuæ fructum in nobis jugiter ſentiamus. Qui vivis & regnas in unitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

CAP. III.

ORATIO DOMINICA,

Variis Exercitiis & piis conceptibus ad praxin piè Communicandi accommodata.

Acceſſuri ad ſacrum Convivium, *in quo Chriſtus ipſe ſumitur, non immeritò Chriſti quoque verba, & ipſam, quam de ſacro illius ore hauſimus, Orationem, velut Benedictionem menſæ præmittemus. Sacerdos quidem in Miſſa; paulo ante Communionem, eam recitat; ſed in ea ante Miſſam perutiliter quoque meditabitur; quin & Communicaturus quiſque hinc facile pios affectus hauriet. Dicamus ergo ex intimo animi ſenſu:*

Pater noſter.

POtentiſſime, ſapientiſſime, clementiſſime, qui, ut dulcedinem in filios tuos demonſtrares, Pane ſuaviſſimo de cœlo præſtito, eſurientes reples: & quæ creaſti, omnia tam paterne & mirabiliter alis, foves, ac conſervas. Ecce & ego unus, licet viliſſimus filiorum tuorum, confidenter nunc levo oculos meos ad te, *Qui es in cœlis*, ut tu paternæ benevolentiæ oculis reſpicias ſuper me miſerum, & inopem; procul agentem à facie Patris, inter filios Evæ, in valle lacrymarum, exulem & peregrinum ſuper terram; & ſuſpirantem ad te dulciſſimum Patrem meum. Quid vero nunc potiſſimum petam à te? niſi ut

I. *Sanctificetur nomen tuum.*

Hoc enim eſt præcipuum votum, & deſiderium cordis mei, ut omnia, quæ facio, dico, cogito, cedant ad majorem gloriam Nominis tui. Et nunc præcipue, cum ad

ad ſacra myſteria Corporis & Sanguinis Filii tui venio; hoc unum intendo, hoc unice deſidero, ut laudetur ſuprema Majeſtas, Poteſtas, Bonitas & Sapientia tua; cui debetur ab omni creatura, omnis honor & gloria, æterna laus, & gratiarum actio. quia ſic dilexiſti nos, ut Filium tuum Vnigenitum nobis dares, & in cibum, & in ſalutis pretium. Pro quo, cum digne à nobis laudari nequeas, utinam ipſe Filius tuus clarificet te, nam & tu exaltaſti eum ſuper omnia; & dediſti illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen.

2. *Adveniat regnum tuum.*

Cujus regni felicitatem, ac delitias in hoc Sacramento prælibamus. Dediſti enim nobis in pignus futuræ gloriæ Corpus & Sanguinem Filii tui: & ſic nos quoque per gratiam adoptionis feciſti tibi heredes, coheredes autem Chriſti.

Interim vero, dum adhuc in exilio peregrinamur à Domino, fac nos, ſic uti hoc ſacro pignore, ut indies, magis magiſque in nobis proficiat regnum tuum gratiæ, & tandem perveniat in nos regnum tuum gloriæ.

3. *Fiat voluntas tua.*

Quæ eſt autem voluntas tua, niſi ſanctificatio noſtra; maxime cum acceſſuri ſumus ad hæc ſancta ſanctorum? Vis etiam ut manducemus Carnem Filii hominis, & bibamus Sanguinem ejus; alias non habituri vitam in nobis: Quis autem hoc facere præſumeret, conſcius infirmitatis ſuæ, niſi id tam amanter & dignanter tu una cum Filio velles, & præciperes? (Nam idem eſt utrique velle, idem poſſe.) Quia ergo ita vis; fiat quod vis; & quomodo vis. Nempe Sanctos nos eſſe vis, quia Sanctus es, imo Sanctus Sanctorum, ad quem accedimus, Filius tuus. Sed quis Sanctum faciet, niſi tu? Da quod jubes. Fac ut Sancta non tractemus niſi ſancte, caſte, & religioſe. Vnde.

Sicut

Sicut in cœlo, Sancti pleno ore, puro corde, & ardenti deſiderio manducant hunc Panem vivum revelata facie: *ita &* nos *in terra*, magno deſiderio, & puro affectu comedamus eum ſub ſpeciebus velatum, donec & nos cum Electis fruamur illo in propria ſpecie; & ſatiemur ab ubertate domus tuæ.

4. *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.*

Oculi enim omnium in te ſperant Domine, & tu das illis eſcam in tempore opportuno. Tu aperis manum tuam, & imples omne animal benedictione, & mihi deeſſe poteris? Scis autem Domine, quia non minus Anima, quam Corpus cibo reparari indiget, ut vivat. Nam ſicut illud naturalis calor, ſic hanc æſtus concupiſcentiæ continuo depaſcitur. Sed ô felices filios, qui in Domo tanti Patris (Eccleſia) ſic abundant panibus! Hic Panis gratiæ, & verbi Dei, copioſe frangitur. Hic panis Sacramentorum, & præſertim Panis ille vivus, qui de cœlo deſcendit, qui natus in Bethleem, id eſt, in Domo Panis; Panis Angelorum, Manna cœli, omnibus apponitur. O pretioſa & nobilis eſca! ô grandis æterni Patris charitas & miſericordia! Mihi enim non ſerenti, neque metenti, neque horrea habenti, frumentum Electorum, & Panis vitæ è cœlo datur. Tu Domine ſeminaſti illum in terris; tu mortis falce meſſuiſti: tu eum in horreo Eccleſiæ tuæ nutriendis filiis tuis totum expoſuiſti.

Da mihi ergo, benigniſſime Pater, ut hoc *Pane* ſæpius digne reficiar; imo etiam quotidie (*ſi non ſacramentaliter, ſaltem ſpiritualiter*) recipiam, quod quotidie mihi proſit; nam quia pecco, & deficio quotidie, merito etiam quotidie remedium accipio, quod vires reficiat. O utinam hoc cœleſti *Pane* & viatico ita ſuſtenter in hoc deſerto, ut in fortitudine cibi illius ambulem uſque ad montem Dei!

5. Et

5. *Et dimitte nobis debita noſtra.*

Heu, quam multa & gravia ! in multis enim offendinus omnes ; vere miſeri nos & inopes ſolvendo non fuinus, nec ſumus.

Sed ecce Domine apud te eſt miſericordia, & copioſa pud Filium tuum redemtio; quem noſtri miſertus dedi:i nobis. Ille juſtus,impollutus,& innocens per omnia: uod nos debuimus, ille ſolvit: quod nos peccavimus, ɔſe luit, & juſtitiæ tuæ abunde ſatis fecit, donans nobis nmenſum theſaurum meritorum ſuorum, & infinitum retium ſanguinis ſui.

Hoc autem totum pretium velut depoſitum habemus ı pretioſo ſanctiſſimi Sacramenti ſcrinio reconditum.

Hunc ergo theſaurum nunc offero tibi ô Pater æter-e,ut inde capias, quantum exigis à me pro debitis meis. go, unde ſolvam, non habeo; at Filii tui ſuperabundant ıerita, ut inde noſtra ſolvantur debita.

Propter hunc itaque dimitte nobis, *Sicut & nos dimittius debitoribus noſtris.* Dimittimus, inquam, ne forte extra nculum charitatis indigne tractemus Sacramentum ıcis & unitatis; & fruſtra à Deo quæramus medelam; homo homini reſervemus iram. Quæ enim nobis comunicatio in Corpore & Sanguine Domini, ſi membris ɔrporis ejus myſtici, id eſt, proximis noſtris, commuone pacis & amoris non conjungimur?

Oportet nos utique, cum accedere volumus ad altare, ius reconciliari fratribus noſtris, ſi quid habent adverm nos, & ſic venire ad offerendum munus noſtrum. oc filius tuus nos & facere docuit, & ipſe fecit. Nam ndens in cruce, & ſolvens omnium debita,dimiſit iniicis ſuis; & pro tortoribus te ſupplex oravit, dicens: ıter, ignoſce illis, *&c.* dimitte mihi itaque debita mea, o quibus Filius tuus offert merita ſua: his enim ſeclu-:, ſi iniquitates obſervaveris, Domine, quis ſuſtinet? *&c.*

6. *Et*

6. Et ne nos inducas in tentationem.

O Domine, qui paraſti in conſpectu noſtro menſam adverſus omnes, qui tribulant nos, & panem apponis hic, qui cor hominis confirmat adverſus omnes tentationes Mundi, Carnis, & Dæmonis: da mihi per cibum cœleſtem & vivificum vires, & robur, ut tentatus non ſuccumbam, ſed tibi conſtanter adhæream.

Non ſtudeam eſſe amicus hujus *Mundi*, aut conformari huic ſeculo, ſed virtute cœleſtis cibi transformer in te, ut uni tibi placere cupiam, & diſplicere timeam. Sordeat mihi terra, quia hic cœlum intueor, & mundi totius Dominum complector.

Nihil me *Carnis* deliciæ moveant, cui carne Agni immaculati, & manna cœli veſci datur, in quo delicias longe majores, & omnem ſaporis ſuavitatem invenio.

Dæmon vero quid poterit in me, quando mecum eſt Deus? ſi autem Deus pro nobis, quis contra nos? *&c.*

7. Sed libera nos à malo.

Multis enim in hac vita caſibus & miſeriis obnoxii ſumus: ea vero cenſentur mala, quatenus nos fragiles dejiciunt, & abſtrahunt à Te: abduci autem à Te, id eſt, ſummo Bono, hoc utique eſt ſummum malorum. Quis vero liberabit nos ab hoc malo, niſi Tu fons omnis boni? & quem nobis dediſti Advocatum apud Te, omniſque ſalutis & felicitatis auctorem: *Ieſus Chriſtus*, qui nos à peccato, & à morte liberavit in ſanguine ſuo?

Hoc Mediatore fac ut omnia nobis cooperentur in bonum, quia non eſt nobis in alio aliquo ſalus. Is ergo, ut vere præſens eſt in hoc Sacramento, ita nobiſcum ſit ubique, ille nos paſcat, regat, conſervet, protegat; ducat pro clementiſſimo ſuo beneplacito, velut oves paſcuæ ſuæ: quidquid nobis evenerit, malum non erit, ſi non ſeparet nos à ſummo *Bono*. Nam mihi adhærere Deo bonum

eſt;

eſt, *&c.* quid enim mihi eſt in cœlo, & à te quid volui ſuper terram? *&c.*

Poterit hæc meditatio orationis Dominicæ, ut ante, ſic poſt Miſſam aut communionem eſſe uſui.

ORATIO DOMINICA

Iuxta quatuor ſacrificii fines; ſeu quatuor Oblationum genera.

Ad uſum tum *Celebrantium,* tum *Communicantium,* accommodata.

Sacrificia in veteri lege varia erant.

Holocauſtum; Hoſtia pacifica; *eaque duplex*, una in gratiarum actionem *pro beneficio accepto:* Altera ad impetrandum *beneficium. denique* Hoſtia pro peccato. Vide Levit. primis ſeptem capp.

Itaque quatuor Sacrificiorum genera paſſim recenſentur, his titulis:

1. Latreuticon, *ſeu Sacrificium* Laudis, *Deo offerri ſolitum pure ad ejus laudem, & honorem ſupremæ Majeſtatis, atque amorem ſummæ Bonitatis ejus. Hinc tota victima cremari debuit, ut notaretur* 1. *Summum Dei dominium in res omnes.* 2. *Omnia ad eum referenda, ut ultimum finem.* 3. *Nos totos eſſe Dei,* &c.

2. Euchariſticon, *ſeu Sacrificium gratiarum actionis, quo pro beneficiis divinis gratiæ referuntur.*

3. Impetratorium, *quo gratiam ac divina beneficia, tum corporalia, tum ſpiritualia nobis aliiſque petimus.*

4. Propitiatorium, *quod ad veniam peccatorum petendam, & Deum nobis placandum pertinet.*

Omnem horum ſacrificiorum vim & efficaciam unicum Novæ Legis Sacrificium *eminenter in ſe complectitur.*

Vnde pius & utilis Miſſam audiendi, Celebrandi, *&* Communicandi *Modus erit, ad hos quatuor fines ſacram Actionem referre: In quem uſum* Oratio Dominica *commode ſubſerviet, juxta modum ſequentem:*

Pater noſter qui es.

DOmine ſancte Pater, qui legalium multitudinem hoſtiarum, in unius Sacrificii novæ Legis Hoſtia concluſiſti; quique nobis in Dilecto Filio tuo, ſacerdote Magno, & Summo utriuſque Teſtamenti Pontifice, perfectæ Oblationis exemplar, ſecundum quod nos faceremus, ipſe in Monte Calvariæ monſtraſti: Fac quæſumus, ut per tuam gratiam, fiamus conformes imaginis Filii tui, qui nobis ſimilis fieri dignatus es in forma ſervi.

Et ſicut ille ſemetipſum cruento modo in Cruce, quoad Corpus & animam, ſecundum ritum Aaronis; & incruento modo, ſecundum ordinem Melchiſedech, in ultima Cœna, tibi Æterno Patri ſuo obtulit; ita nos ejus exemplo, Corpora noſtra in hoſtiam viventem, ſanctam, tibi placentem & rationabile obſequium quotidie offeramus: Animam quoque, & omnes ejus vires ac potentias, in *Holocauſtum* laudis: in ſacrificium *Euchariſticum* pro donis acceptis, in *Impetratorium* pro accipiendis: & denique in *Propitiatorium* pro peccatis immolemus.

I. LATREVTICVM.

Sanctificetur nomen tuum.

Domine Ieſu Chriſte, qui Æterni Patris amore, non tuam, ſed illius in omnibus & per omnia gloriam quærens, tradidiſti temetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis; Laudo & Adoro ex toto corde meo ſummam tuam Potentiam, Bonitatem, Sapientiam, Iuſtitiam, Miſericordiam, *&c.* quæ in hoc Sacrificio, & opere Redemptionis mirabiliter elucent.

Gaudeo per hanc oblationem vana Gentium idola, & profana ſacrificia abolita, & ſincerum verumque tibi Deo vivo & vero cultum ac honorem reſtitutum eſſe; Vnde ego nunc immolo tibi ſacrificium laudis, & reddo

Altiſ-

Altiſſimo vota mea. *Credo* tibi, & *Spero* in te, & *Amo* te ſuper omnia: meque ipſum tibi plene reſigno, & totius Intellectus, Voluntatis, & Memoriæ meæ victimam tibi offero in holocauſtum perpetuum; idque donec

Adveniat Regnum tuum.

Quod paraſti nobis ab origine mundi, ô Rex magne, & Princeps Regum terræ, qui regnaſti à ligno; & principem hujus mundi ejeciſti foras; Qui dilexiſti nos, & laviſti nos à peccatis noſtris in Sanguine tuo, ut faceres nos Regnum & Sacerdotes Deo.

O Ieſu Rex meus, & Deus meus; Ecce ego ſervus tuus, & filius ancillæ tuæ: Eligo te hodie mihi in hac Communione ſeu Sacrificio Miſſæ, in Regem perpetuum; & offero me tibi in ſervum ſempiternum. Tibi ſoli ſacrificabo deinceps hoſtiam laudis, & nomen tuum invocabo. Sit nomen tuum, Domine, benedictum, ex hoc nunc & uſque in ſeculum.

II. EVCHARISTICVM.

Fiat voluntas tua.

Domine Ieſu Chriſte, qui veniſti in hunc mundum, ut faceres voluntatem Patris tui, & opus Redemptionis noſtræ, quod tibi dederat, perficeres. Vnde & ad eam implendam factus es obediens Deo Patri, uſque ad mortem, mortem autem Crucis. Hujus autem obedientiæ merito, omnis gratia, ſalus & vita, & omnia in nos bona tam copioſe redundant.

Sed quid ego retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi: Scio nihil tibi gratius fieri poſſe, quam ſi voluntas tua per nos in omnibus fiat.

Ecce itaque in unione ſanctiſſimi Sacrificii tui, quo te Æterni Patris voluntati ſponte ſubjeciſti: (Oblatus enim es, quia ipſe voluiſti) quodque ego nunc in hac

Communione, vel Miſſa recolo; omnem voluntatem meam tuæ libens & integre ſubjicio; & hanc ab omnibus, ubique & ſemper, pleniſſimeque fieri percupio; idque in Gratiarum actionem pro omnibus beneficiis tuis, Creationis, Redemptionis, Conſervationis, Gubernationis, *&c.*

Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me ſunt, Nomini ſancto ejus, *&c.*

III. IMPETRATORIVM.

Panem noſtrum quotidianum.

O Pater amantiſſime, cujus infinita liberalitate Ieſus Chriſtus Filius tuus datus eſt nobis Dux, Medicus, Paſtor Nutritius, *&c.* Sic enim dilexiſti mundum, ut Filium tuum Vnigenitum dares.

Qui ergo proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donabit? præſertim cum tantam ejus fiduciam ipſe nobis Filius ſuggerat, dicens: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.*

Nunquid ergo, ſi petierimus *Panem*, dabit nobis lapidem, aut pro ovo Scorpionem?

Ecce nomen ejus, & ſimul infinita merita Sacrificii in Cruce peracti, repræſento tibi, Pater Æterne; & rogo ut Panem quotidianum des nobis, Panem Corporis, ſed Animæ præcipuè: ſub *illo* quidem petens omnia vitæ præſenti neceſſaria ſubſidia, ut melius ſerviamus tibi: ſub *iſto* cibum animæ, ſeu dona gratiæ, & quæcunque ad cor confirmandum pertinent; ne deficiamus in via, qua tendimus ad Patriam; ubi ſatiabimur ab ubertate domus tuæ, *&c.*

IV. PRO-

IV. PROPITIATORIVM.

Et dimitte nobis.

O Pater miſericordiarum, apud quem habemus advocatum D. N. Ieſum Chriſtum, qui factus eſt propitiatio pro peccatis noſtris; & reconciliavit nos tibi in Sanguine ſuo cum ſe *Hoſtiam pro peccato* in Ara Crucis obtulit. O pretium magnum! ô copioſa redemptio,& ſatisfactio ſuperabundans pro meis, imo totius mundi peccatis!

Hanc modo repræſento & offero tibi, ô pie Pater, dum in hac Miſſa, vel Communione, illius memoriam renovo.

Sed & victimam corporis & membrorum meorum voluntaria mortificatione immolo tibi in ſacrificium ſpiritus contribulati. Cor contritum & humiliatum Domine, ne quæſo deſpicias: ſed reſpice in faciem Chriſti tui, qui peccata noſtra pertulit in corpore ſuo; cujus livore ſanati ſumus.

Quid vero proderit nos à peccatis præteritis liberatos eſſe,ſi non muniamur adverſus futura? Rogamus itaque:

Et ne nos inducas.

Nam proni ſunt ſenſus hominis ad malum ab adoleſcentia ſua. Domine tu noſti miſeriam noſtram,& infirmitatem figmenti tui, & quam nihil poſſimus ſine te. Rogo te per vim clementiæ tuæ, & propitiatorii illius Sacrificii in Cruce peracti,ut procul à nobis omnia ſcandala, tentationes, pericula, occaſiones amoveas, per quæ denuo nos ad peccandum induci poſſe prævides.

Abſit ut iratus nobis, tradas nos in deſideria cordis noſtri; & tentationibus, quaſi fluctibus maris expoſitos ſine Rectore & remige jactari ſinas. Quin tu, ô fidelis Deus, eſto mecum in tentatione, & non permittas me tentari ſupra id, quod poſſum.

Ad hoc offero tibi Sacrificium Corporis & Sanguinis tui, ut vires contra tentationes Mundi, Carnis ac Dæmonis mihi præſtes. Si tu Domine nobiſcum & pro nobis, nihil nobis nocere poterit.

Sed libera nos.

O Domine, qui neminem vis perire, ſed omnes ſalvos fieri; mala quoque pœnæ, per quæ in malum culpæ, id eſt, offenſam tui, & jacturam ſalutis impelli poſſemus, à nobis auferri petimus. Flagella iracundiæ tuæ, Bella, famem, morbos, *&c.* à nobis clemens averte.

Agnoſcimus nos merito hæc pati, quia peccavimus in te fratrem, imo Patrem noſtrum; & jam non ſumus digni vocari filii tui.

Attamen propter temetipſum Domine, & propter nomen tuum, quoniam bonum eſt, amove à nobis plagas tuas, & omnia mala propitiatus averte, aut ſaltem fac, ut diligentibus te, omnia, etiam mala, cooperentur in bonum.

Hoc fine offero tibi ô Ieſu, ſacrificium iſtud, ſeu Communionem Corporis & Sanguinis tui, imo Te ipſum velut antidoton & alexipharmacon omnis mali. Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam Tu mecum es.

Aliud Exercitium in Oratione Dominica, VII *Verbis in Cruce accommodatum habes infra cap. 7. de Modo Aud. Miſſam, n.* 12.

CAP. IV.

METHODVS ſeu PRAXIS

Expedita, pie & utiliter, tum Communicandi, tum celebrandi Miſſam.

AD fructus ex ſacramento Euchariſtiæ, & ſacrificio Miſſæ percipiendos; ipſe Modus accedendi plurimum momenti habet.

Ad-

Adverte itaque, modum valde imperfectum, & expertem ſpiritualis conſolationis eſſe, non niſi vulgares quaſdam & conceptis verbis expreſſas precandi formulas ante & poſt Miſſam & Communionem recitare. Majorem utique requirit induſtriam & præparationem hoc Sacramentum tam ſublime, & tantis pollens gratiarum donis ac virtutibus; ſed tamen in operatione reſpondens modo ac diſpoſitioni recipientis.

Eſt enim hoc Sacramentum cibus animæ, non minus ei utilis & neceſſarius, quam ſuus corpori. Cæterum prodeſt is cibus, nutritque plurimum, qui cum fame ſumitur: ad hanc autem excitandam conducit, aliquod corporis exercitium cibi ſumptioni præmittere: illud enim vitioſos humores in ventriculo reſiduos abſumit ac diſſipat; unde excitatus calor naturalis acuit ſtomachum, ut cibi ſit appetentior, & cibus ipſe fiat aptior ad concoctionem, bonamque totius corporis nutritionem.

Pari prorſus ratione, ut animæ cibus (id eſt, Sacramentum Corporis & Sanguinis Chriſti) magis proſit, cum fame ſumendus erit. quid facto opus, paucis accipe:

Mens piis meditationibus, ſanctiſque exercitiis occupanda. Hæc enim pravas animæ paſſiones paullatim expellent, & calorem in ea charitatis, & divini amoris ignem accendent; ut cibi cœleſtis fiat avidior, aptiorque ad illum cum fructu, & augmento ſumendum.

Alioquin ſine fame & orexi ſumes hunc Cibum, adeoque guſtum illius perexiguum habebis: Et quid reſtat, niſi ut tandem nauſeet anima tua ſuper cibo iſto tanquam leviſſimo? quia nimirum non guſtas, quam ſuavis ſit Dominus in hoc cœleſti cibo, qui etſi contineat omnem ſaporis ſuavitatem, tamen non niſi animam inanem, & eſurientem ſatiabit bonis.

Exercitia itaque dabimus ad majorem hujus cibi famem fructumque accommodata, ſed quæ per modum piarum aſpirationum uſurpes, non obiter & perfunctorie, ſed affectuoſe, & corde potius, quam ore pronuncies.

Vnus enim animi affectus eſt, quo niſi commendetur & condiatur quodvis pietatis opus, ingratum erit, ac prorſus inſipidum.

Liberum cuique erit hæc exercitia extendere. Nos enim modum

duntaxat, & formam præſcripſimus. Quamvis verear ne ſint, qui hoc, vel ſimile exercitium faſtidiant tanquam prolixius, quod toties circa Communionem aut Miſſam adhibeant.

Sed utinam illi majeſtatem hujus ſacrificii & Sacramenti melius perpenderent, & ex illius uſu fructum & ſpiritualem refectionem percipere magis ſerio cuperent: nihil enim durum amanti: unde operæ & laboris neſcit faſtidium, in quo gratiæ cœleſtis flagrat deſiderium.

Quod ſi non vacet ſemper, utile tamen erit ſæpius hoc pacto ſacram Communionem, aut Miſſæ ſacrificium inſtituere.

Quamquam non videam, qua fronte hac in re poſſit à nobis accuſari prolixitas, qui alias in rebus ludicris vaniſque nimium ſumus prolixi & temporis prodigi.

Quotusquiſque eſt, qui non in dies ſingulos unius ſolidæ horæ (ne dicam plurium) ſpacium, facile indulgeat curando & cibando corpori? Et grave erit tantundem, imo vel horæ quadrantem dare cœleſti convivio? At tibi non niſi mortale corpus, hic anima immortalis pabulum accipit.

Quid! cætera corporis, & rei familiaris negotia, tanta cura & diligentia, tam accurate & attente peragi; Animæ vero & ſalutis negotium, & hoc negotiorum omnium maximum, tam oſcitanter & præcipitanter tractari!

EXERCITIVM
ante Miſſam aut Communionem.

Puncta hujus exercitii varia, ad tria principalia revocari poſſunt. I. Probatio ſui. II. Excitatio Devotionis. III. Poſtulatio Gratiæ.

I. PVNCTVM.
PROBATIO SVI.

P*robationis neceſſitatem indicant* I. Sacrificia veteris Teſtamenti, *quæ ſigna tantum ſeu umbra & figuræ hujus Sacramenti erant, & tamen non niſi à mundis ſanctiſque tractari debebant. Mirum ſane, quot cerimoniis ritibuſque expiari debuerint,*

buerint, qui illa offerebant. Vide Exod. 38. Lev. 22, *&c.*

2. *Graviſſima Apoſt. Verba, quibus indigne ſumentes aſſerit reos fore Corporis & Sanguinis Domini. O quam neceſſe, ſerio monentem vel potius minantem audire!* Probet ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat, *&c.*

3. Ipſa ratio, *quia ſancta nonniſi ſancte tractanda, quid autem ſanctius hoc Sacramento, in quo præſens eſt ipſe Sanctus Sanctorum?*

I. *In primis ergo examina conſcientiam tuam, quam ſi gravioris culpæ ream invenis, pœnitentiæ Sacramento expiabis, ne indignus accedas, & judicium tibi manduces. Leviores quoque culpas & inordinatos animi affectus removere conaberis, ut pleniorem ex hoc Sacramento fructum capias. Deinde concipe intimum de peccatis dolorem, cum firmo emendationis propoſito.*

O Dulciſſime *Deus* Creator ac Salvator meus, doleo ex intimo corde, quod unquam offenderim te Dominum ac Deum meum, te, quem amare debeo ſuper omnia, quia & ſuper omnia bonus es, & plurima mihi bona tribuiſti: &, heu, infelix & ingratus ego peccator non retribui, niſi mala pro bonis.

Verum propitius eſto peccatis meis Domine, nunc enim firmiter ſtatuo ac propono non amplius te offendere, omneſque peccandi occaſiones fugere, ideoque nunc hoc Sacramentum ſumere cupio, ut in amore tui confirmer, & contra omnes peccandi occaſiones muniar, ut tu in me, & ego in te maneam.

II. *Vide an recta & ſyncera intentione ad hæc ſacra myſteria venias, an ex conſuetudine tantum, aut alio fine inordinato. Valde autem utilis eſt Probatio Intentionis, quia Intentio dat ſpeciem actui, & eſt radix meriti. Praxis erit hujuſmodi.*

CVpio ô *Deus*, offerre tibi hoc ſacrificium ad laudem & gloriam nominis tui, ad utilitatem quoque animæ meæ, totiuſque Eccleſiæ tuæ ſanctæ. Itaque voluntarie ſacrifi-

crificabo tibi, & confitebor nomini tuo, Domine, quoniam bonum eſt.

Quid enim aliud quæram præter te, ô *Deus* meus & omnia? Si te habeo, quid eſt quod non habeam? Si te colo propter te, tu eris merces mea magna nimis. Quid autem mihi ſit in cœlo, & à te quid velim ſuper terram: cum tu ſis pars hæreditatis meæ & calicis mei, tu, qui reſtitues hæreditatem meam mihi? *&c.*

Poſſet autem Directio Intentionis *particularius fieri, ſi ſpectentur* Fines *ad quos ex vi inſtitutionis, Sacrificium adeoque Sacramentum referri debet.*

I. Enim eſt LATREVTICVM;

Seu holocauſtum, offerendum Deo, in agnitionem ſupremi ejus dominii, & tanquam ſummus cultus ſupremæ majeſtati ejus debitus.

O Domine, dignus es propter ſummam excellentiam, ſapientiam, & potentiam tuam, accipere ab omni Creatura laudem, gloriam, & honorem. Itaque confitebor tibi Domine in toto corde meo, & glorificabo nomen tuum in æternum, immolabo tibi Sacrificium laudis, & reddam tibi, ô Altiſſime, vota mea, *&c.* Sis benedictus, laudabilis, & glorioſus & ſuperexaltatus in ſecula.

II. Eſt EVCHARISTICVM,

Seu pacificum, offerendum Deo gratiarum actionem pro innumeris ejus beneficiis.

QVid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? qui toties propitiatur omnibus iniquitatibus meis; & inſuper coronat me in miſericordia & miſerationibus? Qui toties replet in bonis deſiderium meum, & tam benigne providet corpori & animæ meæ? Minor ego ſum cunctis miſerationibus tuis Domine; quia miſericordia tua magna eſt ſuper me, *&c.*

O Do-

O Domine, quia me feciſti, debeo tibi meipſum; & quia me refeciſti per Filium, qui pro me factus eſt homo, deberem pluſquam meipſum.

Sed quid ſum ego? pulvis & cinis; quid cætera? Ventus & vanitas. Sed & tu, Domine, bonorum meorum non eges. Ecce itaque Filius tuus dilectus. Eum tibi, o Pater, offero in gratiarum actionem, quia nihil poſſum melius, nec gratius offerre, quam eum in quo tibi bene complacuit.

III. Eſt PROPITIATORIVM,

Offerendum Deo, in propitiationem peccatorum.

O Domine, tam amanter invitatus ad ſplendidum convivium tuum, quid faciam ego miſer, nudus, & inops, nec habens veſtem nuptialem; & conſcius tot peccatorum, quibus iram merui potius quam gratiam? Ecce Mediator Dei & hominum, Chriſtus Ieſus Filius tuus. Hunc offero Tibi; ipſum inquam, qui peccatum non fecit, ſed factus eſt propitiatio pro peccatis noſtris, & lavit nos in ſanguine ſuo, *&c.*

O Domine, reſpice in faciem Chriſti tui, & vide quantos in vita labores, in paſſione pœnas, in morte dolores pro nobis ſuſtinuit. Offero tibi hæc omnia in ſatisfactionem pro peccatis meis, idque per hoc Sacrificium, ut hujus virtute, illorum vim ac efficaciam mihi impertias, & clementer indulgeas delicta mea, neque vindictam ſumas de peccatis meis.

IV. Eſt IMPETRATORIVM,

Offerendum Deo, ad impetranda Bona Corporis & Animæ, & avertenda quæcunque mala, idque pro nobiſmetipſis, Amicis, & Inimicis, Iuſtis, & Peccatoribus, Vivis, Defunctis, &c.

O Domine, dives in bonis, & largus in donis: à quo, per quem, & in quo ſunt omnia. Ego vero ege-

egenus & pauper ſum. Sed quid non impetremus à te, qui nobis dediſti fontem ipſum omnis gratiæ, id eſt, Vnigenitum Filium tuum; & ſimul cum illo omnia nobis bona donaſti? In hunc omnes gratiæ bonitatis, ac ſapientiæ theſauros ſine menſura congeſſiſti, ut eſſet dives in omnes.

Eum itaque offero tibi, ut per eum qui interpellat pro nobis, & exaudiri meretur pro reverentia ſua, des Eccleſiæ tuæ incrementum & pacem; Iuſtis perſeverantiam; Peccatoribus veniam; Defunctis refrigerium; nobis omnibus tuam gratiam, & tandem vitam æternam, *&c.*

V. *Quia hoc Myſterium inſtitutum eſt à Chriſto, in memoriam Paſſionis ſuæ, perutile eſt, Deoque gratiſſimum, ſpeciali directione Intentionis illud offerre ob memoriam & venerationem Paſſionis Dominicæ.*

II. PVNCTVM.
EXCITATIO DEVOTIONIS.

Acceſſurus ad hæc tremenda Myſteria, non contentus habituali devotione, actualem omni ſtudio excita. Proderit ad hoc, una cum exercitio nobiliſſimarum virtutum meditari ſequentia: (nam in meditatione exardeſcit ignis devotionis) nempe: Quis ſit, qui in hoc ſacramento venit, Ad quos veniat; Quare, quomodo, quoties veniat, &c.

I. Exercenda FIDES.

Cogitando quod ſit Chriſtus ipſe, verus Deus & homo, pro nobis natus, paſſus, & mortuus, vere & realiter hic præſens, &c.

O Chriſte Ieſu, verus Deus & Homo, unius cum Patre ſubſtantiæ, majeſtatis & potentiæ; firma fide credo ac profiteor, quia tu vere ac reipſa præſens es in hoc Sacramento. Tu enim ipſa veritas dixiſti: *Hoc eſt corpus meum.* Credo quidquid dixit Dei Filius, nihil hoc verbo veritatis verius: Domine adauge fidem meam; *&c.*

Hoc

Hoc fidei exercitium hic cumprimis utile eſt, quia viva fides hujus articuli eſt, cui innititur omnis Sacramenti hujus devotio. Nam ſi viva fide Chriſtum verum Deum ac hominem in hoc ſacramento præſentem credimus, qui fieri poteſt, tam modico reverentiæ ac pietatis affectu tractari à nobis tam ſancta ac tremenda myſteria?

II. Exercenda SPES,

Cogitando quod ſit Deus ſumme clemens, miſericors, mitis, ſapiens, &c.

O Domine virtutum, beatus homo qui ſperat in te, quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deum omnis boni fontem, & gratiæ auctorem, quem in hoc Sacramento præſentem habes: Accede ad eum confidenter, quoniam ſuavis, & mitis, & multæ miſericordiæ eſt omnibus invocantibus ſe. Ille ſolus dare poteſt omnia, quia ſuper omnia potens eſt, imo dare vult omnia, quia ſumme bonus eſt.

O ſpes mea Deus, propter hoc lætatum eſt cor meum, dum teipſum in hoc Sacramento recipio, quia ſpero plane nihil te non daturum, qui nobis dediſti teipſum; in te Domine confido, non confundas me ab expectatione mea.

III. Exercenda CHARITAS,

Cogitando, quod ſit Deus ſumme bonus, perfectus, liberalis, tam amans noſtri, &c.

O Dulciſſime Salvator Chriſte *Ieſu*, quanta fuit tui vis amoris quæ te traxit è ſinu Patris in hanc lacrymarum vallem, ut humanam carnem aſſumeres, infinitas miſerias, injurias, imo crucem, mortemque ſubires: idque ſolum propter miſeros nos homines & propter noſtram ſalutem.

O quantus amor! damnare nos poteras, & ſalvare maluiſti;

luiſti; nos rei eramus, & tu innocens ſubis ſupplicium, ut reos liberes.

Ex amore itaque ad nos in carnem veniſti; & demum abiturus ex hoc mundo ad Patrem, in pignus amoris hoc Sacramentum nobis reliquiſti, ut modo prorſus novo & mirabili ſemper maneres nobiſcum, cujus deliciæ ſunt eſſe cum filiis hominum.

O Domine, quantum dignus es amari, qui tanta facis amore noſtri? diligam itaque te Domine fortitudo mea. Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus.

O Deus charitas, qui in charitate manet, in te manet: cupio te ſuſcipere in hoc Sacramento, ut tibi firmius uniar amoris vinculo. Quis me ſeparabit à charitate Chriſti Salvatoris mei? utinam hoc, nec vita, nec mors, nec ulla fortunæ ſors, aut ulla creatura valeat.

IV. Exercenda HVMILITAS,

Et Reverentia, meditando quod ſit Deus ſummæ majeſtatis, & tamen è throno gloriæ ſuæ veniat ad te infimum terræ vermiculum, &c.

O Domine Deus noſter, quam admirabile eſt nomen tuum in univerſa terra! Tu es Rex cæli & terræ, quem laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Poteſtates.

Sed quid eſt homo, quod memor es ejus, faciens ei memoriam mirabilium tuorum? aut filius hominis, quoniam viſitas eum, in hoc Sacramento ad eum veniens? Domine, non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum, ſed tantum, *&c.*

V. Ex-

V. Excitanda FAMES,

Et deſiderium, conſiderando I. Multiplices fructus & gratias hujus Sacramenti: deinde tuas miſerias, & neceſſitates.

O Panis ſancte, panis cor hominis confirmans, quem qui manducat, vivet in æternum, qui non manducat, vitam non habebit. Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiſcit & deficit anima mea in atria tua Domine, ubi Panem illum diſpenſas, & das eſcam timentibus te.

Inclina aurem tuam & exaudi me, quoniam inops & pauper ſum ego; & refice eſurientem animam meam, ut in fortitudine cibi illius ambulem per hujus mundi deſertum uſque ad montem Dei, donec manducem te pleno ore in regno tuo, & ſatier ab ubertate domus tuæ.

VI. Denique *Exercitium ſeu Meditatio Paſſionis Dominicæ, inprimis efficax eſt, ad excitandam cordis devotionem*, &c.

III. PVNCTVM.

POSTVLATIO GRATIÆ.

Quia omnis noſtra diligentia, & omnis Præparatio minor eſt, quam ut tantis myſteriis ſufficiens eſſe queat, merito tandem à Deo gratiam; à B. Virg. Angelo Tutelari, SS. Patronis, & cœlitibus omnibus, opem ſubſidiumque ſupplices poſtulavimus.

I. *Itaque roga Deum per merita Filii, & omnium SS. ut gratiam tibi præſtet digne ſuſcipiendi hoc Sacramentum.*

O Summe Pater miſericordiarum, reſpice in faciem Chriſti tui, qui tibi in perfectiſſima charitate factus eſt obediens uſque ad mortem crucis, & in virtute meritorum ejus, nec non dulciſſimæ Matris ejus Virginis Mariæ, SS. Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum, & inprimis Patronorum meorum N. N. & omnium

omnium SS. gratiam mihi tribue, ut gratum tibi obſequium exhibere valeam, fac quæſo, ut quod meis non poſſum, placentium tibi meritis precibuſque conſequar.

II. *Repræſentatis Chriſto peccatis, imperfectionibus, omnibuſque neceſſitatibus tuis, per merita paſſionis & Sanguinis ejus pete veniam, & pie communicandi gratiam.*

O Ieſu Salvator mundi, qui veniſti peccatores ſalvos facere, & dixiſti: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos: Ecce ego peccator ad te venire audeo, quia copioſa eſt apud te redemptio.

Venio ad te, à quo recedens erravi, ſicut ovis quæ periit; ſed tu Paſtor bone, qui poſuiſti animam tuam pro ovibus tuis, qui veniſti quærere, & ſalvum facere, quod perierat, require ſervum tuum Domine, quia mandata tua non ſum oblitus.

Venio ad te multis plagis ſaucius, tot pravis paſſionibus graviter affectus, ſed tu Domine, ſi vis, potes me ſanare. noſti enim male habentibus opus eſſe medico.

Tu vero es ille Samaritanus, verus animarum medicus, qui languores noſtros portaſti, tu es, qui dediſti in animæ meæ medicamentum, pretioſi Corporis tui Sacramentum.

Miſerere ergo mei Domine, & ſana animam meam, quia peccavi tibi. Sacrificium tibi, Domine, ſpiritus contribulatus. Cor contritum & humiliatum non deſpicies. Hoc prius offero tibi, ut Sacrificium pretioſi Corporis & Sanguinis tui, ſecurius offerre valeam.

Tu itaque dirumpe vincula peccatorum meorum. Sic enim digne ſacrificabo tibi hoſtiam laudis, & nomen Domini invocabo, *&c.*

III. *Ad Spiritum ſanctum humiliter convertere, ut donis ſuis Chriſto Ieſu, dignum in te præparet habitaculum, ſicut fecit in Virgine Deipara.*

Quæ incluſa ſunt his ſignis [ ], ad ſolos Sacerdotes ſpectant.

O Clementiſſime Deus, ſine tuo numine nihil eſt in homine, ex te enim omnis ſufficientia noſtra. Sine te nihil boni facere, nec ſtatu aut vocatione noſtra digne fungi poſſumus. Cuſtodi animam meam, quoniam ſanctus ſum, ſalvum fac ſervum tuum Deus meus ſperantem in te. Sanctus ſum dono fidei & gratiæ quo me in Baptiſmo ſanctificaſti.

[Sanctus quoque ſum munere Sacerdotii, quo me fungi voluiſti (id enim ſanctum eſt; ut ei digne reſpondeam, ſanctus eſſe debeo, id eſt, ſegregatus à terrenis, purus, caſtus, multis gratiæ dotibus & virtutibus conſpicuus;) Sancti eſſe debebant, qui figuram tantum & umbram hujus Sacramenti gerebant: quanto magis ego, ipſam tractans rem & veritatem?]

Sed quis ſanctum & mundum faciet de immundo conceptum ſemine? Tu utique ô Deus ſanctificator, qui es Sanctus Sanctorum, à quo omnis ſanctificatio noſtra, &c.

IV. *Implora opem Sanctorum, ut tibi gratiam ſanctæ Communionis impetrent à Domino.*

O Sancti Dei omnes, per eum vos rogo, quem vos facie ad faciem, nos autem hic per ſpeculum in ænigmate videmus, & velatum in hoc Sacramento ſuſcipimus; ſuccurrite mihi quæſo precibus veſtris apud Deum, ut ſic illum nunc in Sacramento poſſim recipere, ut aliquando eum in propria ſpecie vobiſcum merear videre.

Tu præcipue ô ſacratiſſima Virgo Mater, quæ Spiritu ſancto cooperante, gratia plena, Deum & hominem

 puriſ-

puriſſimis viſceribus tuis concipere & portare meruiſti, impetra mihi, quæſo, gratiam ſancti Spiritus, per amorem Filii tui, ut & ego eum digne in hoc Sacramento excipere & portare valeam, *&c.*

Adſis ô Angele Cuſtos, & clientem tuum pio ductu dirige; ut Panem illum Angelorum, Dominum cæli & terræ, decenter excipiam.

O Patroni N. N. mei, Aulici Dei, ſuccurrite, & Domino veſtro hoſpitium cordis mei congruenter adornate, *&c.*

V. *Denique, ſi præmiſſis hujuſmodi exercitiis, necdum ſentis eum quem deſideras; & quem Sacramenti dignitas requirit, affectum, fervorem, & amorem in ſuſceptione hujus Sacramenti; noli dejici animo, ſed humiliter ora Deum, ut ſaltem deſiderium cordis & bonæ voluntatis affectum ſuſcipiat.*

O Deus ſcrutator cordis mei, cupio ſumere, utinam reipſa poſſim, mirabile & cœleſte Sacramentum omni, qua par eſt, pietate & religione, omni affectu, deſiderio, & fervore Angelorum, & electorum tuorum. Domine ante te omne deſiderium meum; paratum cor meum, Deus, paratum cor meum, offero tibi totum cor meum, & omnia. Deſiderium pauperis exaudi, ô Domine, præparationem cordis ejus audiat auris tua. Suppleat divina & immenſa tua benignitas, quicquid humana mea non valet infirmitas, *&c.*

Adverte hoc Exercitium, ut & ſequentia ita formata, ut & Sacerdotibus celebrantibus Miſſam, & Laïcis communicantibus ſervire poſſint, pauculis omiſſis aut mutatis.

Poſſunt iis quoque uti audientes Miſſam, pro ſpirituali Communione, ut ſic intentio audientis Miſſam magis conformetur intentioni celebrantis; & hic eſt utiliſſimus modus audiendi Miſſam.

Porro exhibemus hic varia Exercitia, longiora, breviora; velut diverſa fercula in una menſa; ut varietas arceat faſtidium, ex crebra unius & ejuſdem repetitione naſci ſolitum. Varii quoque, vario palato diverſa poſcunt.

ASPIRATIONES ſub Communionem.

MAgno reverentiæ & intimæ pietatis affectu adventus tanti Hoſpitis excipiendus eſt. Frequentabis ergo actus vivæ Fidei, Spei, & Charitatis: agnoſces & prædicabis Dei majeſtatem, bonitatem, & clementiam: propriam fateberis miſeriam & fragilitatem. Hinc intimis animi deſideriis & affectibus cum Chriſto jam præſente colloqueris. Huc poſſunt adhiberi breves ſed ignitæ Aſpirationes, quales in Pſalmis & Euangeliis multæ: Sed corde potius, quam ore proferendæ: donec poſt receſſum ab altari in quiete prolixius eaſdem expendere liceat. Nos hic aliquas ſuggeremus.

Sub ſacra Communione; tum & alias uſui futuræ.

Diligam te Domine fortitudo mea; Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus.

Quid eſt homo, quod memor es ejus, aut filius hominis, quia viſitas eum?

Quam bonus Iſraël Deus, his qui recto ſunt corde!

Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in ſeculum miſericordia ejus.

Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi ejus.

Quoniam confirmata eſt ſuper nos miſericordia ejus, & veritas Domini manet in æternum.

Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum: ita deſiderat anima mea ad te Deus, *&c.*

Mihi adhærere Deo bonum eſt, & ponere in Domino Deo ſpem meam.

Quid enim mihi eſt in cœlo, & à te quid volui ſuper terram?

Magnificat anima mea Dominum.

Et exultat Spiritus meus in Deo ſalutari meo, *&c.*

Beatus venter qui te portavit, *&c.*

Vnde hoc mihi ut Dominus meus veniat ad me?

 Bene-

Benedictus, qui venit in nomine Domini. Domine non ſum dignus, *&c.*

Similia unicuique facile privata induſtria; aut potius unctio Spiritus ſuggeret.

Huc ſpectant & hujuſmodi amoroſa ſuſpiria.

Quis es tu, Domine, & quis ſum ego?

Tune venis ad me, Rex ſummus, ad infimum ſervum? *&c.*

Tu, qui de ſinu Patris, veniſti in puriſſimum Virginis uterum, intrabis in hoc vas impurum, & ſtabulum ſordium?

Scio, Domine; amor urget & vincet te. Eja veni Domine, & noli tardare. Sed veniat, obſecro, tecum illa multum deſiderabilis bonitas, manſuetudo, charitas, & miſericordia tua, per quam excuſetur, & juvetur miſeria mea.

Ecce Domine jam habeo te, qui habes omnia. Poſſideo te, qui potes, & poſſides omnia: Ergo ô Deus meus & omnia: abſtrahe cor meum à cæteris omnibus extra te, in quibus nil niſi vanitas & afflictio ſpiritus; in te uno fixum ſit cor meum, in te ſit requies mea, ubi eſt theſaurus meus, ſumma veritas, & vera felicitas, & felix æternitas.

Sentiat, ô Domine, mens mea dulcedinem præſentiæ tuæ. Guſtet, quam ſuavis ſis Domine, ut ineſcata amore tui, nihil quærat extra te, unde gaudeat, quia tu es gaudium cordis mei, & pars mea Deus in æternum.

Tu es medicus animæ meæ, qui languores noſtros tuo livore ſanaſti. Ego vero ſum infirmus ille, ad quem ſanandum de cœlo veniſti, itaque ſana animam meam, quia peccavit tibi.

Tu es Paſtor bonus, qui poſuiſti animam tuam pro ovibus tuis. Ecce ego ovis illa, quæ perierat, & tamen dignaris me paſcere Corpore & Sanguine tuo: Suſcipe me

me nunc in humeros tuos. Quid negabis mihi, qui Teipſum dediſti? Rege me, & nihil mihi deerit, in loco paſcuæ, ubi me collocaſti; donec ad paſcua vitæ æternæ perducar.

O lux vera, quæ illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in mortem, *&c.*

O ignis jugiter ardens, & nunquam deficiens. Ecce me tepidum & frigidum: ure renes meos & cor meum; ut ardeant amore tui. Ignem enim veniſti mittere: & quid vis niſi ut accendatur?

O Rex cœli & terræ, dives in miſericordia, ecce ego egenus & pauper ſum, tu noſti, ubi magis egeam; tu ſolus me ditare & juvare potes. Deus adjuva me, & ex theſauris bonitatis tuæ ſuccurre inopi animæ meæ.

O Dominus meus, & Deus meus. Ecce ſervus tuus ſum ego, da mihi intellectum, & excita affectum, ut ſciam, & faciam voluntatem tuam.

Tu es Agnus Dei, Agnus ſine macula, qui tollis peccata mundi, tolle de me, quod mihi nocet, & tibi diſplicet; & da, quod noſti tibi placere, & mihi prodeſſe.

Tu es amor meus, & omne gaudium. Tu es Deus meus & omnia. Tu es pars hæreditatis meæ, & calicis mei, tu es qui reſtitues hæreditatem meam mihi.

O Deus meus & omnia, abſorbeat, quæſo mentem meam vis ignita & melliflua amoris tui, ut amore amoris tui mundo moriar, qui amore mei dignatus es in cruce mori, ô Deus meus & omnia.

CAP. V.

EXERCITIVM poſt Miſſam aut Communionem.

Pro Sacerdotibus & Laicis.

PEracta Miſſa aut Communione, permagni refert, noſſe uti illo tempore, quo apud nos demoratur Chriſtus, & tanti hoſpitis præ-

ſentia frui. Neque enim tempus, ad negotia ſalutis agenda, magis opportunum habere poſſumus, quam cum ipſum, penes & intra nos habemus ſalutis Auctorem.

Pulcre ac pie, ut ſolet, monet Thomas de Kempis lib. 4. de Imitat. Chriſti. Oportet, *inquit*, ut non ſolum præpares te ad devotionem ante Communionem, ſed ut etiam te ſollicite conſerves in ea, poſt Sacramenti perceptionem. Nec minor cuſtodia poſt exigitur, quam devota præparatio prius. Nam bona poſtmodum cuſtodia, optima iterum eſt præparatio ad majorem gratiam. ex eo quippe redditur quis valde indiſpoſitus, ſi ſtatim fuerit ad exteriora nimis effuſus.

Ex teipſo diſce, quid hic facto opus ſit. Si quiſpiam invitaſſet te; ſed domo jam exceptum, mox, quaſi tædio conſortis, deſereret te, & ad quæ neſcio ludicra & inania ſeſe converteret, non dignatus te familiari colloquio, aut ullo benevolentiæ & humanitatis officio, nonne inurbanum & indignum hoc eſſe diceres, deteſtans etiam hujuſmodi amicum, utpote parum officii memorem?

Vide itaque, quid de iis dicendum, qui Deo in domum ſuam recepto, (qualis vero, quantuſque hic hoſpes eſt?) mox illi dorſum obvertunt, & abeunt; nec curant cum eo pauliſper converſari, quid hoc eſt, niſi vilipendere hoſpitem? imo etiam graviter offendere? maxime cum is ſit hoſpes, qui venit ad te, non ut reficiatur à te, ſed ut reficiat te.

Quid ergo ſic properas? quid quæris præter Deum tuum? plus ille te docebit, quam omnes libri; plus delectabit, quam omnes amici; plura præſtabit commoda, quam omnes mundi artes, opes ſcientiæ, &c.

Tu ergo duc hoſpitem in cubiculum interius, id eſt, cor tuum; cave à multiloquio; (*ait cit. Thomas,*) mane in ſecreto, & fruere ſuaviſſimo hoſpite tuo: ipſum enim habes, quem totus mundus tibi auferre non poteſt.

Nos vero pro praxi facile Exercitium dabimus; idque tribus potiſſimum Punctis comprehenſum.

I. PVN-

I. PVNCTVM.

GRATIARVM ACTIO.

I. *Vt excites te ad debitam Gratiarum actionem, exerce actus vivæ Fidei; mixtis affectibus Humilitatis, Reverentiæ, admirationis,* &c.

O Clementiſſime Salvator, Chriſte Ieſu, quam ſuavis es & mitis, & multæ miſericordiæ, omnibus invocantibus te? Cum enim non eſſemus, divina Potentia *Creaſti* nos: cum inimici tui eſſemus, è cœlo veniens mira Sapientia *Redemiſti* nos: & quia ſine te tam corpore, quam ſpiritu, vivere, moveri, & eſſe non poſſumus, immenſa *Bonitate* tua, tot Sacramentis & auxiliis gratiæ nos uſque *Conſervas*, imo corpus & Sanguinem tuum, id eſt, *Teipſum*, modo prorſus admirabili, in hoc Sacramento largiris. O charitas! ô pietas! ô novum, & grande myſterium!

Tunc Deus meus, ad me venire dignaris? Rex ac Dominus ſummæ Majeſtatis, ad infimum ſervum? Deus ad hominem? Creator ad creaturam?

Vnde hoc mihi ut tu Domine venias ad me? à quo abire poteras, quia homo peccator ſum: quid eſt homo, quod memor es ejus, aut filius hominis, quia viſitas eum? An neſcis, quis ſim ego? pulvis utique & cinis, vas ſordium, eſca vermium, & ad hunc tu de cœlo venis? O Deus, & Dominus noſter, quam admirabile eſt nomen tuum in univerſa terra?

II. *Hic exerce actus Gratitudinis, & Laudationis Dei, pro tantis beneficiis.*

Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? utinam aperiantur labia mea, & repleatur os meum laude, ut cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam; & enarrem univerſa mirabilia tua.

Magnificet anima mea Dominum, tot tantiſque affe-

cta beneficiis, & exultet ſpiritus meus in Deo ſalutari meo, quia reſpexit humilitatem ſervi ſui, & fecit mihi magna qui potens eſt, & eſurientem implevit bonis.

Benedic ergo nunc anima mea Domino, & omnia, quæ intra me ſunt, Nomini ſancto ejus; Benedic anima mea Domino, & noli oblviſci omnes retributiones ejus; Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis; qui ſanat, per hujus Sacramenti virtutem, omnes infirmitates tuas, *&c.*

III. *Quia ſolus omnino non ſufficis, tantis beneficiis digne prædicandis, omnes Sanctos, imo & creaturas omnes ad Deum collaudandum invita. Sicut tres Pueri in fornace ignis incolumes, omnes cœli, terræ, mariſque creaturas ad Dei laudem provocabant, dicentes unà voce;* Benedicite omnia opera Domini Domino, *&c. Sed quanto potius nos, cum eum recepimus intra nos, per quem à morte & æterni ignis incendio liberati ſumus? Vnde pio Eccleſiæ ritu Sacerdotes illud Canticum poſt Miſſam recitare ſolent.*

Magnus es Domine & laudabilis nimis; Et quis narrabit potentias tuas, auditas faciet omnes laudes tuas? Ego quidem, etſi omnia membra mea verterentur in linguas, & omnes vitæ meæ reſpirationes in tui laudes & gratiarum actiones; attamen longe minor eſſem cunctis miſerationibus tuis. Vnde agnoſcens inſufficientiam meam, id unum votis omnibus exopto, ut omnes Creaturæ tuæ, mecum & pro me laudent & benedicant nomen tuum in æternum.

Sed ante omnia, ô clementiſſime Deus, accipe laudes & gratiarum actiones, quas Filius tuus Salvator noſter in aſſumpta humanitate ab inſtanti Incarnationis toto vitæ ſuæ decurſu perſolvit. Et illas præcipue; cum inſtituens hoc Sacramentum, & quaſi jam tum agnoſcens, impares nos eſſe gratiis tanto beneficio referendis, elevatis oculis in cœlum, ad te Deum Patrem ſuum omnipotentem, omnium noſtrûm nomine tibi gratias egit.

Suſcipe

Suſcipe ô mitiſſime Pater, & illas gratiarum actiones, quas B. V. Vnigeniti Filii tui Mater, tibi obtulit, quando eum, quem ego ipſe jam incluſum pectori meo complector, ipſa ſuis caſtiſſimis viſceribus concepit, portavit, & peperit; Nec non & illas, quas toto vitæ ſuæ tempore, & potiſſimum, quoties jam ſublatum in cælos, in Sacramento recepit, ex ardenti cordis deſiderio & intima devotione perſolvit.

Benedicant quoque, & laudent te omnes Angelici ſpiritus, qui throno Majeſtatis tuæ jugiter trementes adſiſtunt, & cantant inceſſabili voce, dicentes: Sanctus; Sanctus; Sanctus.

Deſidero quoque ex toto corde, ut omnes Sancti & amici tui, tecum modo regnantes in cœlis, quorum communionem credimus, meam inſufficientiam compenſent ſuis digniſſimis laudibus, quas unquam hic in terris, in uſu, & veneratione hujus Sacramenti devotiſſime obtulerunt; & quas tibi modo decantant, cum revelata facie comedunt Panem vitæ; & torrente voluptatis tuæ potantur. Participem me fac Deus omnium timentium te, & cuſtodientium mandata tua.

O utinam pariter omnium piorum fidelium affectus, fervores, & omnia tibi in terris placentium vota, deſideria & merita in me unum colligere poſſem; & ſic tota animi intenſione te amare, & honorare, pro tanto amore & honore, quo me in hoc Sacramento dignatus es.

Profiteor enim, ſi quotquot in mundo fuerunt, ſunt, aut erunt devotorum, qui debita cum præparatione, devotione & fructu diviniſſimum hoc Sacramentum unquam acceperunt, vel accipient: Si, inquam, eorum omnium conatus, deſideria, & grati piique affectus, in me unum concurrerent, libens ſane & ultro omnia prorſus in laudem & gloriam Nominis tui, & debitam gratiarum actionem converterem. Et tamen (ingenue fateor, ô Domine) nihilominus ſervus inutilis eſſem;

nec condigne te laudare poſſem; quia major es omni laude. Sed parce mihi Domine, quia inops & pauper ſum ego, & ſaltem deſiderium pauperis, ſed obſequium bonæ voluntatis non deſpicias. O utinam benedicant omnia opera Domini Domino, laudent & ſuperexaltent eum in ſecula, *&c.*

II. PVNCTVM.
OBLATIO.

I. *Offer Deo Patri Filium, una cum omni ejus meritorum theſauro.*

O Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, quomodo dilexiſti nos! Ita nimirum, ut Filium tuum Vnigenitum dares; ſemel quidem in pretium, ſed indies in cibum. Quid tibi pro tanta charitate vilis ego creatura retribuam? Hoc ipſum, quo tu nihil dignius dare poteras; ego nihil majus accipere. Ipſum, inquam, dilectiſſimum Filium tuum offero tibi, mi Pater, quem pro ſalute mea tam amanter obtuliſti; & in hoc [*Sacrificio*] Sacramento, quod pro jugi illius beneficii memoria celebramus, tam gratioſe [*offerendum*] ſumendum dediſti.

Quem potius tibi offeram, ô Pater æterne, quam Filium tuum dilectum, in quo tibi bene complacuit? Quem alium dirigam interceſſorem tibi ego reus, niſi hunc, qui eſt propitiatio pro peccatis meis? Advocatus; Pontifex Summus, non alieno ſed proprio perfuſus cruore, Hoſtia ſancta; Agnus ſine macula, qui peccatum non fecit; ſed tulit peccata mundi, & languores noſtros ſuo livore ſanavit?

Ecce ſpes mea; tota fiducia mea, Chriſtus Ieſus Filius tuus Salvator meus. Noli, quæſo, deſpicere hanc oblationem, quamvis id mereatur offerentis vilitas; ſed aſpice, precor, propitius, quia in infinitum major eſt oblati dignitas. Reſpice in faciem Chriſti tui, qui tibi

tibi pro noſtra ſalute factus obediens uſque ad mortem in cruce pro nobis ſeſe hoſtiam obtulit.

Nonne hic eſt innocens ille, quem, ut ſervum redimeres, Filium tradidiſti? Recole, pie Pater, quia hic eſt ipſe, quem, etſi ex tua virtute parem tibi ab æterno genuiſti, meæ tamen carnis participem fieri voluiſti, ut conſors humanitatis, conſortem me faceret divinitatis.

Attende in Filio, quod te moveat miſereri ſervo; & dum dilecti Filii tibi patent vulnera, mea quæſo tegantur ſcelera: & quia caro mea te laceſſivit ad iram, caro Filii tui te flectat ad miſericordiam.

Suſcipe igitur, ô ſancte Pater, omnipotens, æterne Deus, ſanctam hanc & immaculatam hoſtiam Filii tui, quam ego indignus famulus tuus tibi offero, una cum omnibus ejus virtutibus, meritis, vulneribus, cruciatibus, plagis, ſuſpiriis, ſacri ſudoris ac cruoris guttis.

In unione illius amoris, quo ipſe tibi in Ara crucis ſemetipſum obtulit, in laudem & gloriam nominis tui, in gratiarum actionem pro omnibus beneficiis tuis in me, & in totum genus humanum collatis.

In expiationem quoque peccatorum meorum; in ſuppletionem omnium defectuum meorum: in ſolatium & refrigerium omnium fidelium vivorum, & defunctorum, *&c.* Per eundem, quem hic offero, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum, *&c.*

II. *Offer teipſum Chriſto, qui ſe tibi tam amanter offerre dignatus eſt.*

O amantiſſime Salvator, quam magna eſt miſericordia tua ſuper me! quem, etſi vilem & indignum peccatorem, emiſti pretio tam magno, pretioſiſſimo, inquam, ſanguine tuo!

Nam ut me Satanæ mancipium liberares, tu verus Dei Filius temetipſum in ara crucis Deo Patri in redemptionis pretium obtuliſti: ut vero me paſceres & confortares, temetipſum nunc in cibum dediſti.

Quid

Quid retribuam Domino, cum inops & pauper ſim ego, pro omnibus quæ retribuit mihi? Viſne ut præbeam tibi cor meum? Nihil æquius. Nonne Deo ſubjecta erit anima mea, à quo eſt omne ſalutare meum?

Omni prorſus jure animam meam ſibi vendicat, qui pro mea ſuam poſuit. Paratum cor meum Deus, paratum cor meum. Ecce animam ſimul & corpus meum. Accipe me totum, qui me totum feciſti; & cum totus perieram, pro me totum te dediſti.

Verum quæ commutatio, ſi pro te reddam me? nempe, pro Domino ſervum? pro Deo hominem? pro Sancto & juſto impium? pro Agno immaculato ſordidum peccatorem? *&c.*

Sed tu Domine qui dignum habuiſti me; pro quo dares, non alium quam te; nunc quoque, ſuppliciter rogo, ne avertas faciem tuam à me, neque deſpicias me Deus ſalutaris meus.

Suſcipe ſervum tuum in bonum; qui accepiſti pro me formam ſervi. Suſcipe hominem, qui pro me factus es homo. Suſcipe peccatorem, qui veniſti peccatores ſalvos facere. Require ovem perditam, qui veniſti quærere, & ſalvum facere quod perierat: qui es Paſtor bonus, & Agnus ſine macula, tollens peccata mundi.

Suſcipe pariter obſequium ſervitutis meæ, quod oculis tuæ majeſtatis indignus obtuli, in unione illius ſacrificii, quo tu temetipſum pro me Deo Patri in ara Crucis hoſtiam obtuliſti.

Conjunge vile ſervitium meum, cum omnibus quæ egiſti & paſſus es ex perfectiſſima charitate & obedientia, & cum divitiis ſatisfactionum & meritorum tuorum Patri æterno illud offerre digneris, ut de tua abundantia mea ditetur inopia, & quam ex me ipſo nullatenus mereor, te mediante gratiam obtineam.

In manus tuas commendo ſpiritum meum, ô Domine Deus veritatis, qui me redemiſti. Tibi deinceps adhærere

rere mihi bonum eſt,& ponere in te Domine ſpem meam. Quid enim mihi ſit in cœlo, & à te quid velim ſuper terram? Tu enim es pars hæreditatis meæ & calicis mei: tu es, qui reſtitues hæreditatem meam mihi.

III. PVNCTVM.
PETITIO.

I. *Ne dubites, hic avide & inſtanter multa petere, tibi ipſi & proximis. Theſaurum infinitum opum cœleſtium hic habes. Pete, quantum vis. Aviditas petentis liberalitatem donantis provocat. Dilata os tuum, & Deus implebit illud. Inprimis humiliter pete veniam peccatorum, negligentiæ quoque, & defectuum, quos in uſu hujus Sacramenti admiſiſti.*

O Clementiſſime Salvator, in multitudine miſericordiæ, & bonitatis tuæ introivi [ad altare tuum] ad menſam convivii tui, à qua conſcius miſeriæ & iniquitatis meæ, merito abſtinere debueram, ne forte acceſſu temerario reus fierem Corporis & Sanguinis tui.

Verum tu dulciſſime Dñe delicta mea, & ignorantias meas ne memineris, ſed potius reminiſcere miſerationum tuarum Domine, ut non intres in judicium cum ſervo tuo, quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens.

Si enim iniquitates obſervaveris Domine, Domine quis ſuſtinebit? quis accedere ad menſam tuam audebit? quis feret rigorem juſtitiæ tuæ? aut quis ſubſiſtet in conſpectu divinæ majeſtatis tuæ, coram quo etiam cœli non ſunt mundi?

Ecce, ô Domine, confiteor adverſum me injuſtitiam meam, tu quæſo remitte impietatem peccati mei, Tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci. Sed tu qui veniſti peccatores ſalvos facere, ſalva me, nec projicias me à facie tua, pro cujus ſalute temetipſum ſponte tradidiſti in pretium; pro cujus alimonia temetipſum in cibum dediſti. O quanta erit fiducia peccatoris, cui cognita eſt tanta pietas Salvatoris! Quid

Quid ergo, ô Chriſte Salvator, impedire me poterat, quo minus venirem ad te, qui è ſummo cœlo ſalutis meæ cauſſa veniſti? Infirmus quidem & afflictus ſum nimis; ſed an ideo à facie tua fugiam?

Imo vel ideo ſolum ad te venio, quia infirmus ſum, non enim opus eſt bene habentibus medico, ſed his qui male habent, tu autem ſolus es medicus animæ meæ, qui languores noſtros tuo livore ſanaſti. Sana ergo animam meam, ô Domine, quia peccavi tibi.

Iniquitates meæ ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me: & quis alleviabit, aut quis portabit onus meum? Tu es ô Domine, Agnus Dei qui tollis peccata mundi: qui bajulaſti crucem, ut noſtram portares iniquitatem; qui dixiſti: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos: & cur ad te non veniam, qui ſolus relevare potes peccatorum meorum ſarcinam?

Ego vitiis praviſque paſſionibus coinquinatus ſum, & ideo ad te confugi: quis enim alius mundum faciet de immundo conceptum ſemine, niſi tu Domine, qui laviſti nos à peccatis noſtris in ſanguine tuo? Quæſo lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.

Ego ſum filius ille prodigus, & inobediens, qui à te profugus omnem conſumpſi ſubſtantiam; & nunc extremam patior inopiam; quo ibo, ſi ad te non redeo, mi amantiſſime Pater? tu enim es Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, qui ſemper recipis in gratiam revertentes ad te filios, & affectu paterno foves, & amplecteris.

Ego quidem non ſum dignus vocari filius tuus, ſed tu nihilominus vis haberi, & eſſe Pater meus. Sis itaque mihi propitius & clemens, recipe exulem filium, operi nudum, refice eſurientem. Quomodo miſeretur pater filiorum, ſic miſerere mei, ô miſerator & miſericors Domine. Nunquid enim lætaris in morte & perditione peccatoris, qui ut ego viverem pro me dignatus es mori?

Ecce,

Ecce, qua fiducia ad te veni, ô Chriſte Salvator, quamvis ſim homo peccator. Sed tu parce mihi per infinitam miſericordiam tuam, ſi non ea, qua par erat cura, præparatione, ac devotione tremendum hoc peregi myſterium.

Memorare Domine, quæ mea ſubſtantia, ſpiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma, & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem. Domine ante te omne deſiderium meum, & gemitus meus à te non eſt abſconditus.

II. *Quia jam tecum habes Deum & Salvatorem tuum, Ducem, Medicum, Doctorem, Patrem & omne bonum; Potentiſſimum ſimul ac Optimum, id eſt, qui & poſſit, & velit tibi donare omnia ad ſalutem utilia, ideo magna fiducia effunde in conſpectu ejus cor tuum, & tribulationem tuam ante ipſum pronuntia, & opem gratiæ in neceſſitatibus poſtula.*

O benigniſſime Deus, cupio ex toto corde tibi ſervire deinceps & juſtitia & ſanctitate, omnibus diebus vitæ meæ. Vtinam dirigantur viæ meæ ad cuſtodiendas juſtificationes tuas!

Hoc votis omnibus deſidero, ut cor meum ab omnibus rebus creatis abſtraham, tibique totus uniar, ut per hujus ſacramenti virtutem, ego in te, & tu in me maneas. Tibi adhærere cupio, quia tu es Deus Salvator meus, Lux, Dux, Medicus, Magiſter, imo Pater meus, & omnia.

Vtinam exhibeam corpus meum hoſtiam viventem, ſanctam, Tibi placentem. Vivam ego, jam non ego; vivat vero in me Chriſtus, quem intra meipſum habeo. Iuravi ô Deus, & ſtatui cuſtodire judicia juſtitiæ tuæ.

Verum ô Domine, velle quidem adjacet mihi, perficere autem non invenio, quia in membris meis invenio aliam legem repugnantem legi mentis meæ, ut non quod volo bonum, hoc faciam. Ad te itaque, ô Domine levavi oculos meos, quia imperfectum meum vident oculi tui.

Tu

Tu reſpice precor oculis miſericordiæ tuæ infirmitatem meam: nam ſine te nihil boni facere poſſumus, ex te autem eſt omnis ſufficientia noſtra. Tu itaque deduc me Domine in ſemitam mandatorum tuorum, quia ipſam volui.

Eripe me de inimicis meis Domine, qui paraſti in conſpectu meo menſam, (cujus nunc ex gratia tua factus ſum particeps) adverſus eos qui tribulant me. Fac mecum ſignum in bonum, ut videant, qui oderunt me, & confundantur, quia tu Domine adjuviſti me, & conſolatus es me.

Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam, & cuſtodiam illam in toto corde meo. Proba me Deus, & ſcito cor meum, interroga me, & cognoſce ſemitas meas, & vide ſi via iniquitatis in me eſt, & deduc me in via æterna; dirige in conſpectu tuo viam meam, ut declinem à via, cujus noviſſima ducunt ad mortem.

O ſcrutator cordis mei, vides, quam ſim fragilis & pronus ad hoc, N. vel illud, N. vitium: ego quidem lapſum cavere propono; ſed tamen labor, niſi tu manum ſupponas; Adjuva ergo, ô Domine, infirmitatem meam gratia tua.

III. *Virtutes Chriſtiano homine; & tuo potiſſimum ſtatu, ſeu vocatione dignas expende. Ad eaſque ſpeciale auxilium gratiæ, per virtutem hujus Sacramenti, pete.*

O Chriſte Ieſu, mitis & humilis corde, qui, cum in forma Dei eſſes, teipſum exinaniſti formam ſervi accipiens, ac etiamnum humilias te ad manus cujuslibet indigni Sacerdotis; qui demittis te ad ſpecies panis & vini, adeoque à multis viliter & contemptim te tractari ſinis; da mihi, ut non ſit exaltatum cor meum, neque elati ſint oculi mei, non ambulem in magnis, *&c.* ut non altum ſapiam, ſed timeam.

O mi Domine, qui cum dives eſſes, pauperis ſervi formam accepiſti. Inclina cor meum Deus in teſtimonia tua,

tua,& non in avaritiam, ut delecter in via teſtimoniorum tuorum, ſicut in omnibus divitiis, ut habens victum & amictum, his contentus ſim, *&c.*

O Agne immaculate, qui de Virgine naſci voluiſti, da mihi puritatem mentis & corporis per illud quod hic nobis das, *Vinum* germinans virgines. Cor mundum crea in me Deus, *&c.*

O Chriſte Ieſu, qui ut agnus innocens ductus es ad victimam, tot injurias & opprobria paſſus es, da mihi ſpiritum patientiæ & manſuetudinis. Diſcam à te mitis eſſe, & humilis corde, *&c.*

O Chriſte Salvator, qui ſitiens aceto & felle potatus es; & omnes ſpiritus delitias nobis in hoc ſacramento paraſti, aufer à me ventris concupiſcentias. Da ut tibi Deo meo ſerviam, non ventri, aut voluptati; Aufer à me ventris concupiſcentias; ne cor meum unquam gravetur crapula & ebrietate, *&c.*

O Domine, qui in horto cum ſudore ſanguinis prolixe & ferventiſſime oraſti, fac ut laudem te ex toto corde, ne dormitet anima mea præ tædio in tuo cultu ac ſervitio. Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, *&c.*

O Domine, qui ex vera charitate pro inimicis tuis oraſti: fac ut diligam proximum ſicut meipſum, & benefaciam his, qui oderunt me, *&c.*

O dulciſſime Salvator & Scrutator cordium; tu noſti, quid ſit in homine, qui omnes vias meas conſideras. Tu ſcis optime quibus in hoc ſtatu, N. officio N. in quo per gratiam tuam conſtitutus ſum, virtutibus & donis magis indigeam.

Tribue itaque mihi gratiam tuam, qui tam copioſum gratiæ theſaurum, imo teipſum gratiæ auctorem nobis in hoc Sacramento dediſti, & me nunc ad illius participationem tam clementer admiſiſti. Quæ autem non obvenient illi bona, ad quem divertere dignatur fons ipſe bonorum? Ingreſſus aliquando in Zachæi domum, dixiſti:

ſti: *Hodie huic domui ſalus facta eſt.* Ingreſſus jam es, ô Chriſte, domum animæ meæ, dic ei, quæſo, *Salus tua ego ſum*; quia dicere tuum, eſt facere, & tu ſolus es Deus Salvator meus.

Adjuva me Deus ſalutaris meus, & propter gloriam nominis tui libera me, & ſalva me, quid eſt enim *Ieſus*, niſi Salvator? vere non eſt aliud nomen ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri.

O Domine, quia tam dignanter veniſti ad me, non dimittam te, niſi benedixeris mihi, tu qui aperis manum tuam, & imples omne animal benedictione.

O utinam accipiam benedictionem à Domino, & miſericordiam à Deo ſalutari meo, quatenus eam de virtute in virtutem, donec clare te videam Deum deorum in Sion, quem nunc in Sacramento velatum, & per ſpeculum in ænigmate video.

IV. *Pete quoque proximis tuis, his præſertim quos habes ſingulariter commendatos, hujus Sacrificii aut Sacramenti fructum applicari.*

O *Domine*, cujus viſcera miſericordiæ patent omnibus: qui neminem vis perire, ſed omnes homines ſalvos fieri, ideoque pro omnibus mortem ſubiiſti, & hoc Sacramentum inſtituiſti: ſalvos fac ſervos tuos, Deus meus, ſperantes in te: memor eſto congregationis tuæ, quam poſſediſti ab initio.

Salvum fac populum tuum Domine, & benedic hæreditati tuæ, & rege eos, & extolle illos uſque in æternum.

Subveni, quæſo, famulis tuis, quos pretioſo ſanguine tuo redemiſti. Mitte eis Domine auxilium de Sancto, & de Sion tuere eos.

Miſerere parentum, fratrum, amicorum, benefactorumque meorum, & N. N. Communica iis meritum pretioſi ſanguinis tui, in ſalutem noſtram effuſi; ut in vita præſenti gratiam ad ſerviendum & placendum

dum tibi percipiant: & ſic demum ad æternæ vitæ gloriam perveniant; & te ipſo fruantur æternum, ut ope gratiæ tuæ ſic vitam præſentem inſtituant, ut tandem in cœlis æternæ vitæ præmia recipiant. *Adde hic etiam defunctos, &c.*

V. *Per manus & merita beatiſſimæ Virginis* Mariæ *pete commendari Deo Sacrificium aut Communionem tuam.*

O dulciſſima Virgo Mater, quæ eundem Dominum, quem ego modo ſuſcepi, de Spiritu ſancto conceptum, in ſacratiſſimo utero tuo portare meruiſti; intercede pro me apud eundem Filium tuum, omniſque negligentiæ & indignitatis, in ſummi hujus Sacramenti ſumptione commiſſæ veniam mihi impetres. *Vel ſic ora cum mellifluo Bernardo:*

O Mater miſericordiæ, per te precor acceſſum habeam ad Filium, & per te nos ſuſcipiat, qui per te datus eſt nobis. Excuſet apud ipſum integritas tua culpam noſtræ corruptionis, & humilitas tua Deo tam grata noſtræ veniam impetret vanitati & ſuperbiæ.

Copioſa Charitas tua noſtrorum cooperiat multitudinem peccatorum, & fœcunditas tua glorioſa fœcunditatem nobis conferat meritorum. O Domina noſtra, Mediatrix noſtra, Advocata noſtra, tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos repræſenta.

Fac ô benedicta per gratiam, quam meruiſti; per miſericordiam, quam peperiſti; ut qui te mediante dignatus eſt fieri particeps infirmitatis & miſeriæ noſtræ, te quoque intercedente participes nos faciat bonitatis ac gloriæ ſuæ, Ieſus Chriſtus, Filius tuus, Dominus noſter, qui eſt ſuper omnia benedictus in ſæcula.

VI. *Sanctorum, & inprimis Patronorum, ope ac interceſſione fructum hujus Sacrificii, aut Communionis à Deo pete.*

O *Sancti* Dei omnes, qui jam pertranſiſtis hujus mortalitatis pelagus, & pervenire meruiſtis ad portum feli-

citatis æternæ; qui in carne viventes, ſic Domino, ſerviiſtis, ut jam cum ipſo ſine fine regnetis.

Obſecro vos per veſtram charitatem, ſecuri eſtis de vobis, ſolliciti eſtote pro nobis. Per ipſum vos rogo, qui vos elegit, qui nunc replet in bonis omne deſiderium veſtrum, eſtote memores noſtri, qui adhuc in mediis naufragii periculis verſamur.

Subvenite mihi miſero peccatori, qui ad portum quietis, quem vos feliciter attigiſtis, aſpiro, ut per veſtras orationes veſtro tandem jungar conſortio.

Sed interim, dum hæreo in via, opus mihi viatico eſt, ut non deficiam in via. Viaticum noſtrum eſt Chriſtus ipſe Salvator, quo vos ſatiamini in patria, nos ſuſtentamur in via, donec veniat tempus, quo vobiſcum ſatiemur & nos ab ubertate domus Dei.

Adeſte mihi, quæſo, precibus meritiſque veſtris, ut panis ille cœleſtis, & viaticum divinum, quod modo ſumpſi, mihi contra omnes infirmitates, pericula & inſidias præſtet robur & tutamen: ut in fortitudine cibi illius ambulem per hujus mundi deſertum uſque ad montem Dei, & ibidem dulciſſima illius fruitione vobiſcum jugiter gaudeam; & Deum una vobiſcum laudem per omnia ſæcula. Amen.

ADMONITIO

Ad omnes Chriſtianos, præcipuè Sacerdotes, de pio hujus Sacramenti uſu.

IN *ſuperioribus punctis ante & poſt Communionem, plus minuſve, pro opportunitate temporis, poterit exerceri pius Aſceta; ne cibi tam excellentis guſtu fructuque fraudetur.*

Vnde enim fit, ut qui divina Sacramenta toties frequentant; adhuc tam frigidi, torpentes & imbecilles maneant? Comedunt, & non ſatiantur; bibunt, & non inebriantur; ſeminant multum & inferunt parum! Nonne is qui in hoc Sacramento reipſa ſumitur, eſt

ignis

ignis conſumens, jugiter ardens, & nunquam deficiens? nonne lux mundi eſt? nonne Caro ejus verè eſt cibus, & Sanguis ejus verè eſt potus?

Cur ergo de cibo tam pretioſo & pingui non repletur ſicut adipe & pinguedine anima noſtra? Cur, qui pane Angelorum toties paſcimur, adhuc delectamur ſiliquis porcorum? Cur, qui lucem & ſolem ipſum toties recipimus, non fulgemus? cur mores actuſque noſtri radii non ſunt? cur mundum non illuſtramus? Cur, qui ad ignem tam prope & ſæpe accedimus, non ardemus, cur alios quoque non accendimus?

Nimirum obiter & perfunctoriè opus tam arduum gerimus; uſu potius, quam affectu ducimur. Meditationem negligimus, in qua debebat hic ignis exardeſcere.

Hæc ſæpe cogita ô Chriſtiane; ſed tu inprimis ô Sacerdos; ne tantam Dei gratiam toties in vacuum recipiatis.

EXERCITIVM
mirè elegans, & efficax,

Poſt Miſſam aut Communionem.

Ex P. Antonio Molina Carth. *in Inſtruct. Sacerd. qui aſſerit, hac forma utiliorem excogitari non poſſe.*

O Pater miſericordiarum & Deus totius conſolationis: qui ex abundantia infinitæ charitatis tuæ dediſti nobis unigenitum Filium tuum, ut omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam; utque ex immenſo meritorum ejus theſauro noſtra ſuppleatur inopia: En ego miſer peccator,ſed per miſericordiam tuam, vocatus in ſocietatem Filii tui: nunc quoque particeps factus ſum Corporis & Sanguinis ejus. Proindeque illum jam in pectore meo complector, & tanquam rem meam, intime mihi conjunctam poſſideo.

Atque ut talem, in unione charitatis,qua ſeipſum olim dedit pro nobis in ara crucis, & modo ſe dat & communicat in Sacramento Altaris: tibi eum offero una

cum omnibus meritis atque virtutibus, in æternam laudem & gloriam tuam: ut in illo tibi perfectè complaceat: & nos, qui tibi placere de actibus noſtris non valemus, dilectiſſimi Filii tui meritis & patrocinio, perfectè placeamus.

Offero tibi Pater ſanctiſſime, omnem ejus charitatem, religionem, obedientiam, humilitatem, paupertatem, manſuetudinem, patïentiam, cum aliis omnibus virtutibus, quibus excelluit, ut totum, quod mihi deficit, per illas ſuppleatur.

Cumque ego debitas tibi gratias agere nequeam, pro beneficiis in me collatis, offero tibi omnes laudes, quas ipſe obtulit, cum viſibilis inter homines verſaretur in terra: & quas tibi nunc offert in gloria.

Cum vero ſatisfacere nequeam tibi pro debitis, ſeu peccatis meis; offero tibi omnes ejus labores, jejunia, vigilias, fatigationes, orationes; quidquid denique fecit aut pertulit, à primo inſtanti conceptionis, quouſque ſpiritum emiſit in Cruce: omnes anguſtias, dolores ac tormenta paſſionis, omnem ſanguinem pro me effuſum, omnia vulnera pro me accepta, ac mortem pro me toleratam.

Ecce hic eſt theſaurus, Pater clementiſſime, in quo totam ſpem repoſui; hæ ſunt divitiæ, quas offero in ſatisfactionem omnium debitorum meorum.

Adſpice pie Pater, in faciem Chriſti tui, & cum ſit hic Filius tuus dilectus, in quo tibi ſemper bene complacuit, qui mihi nunc intime conjunctus eſt, ſupplex rogo, ut me quoque reſpicias oculis miſericordiæ tuæ. Sub ejus protectione ac tutela, ſub umbra meritorum ipſius compareo coram te, ut illum præcipue intuens, me quoque clementer ac benigne reſpicias, tanquam mancipium ejus, & ſervum perpetuum.

Ne permittas, obſecro, ut pereat illa anima, quæ toties in ſe recipit Filium tuum, qui à te miſſus venit in mundum,

dum, quærere & ſalvum facere, quod perierat. Hoc præſta mihi per infinitam miſericordiam tuam. Amen.

Cap. VI.

Alia Exercitia pro communicantibus continens.

PRAXIS BREVIOR

Pie communicandi, tam Sacerdotibus quam Laïcis; tum ante, tum poſt Miſſam, & Communionem accommodata.

1. *Dirige Intentionem.*

O Summe ac potentiſſime Deus, in laudem & gloriam ſupremæ Majeſtatis tuæ; in memoriam ſanctiſſimæ vitæ, paſſionis, ac mortis *Ieſu Chriſti* Salvatoris mei: In gratiarum actionem, pro omnibus donis & beneficiis tuis, mihi indigno peccatori, & toti Eccleſiæ tuæ conceſſis; In propitiationem pro innumeris peccatis meis; pro ſalute mea, & proximorum N. pro ſolatio quoque Defunctorum N. *&c.* ego indignus peccator SS. Corporis & Sanguinis Filii tui myſteria recolere, ſeu recipere cupio. Vere Domine in Te ſolo totum eſt, quod ſatiare poſſit cordis mei deſiderium. Quid enim mihi eſt in cœlo, & à Te quid volui ſuper terram? nonne tu ipſe eris merces noſtra magna nimis?

2. *Actum Contritionis exerce.*

Sed & ſacrificium ſpiritus contribulati Tibi mi Domine, una cum Sacrificio & Sacramento Corporis & Sanguinis Filii tui, Salvatoris mei humiliter offero. Doleo enim ex intimo corde, quod te Deum meum, ſumme bonum, & in me tam beneficum, ac toties in Sacramento me reficientem, unquam offenderim peccatis meis; præſertim talibus, N. & N. quæ tu noſti ô Scrutator cordium: ſed & miſer ego peccator in amaritudine animæ meæ dolens confiteor. Vtinam nunquam offendiſſem

Te: ſed cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies, Tu qui amore noſtri dediſti nobis Vnigenitum tuum, ut nos lavaret à peccatis noſtris in ſanguine ſuo.

3. *Exerce Fidem.*

Equidem credo firmiter,ſi bone Ieſu,& viva fide profiteor, quia Tu ipſe, *Deo* Patri æqualis in gloria & poteſtate, verus Deus & homo, vere & realiter præſens es in hoc Sacramento: qui de cœlo miſſus veniſti in terra quærere, & ſalvum facere, quod perierat. Ideoque vere natus es de Virgine, paſſus, crucifixus, & mortuus, & in memoriam amoris tui Corpus & Sanguinem tuum nobis in hoc Sacramento reliquiſti.

4. *Exerce Spem.*

Et quidni ſperem in Te, ô ſumma ſpes, & unica ſalus animæ meæ? aut quo fugiam, niſi ad Te, ô *Ieſu,* unicum refugium meum? qui dixiſti ore tuo ſacroſancto: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos.

O quam dulcia faucibus meis hæc eloquia tua Domine, ſuper mel ori meo, ideoque venio confidenter ad altare tuum, ubi Te ipſum ſpe plenus accipio. Si enim Te habeam, quid non habebo? quia Tu es,qui habes, & potes omnia, & bonus es ſuper omnia.

Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco paſcuæ ibi me collocavit; nempe ubi ipſe Paſtor bonus, qui pro ovibus ſuis poſuit animam ſuam, nos paſcit, non alio cibo, quam Corpore & Sanguine ſuo.

Quid non dabis homini, cui Teipſum dediſti? Non patieris utique bone Ieſu, mihi aliquid ad ſalutem deeſſe, qui toties recipio,mecumque habeo Te ſalutis auctorem. Non utique, propter nomen tuum, quod eſt Ieſus.

5. Exerce Charitatem.

Vere enim Deus Salvator meus es, & bonus es ſuper omne bonum. Et ideo diligo Te, Chriſte Ieſu, qui ex nimio amore mei in carnem veniſti, & ad mortem uſque dilexiſti me, & in ſignum hujus amoris in Sacramento Te ipſum dediſti. Amo, inquam, Te ſuper meipſum & omnia; aut certè ſic amare Te, & tibi ſoli ſemper adhærere vehementer deſidero, utinam per virtutem Sacramenti hujus, tanta inter Te & me coaleſcat amoris unio, ut nihil me ſeparare queat à charitate Chriſti Salvatoris mei.

6. Renova Propoſitum.

Quæ verò huic meo deſiderio tuoque imperio adverſantur, vel etiam quæ cœleſtis hujus Mannæ guſtum & dulcedinem impediunt, vel ut hæc N. & iſta N. ſeriò & ſincerè cavere propono, idque ex ſolo amore tui. O utinam copioſa & efficax gratia tua in virtute, & unione hujus Sacramenti ſubveniat propoſito voluntatis meæ, per ſe (tu noſti Domine,) tam labilis & infirmæ. Imperfectum meum vident oculi tui, ex Te verò omnis ſufficientia mea.

7. Exerce Humilitatem.

Sed quomodo audeo accedere ad Te? Nonne tu ô Deus, Dominus, Creator, ac Redemptor meus, Rex cœli & terræ, *&c.* At, quis ego? Vilis terræ vermiculus, pulvis & cinis, & quod indignius eſt, toties erga Te inobediens & ingratus peccator, *&c.* Vere Domine, non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum: Sed memento Domine, quia cum eſſes Dominus omnium, aſſumpta ſervi forma veniſti ad nos, & familiariter egiſti cum Publicanis & peccatoribus. Denique humiliaſti temetipſum uſque ad mortem. Illa quæſo te moveat humilitas, ut me vi-

lem & humilem non deſpicias. Sed clementer ad me venias: aut venientem ad te benignè ſuſcipias.

8. *Poſtula gratiam.*

Rogo te itaque ô Pater æterne per vim illius fortiſſimi amoris, qui traxit Vnigenitum tuum è ſinu tuo in Virginis uterum, ut homo fieret propter nos homines:

Rogo te per vehementiam deſiderii illius, quo deſiderabat in ultima Cœna manducare Paſcha cum Diſcipulis ſuis; & perficere opus redemptionis noſtræ. Per vim quoque illius amoris, quo ſacrificium & ſacramentum Corporis & Sanguinis ſui in memoriam immenſi amoris ſui, & pignus futuræ gloriæ inſtituens, ipſis & nobis omnibus ſeipſum in cibum dedit.

Rogo te quoque per virtutem illius ardentiſſimæ Charitatis, qua ſemetipſum Tibi æterno Patri ſuo in ara Crucis in ſacrificium & pretium pro nobis peccatoribus redimendis obtulit, ut ſalutari gratia tua ita me dirigas, & ſacris myſteriis Corporis & Sanguinis ejus ita dignè me ſemper uti facias, ut copioſum inde fructum & robur contra omnes Mundi, Carnis, ac Dæmonis inſidias conſequar, Vitia, & hæc N. maximè fugiam.

Virtutes verò ſtatui meo maximè neceſſarias, velut Charitatem, Humilitatem, Puritatem, N. & N. diligentius exerceam, & fidelius Tibi in dies ſervire ſtudeam.

9. *Offer Teipſum & omnia Deo.*

Quid enim aliud retribuam tibi Domine pro omnibus quæ retribuiſti mihi? Nonne vitam meam, corpus & animam, & omnia tibi debeo, qui donaſti gratis omnia, imo ipſum Filium tuum, qui pro me vitam & animam ſuam poſuit?

Vere Domine me totum Tibi debeo, qui reo redimendo innocentem Filium totum impendiſti. Vtinam poſſem exhibere corpus meum hoſtiam viventem, ſan-

ctam,

ctam, Deo placentem. Vtinam anima mea tibi vivat, & omnia mea ſerviant tibi. Ecce paratum cor meum Deus, paratum cor meum. Tu, quæſo Domine, qui animum potius quam manum reſpicis, ſervum pauperem ne deſpicias; non habentem, quod gratius offeram Tibi, quam eum, in quo tibi bene complacuit: deinde proferentem duo minuta, id eſt, corpus & animam meam, quæ in tuum obſequium & omne beneplacitum pure ac plane reſigno.

10. *Iunge oblationem aut Communionem tuam cum oblatione & meritis Chriſti.*

Tu vero mi dulciſſime Redemptor, Advocatus & Mediator apud Deum Patrem, ne deſpicias me,ſed oblationem indigni peccatoris, una cum ſanctiſſimis operibus tuis, in ſuprema charitate factis, æterno Patri propitius offer & commenda.

Conjunge hoc officium ſervitutis meæ cum pretioſiſſimo illo ſacrificio, quo te DEO Patri in eminentiſſima charitate & obedientia in ara Crucis obtuliſti.

Ecce Domine inops & pauper ſum ego; tu vero dives in meritis & miſerationibus, ſed quibus divitias bonitatis tuæ potius, quam miſeris peccatoribus cumulaſti? ſuccurre ergo paupertati meæ ex immenſo theſauro meritorum tuorum, & ex abundantia infiniti amoris tui perfice omnes actiones meas. Et nunc præſertim præparationis & devotionis meæ circa hæc tremenda myſteria nimis exiguæ, & inſufficientis defectum clementer adimple.

11. *Deo Patri repræſenta merita Filii.*

O Pater æterne,reſpice in faciem Chriſti tui. Ecce hic eſt Filius tuus dilectus, in quo Tibi bene complacuit: & tamen ſic dilexiſti Mundum,ut Filium tuum unigenitum dares pro mundi ſalute. Nimirum ut ſervum redimeres,

Filium

Filium tradidiſti; illum quoque pro nobis Advocatum apud Te & Mediatorem eſſe voluiſti, ut quod noſtris non poſſumus, ipſius meritis apud Te conſequamur. Illius ſacrificium in Cruce pro nobis oblatum, illius opera & merita ut perfectiſſima ſunt, ita non poſſunt Tibi non eſſe gratiſſima.

Vtinam illius abundantia meam ſuppleat inopiam, ut ob honorem & amorem Filii gratum quoque nunc habeas ſervi tam vilis obſequium.

12. *Sanctos, maxime Patronos invoca.*

Ad vos quoque ô Sancti & Amici DEI ſupplex confugio. Te imprimis, ô ſanctiſſima Dei Mater, Virgo & Patrona mea, quæ gratia plena Deum & hominem puriſſimis viſceribus tuis meruiſti portare.

Et vos ô Sancti N. & N. Patroni, mihi ſingulariter electi & dilecti. Vos modo videtis illum facie ad faciem, & pleno ore manducatis panem illum, quem nos non niſi per ſpeculum in ænigmate aſpicimus, & ſpeciebus velatum accipimus. Vtinam veſtro interventu adjutus hoc cœleſti pane & viatico digne ſæpius reficiar in via, ut tandem vobiſcum eo ſatiari merear in patria. Amen.

PRAXIS BREVIS PIE CElebrandi & Communicandi Sacerdotibus & Laïcis,

Tum ante, tum poſt Miſſam ad Communionem utilis.

Obſerva hic actus præcipuarum Virtutum.

O Dulciſſime Salvator Chriſte *Ieſu*, *Adoro* te in toto corde meo: & *Gratias* ago tibi ex intimis viſceribus animæ meæ, quod tanta charitate nos miſere perditos redemeris pretio Sanguinis tui. Et in hujus Amoris tui memoriam, nec non in pignus futuræ gloriæ, tam admirabili Potentia, Sapientia & Bonitate dederis nobis in cibum

cibum & potum ipſum Corpus & Sanguinem tuum. Denique ad hæc divina Myſteria, me viliſſimum peccatorem in numerum tuorum [*Sacerdotum*] ſervorum, tua ineffabili clementia vocare dignatus ſis.

Sed heu infelix ego homo, qui hactenus tam indigne vocatione mea vixi, & toties, & tam graviter te *Deum* meum offendi peccatis meis (præſertim his N.) At nunc de iis *doleo* ex intimo corde meo; ob *Amorem* tui ſuper omnia: & deinceps Tibi ſoli ſervire, placere, & adhærere propono.

Proindeque nunc accedens ad Menſam Convivii tui, ex omni affectu cordis mei tibi [*hoc ſacrificium Miſſæ*] digniſſimam hoſtiam Corporis & Sanguinis tui, quam tu ipſe ſemel pro nobis in Ara Crucis obtuliſti, pura & ſimplici Intentione, *offero* ad laudem & gloriam Æternæ Majeſtatis tuæ; In memoriam ſacratiſſimæ Incarnationis, Vitæ, Paſſionis, ac Mortis tuæ.

In gratiarum actionem pro omnibus donis & beneficiis, toti cœtui Electorum, & mihi, licet indigniſſimo, hucuſque præſtitis: vel unquam præſtandis: In propitiationem peccatorum. Pro ſalute quoque Fidelium Vivorum, N. Et ſolatio Defunctorum N.

Et utinam ex omni affectu, fervore, & deſiderio Amicorum tuorum, ſeu jam regnantium in cœlis, vel adhuc militantium in terris, hoc tam grande tuæ pietatis opus peragere poſſem, (*vel potuiſſem.*)

Corde ſiquidem *Credo*, mi *Ieſu*, & ore confiteor, quia Pater Æternus, *Deus* ſeipſo ſumme beatus, potens, perfectus, & nullius egens ſecundum infinitam miſericordiam ſuam ſic dilexit Mundum, ut te Filium ſuum Vnigenitum nobis daret Salvatorem.

Credo quoque, quod Tu ipſe Patri Æqualis per omnia, ex vi immenſæ charitatis tuæ de ſinu Patris deſcendiſti in uterum Virginis, & propter nos homines *Homo factus es.*

Credo,

Credo, quod ex amore noſtri hoc Sacramentum in ultima Cœna inſtituens, verum Corpus & Sanguinem tuum, id eſt, Teipſum nobis ad manducandum dediſti. Et denique Patri tuo factus obediens uſque ad mortem, temetipſum pro nobis hoſtiam in Ara Crucis obtuliſti.

Ideoque *Spero* in te, & magna fiducia venio ad te, ô Domine, qui noſtri cauſſa tam mira facere; & tam dira pati voluiſti. Quid enim negabis, qui ſic amaſti, ut teipſum dares?

Amo te quoque ô Bone *Ieſu*, ex tota virtute cordis mei; & ſemper deinceps, & in æternum amabo; ſi tu dederis.

Sed quid retribuam tibi Domine, pro tanto munere, & pro omnibus quæ retribuiſti mihi? Ecce *Abnego* memetipſum & totum me, id eſt Corpus, Animam, & omnia mea in omne beneplacitum benigniſſimæ voluntatis tuæ plene reſigno.

Verum quid habeo, quod non acceperim? Quid eſt homo, ſi comparetur Factori ſuo? Quid vilis Creatura, vermis terræ, miſer peccator, & ſervus inutilis præſtare poterit *Deo*, Creatori ac Domino ſuo?

Agnoſco quia inops & pauper ſum ego: ideoque *Humilio* me ſub potenti manu tua. Tu vero ô Domine Ieſu, utpote Advocatus & Mediator meus, dives in meritis,& miſerationibus, ſuſcipe cauſſam meam.

Et ex theſauro immenſæ charitatis tuæ fer opem inopiæ meæ: & pretium Sanguinis tui, omniumque meritorum tuorum repræſenta Æterno Patri tuo; & hinc ſupple omnem defectum meum, præcipue hujus meæ, heu, nimis modicæ & imperfectæ præparationis, qua ad hæc SS. myſteria venio; ut ſic Ei per Te placeat obſequium indigniſſimæ ſervitutis meæ.

Fac etiam, ô Bone *Ieſu*, per omnes miſerationes tuas, ut hoc tremendum Myſterium & admirabile donum charitatis tuæ, debita ſemper Fide, Reverentia & Grati-

tudine

tudine proſequar : idque puro & ardenti corde nunc & ſemper recipiam : Statum hunc quoque meum N. ad quem me ex ſingulari gratia vocare dignatus es, Charitate, Caſtitate, Humilitate, Manſuetudine, Patientia, Sobrietate, *&c.* Moribuſque tibi placitis, & [*Sacerdote,*] fideli ſervo tuo dignis excolere ſtudeam. Idque ut ſervitus mea magis tibi placeat : Ad majorem gloriam tuam, Eccleſiæ utilitatem, & propriam, proximique ſalutem.

Vnde tandem ſupplex obſecro, ut per virtutem Corporis & Sanguinis tui abſtrahas cor meum efficaciter ab omnibus noxiis affectibus, N. qui guſtum ac fructum hujus Sacramenti impediunt, & intime tibi unias, & incorpores, ut guſtem quam ſuavis ſis Domine, & unus tecum efficiar ſpiritus, ut tu in me, & ego in te maneam; adeoque nihil ſit, quod me unquam ſeparare valeat à te. Nam tibi adhærere mihi bonum eſt, *&c.* Quid enim mihi eſt in Cœlo, & à te quid volui ſuper terram ? ô pars mea Deus in æternum !

Modus brevis & utilis excitandi affectus ante & poſt Communionem.

Ex P. Chriſt. Mayer.

AMabilis *Ieſu*, Deus cordis mei, unde mihi indigniſſimo peccatori tanta dignatio, tantaque dilectio tantæ Majeſtatis, ut me oculis miſericordiæ tuæ tam benigne reſpicere, tam amanter viſitare, tam miſericorditer reficere, tam paterne fovere, tam ſuaviter, efficaciter, mirabiliter, ad gloriam mihi prædeſtinatam, ut ſpero, deducere hucuſque digneris ?

Benedicta ſit in æternum infinita Bonitas, Charitas, & Miſericordia tua, qua me ingratum, cum Patre & ſancto Spiritu ab æterno ſic dilexiſti; decernendo me cum Electis omnibus ſic Creare, Redimere, Dotare, Vocare, Conſervare, Glorificare: qua me in tempore quoad corpus, & ani-

animam ſic Creaſti, Conſervaſti, Dotaſti, tanto pretio lacrymarum, ſudoris, & ſanguinis tui pretioſiſſimi olim Redemiſti; tam liberaliter idem pretium mihi applicaſti, & nunc applicare non deſinis, ſic juſtificando, ſic vocando, ſic præſervando, ſic te mihi uniendo, ſic ad bravium gloriæ invitando.

Agnoſco, & amplector charitatem tuam æternam erga me, omneſque Electos tuos, atque illorum, omniumque creaturarum poſſibilium poſſibili affectu medullitus gratias ago.

Agnoſco, & deteſtor ingratitudinem meam tantam erga te, atque intime Doleo: teque Dominum meum, ac Deum meum ſimili affectu Adoro, Laudo, Glorifico: in centrum nihili mei infra omnes me dimitto, & Majeſtati tuæ inclino; cum gratia tua ſola ſim id, quod ſum.

In te, ô infallibilis Veritas, Credo: in te, ô unica ſpes mea, mihi plane diffidens Spero: te Amo, & amabo ſuper omnia, in æternum, ô Fons omnis boni infinite amabilis: Gaudeo de omni perfectione, beatitudine, gloria; & beneplacito tuo; meque tibi uſque in mortem, & annihilationem mei Reſigno: totus tuus eſſe, & in æternum permanere deſidero: ſicut tu totus meus eſſe dignaris; omnem vitam meam obſequio tuo gratis offero, & infinitas vitas, ſi haberem, lubens offerrem.

Omnia pia deſideria te glorificandi, quæ unquam habui, renovo, prava revoco, ac deteſtor, & contra voluntatem meam eſſe, ac fore proteſtor. Vtinam te ſic ſemper amaſſem, & nunquam offendiſſem, nec offenderem poſthac in æternum!

Doleo de omnibus peccatis meis, quia tibi, quem diligo ſuper omnia, diſplicent: cupio & propono ſerio emendare omnia, maxime hunc particularem defectum, N. & novo fervore me totum tuo impendere ſervitio, conando omnia agenda perfectè facere, maxime hanc virtutem exercere, N. aut reformare hanc actionem ordinariam, N.

In

In ſatisfactionem me totum tuo offero beneplacito: veniam cum finali gratia precor, & ſpero per te bone *Ieſu,* in cujus meritorum abyſſum me demergo.

Tu æterna charitate tua ſupplere digneris omne imperfectum meum, per tua ſanctiſſima merita: meque tuo in omnibus conforma beneplacito, & gratiam efficacem largire, hos defectus emendandi, has virtutes exercendi, aut actiones ordinarias reformandi, & perſeverandi in vocatione, & gratia tua uſque ad finem: ut Te ô *Ieſu*, in quem credidi, in quem ſperavi, quem dilexi in via, cum Electis omnibus videam: amem, laudem, glorificem æternum in patria.

II. Per eandem charitatem tuam, qua cum Patre, & Spiritu ſancto ſic dilexiſti mundum, ô bone *Ieſu*, memento, & miſerere totius Eccleſiæ tuæ ſanctæ, ejuſque Capitum, Prælatorum, Principum, Paſtorum: Statuum Eccleſiaſticorum, Sæcularium, Religioſorum, omniumque qui maxime poſſunt gloriæ tuæ, & ſaluti animarum prodeſſe, & obeſſe;

Parentum item, Fratrum, Benefactorum, & Amicorum meorum, qui ſe mihi commendarunt: qui me contriſtaverunt, aut quos ego contriſtavi, offendi, juvare neglexi, quos per me indignum in viam ſalutis dirigere decreviſti, omniumque vivorum & defunctorum, pro quibus mori dignatus es.

Horum omnium propitius miſerere, defunctis requiem, viviſque gratiam concede, ut tibi perfectiſſime, ſicut ſcis, & vis, placeant, per merita B. Virginis *Mariæ*, Matris tuæ, & omnium Sanctorum, quæ tibi tuis unita offero, ut ea repræſentes Æterno Patri, (una cum omnibus deſideriis, conatibus & obſequiis meis, valde imperfectis,) cui olim obediens factus uſque ad mortem, nunc glorioſus Pontifex aſſiſtis ad interpellandum pro nobis.

Pater reſpice in faciem dilecti Filii tui, & per eum miſerere nobis, gratiam largiens, ut te cum eodem dilecto

 Filio

Filio tuo, & ſancto Spiritu cognoſcamus, amemus, laudemus, & glorificemus, cum omnibus Electis tuis nunc, & in æternum.

Miſerere noſtri Domine, miſerere noſtri, & adjuva nos, ſicut noſti nobis neceſſe eſſe in corpore, & anima. ſcis omnia, potes omnia, qui vivis, & regnas in ſæcula.

III. O Regina Sanctorum omnium, ſancte Angele cuſtos, omnes ſancti Patroni mei, pro omnibus beneficiis nobis collatis, & conferendis in æternum Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen ejus in idipſum.

EXERCITIVM PECVLIARE.

Pro Sacerdotibus ante Miſſam.

O Summa & adoranda Trinitas, una, vera, & æterna Deitas, Deus, Creator, Salvator, & Gubernator meus; ſumme potens, ſapiens, bonus, juſtus & miſericors; ego creatura tua, quamvis indigna, te laudare; & tibi ſervire deſidero; quia ad laudandum te creatum, & ſingulari gratia tua vocatum me recognoſco. Sed quis tu? Deus ac Dominus omnium: Rex cœli & terræ; magnus & laudabilis nimis: ego vero vilis terræ vermiculus, pulvis & cinis, &, quod indignius, toties erga te inobediens, & ingratus peccator: & quomodo auſim venire ad ſacrificandum tibi, & confitendum nomini tuo, Domine?

Verum ſacrificium tibi gratum eſt, ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies. Doleo itaque ex toto corde, quod unquam offendi te, ô Deus meus, & ſummum bonum meum. Averte faciem tuam à peccatis meis: & reſpice in faciem Chriſti, Filii tui unigeniti: hic eſt enim dilectus, in quo tibi bene complacuit: quem tantis gratiæ donis tam large cumulaſti, ut de plenitudine ejus nos omnes acciperemus.

Ego

Ego itaque licet indignus peccator, attamen, per gratiam tuam Sacerdos & ſervus tuus, offero Tibi ô ſumme Deus, ſacrificium Corporis & Sanguinis Domini mei Ieſu Chriſti: idque facere ſummopere deſidero, ex omni affectu, fervore, & deſiderio, quo illud unquam obtulerunt Sancti tecum nunc gaudentes in cœlo, aut offerunt pii etiamnum viventes in terra.

In unione quoque immenſæ illius charitatis, qua ſic dilexiſti mundum, ut Filium tuum unigenitum nobis dares: In unione amoris, quo *ipſe* de ſinu tuo venit, in uterum Virginis, & *Homo factus* eſt. In unione ſacrificii admirabilis, quod idem Vnigenitus tuus, in ultima Cœna, coram Diſcipulis ſuis inſtituit, & tandem in Cruce moriens conſummavit.

Et ſimul offero tibi pretium ſanguinis ejus, cunctoſque labores, dolores, & omnem theſaurum charitatis ejus: Merita quoque beatiſſimæ Matris ejus: omnem fidem, ſpem, & charitatem Iuſtorum: omnem humilitatem, & mortificationem vere Pœnitentium: omnes gratiarum actiones, & laudes, quas tibi univerſa Eccleſia, tum militans in terris, tum triumphans in gloria perſolvit.

Et primo quidem illud offero ad ſummam divinæ & æternæ Majeſtatis tuæ gloriam, cultum, & adorationem, tibi velut ſupremo Deo, Domino, ac rerum omnium auctori debitam. In honorem quoque & commemorationem ſacratiſſimæ Humanitatis, Incarnationis, Nativitatis, Paſſionis, Mortis, Reſurrectionis, & Aſcenſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti.

Deinde offero tibi hoc ſacrificium in gratiarum actionem, pro tam admirandis donis, & chariſmatis ſanctiſſimæ humanitatis Filii tui Ieſu Chriſti collatis: Et pro pietate illa magna nimis, qua illum nobis in Patrem ac Magiſtrum, Advocatum ac Mediatorem dediſti: Pro innumeris gratiæ donis, & virtutibus, quibus ornaſti

 beatiſ-

beatiſſimam Virginem, Filii tui Matrem, ſanctos Angelos, & omnes Electos tuos; & inter cæteros Sanctum N. vel SS. quorum hodie feſtum ſeu memoriam celebrat Eccleſia: Item pro omnibus beneficiis tuis & auxiliis gratiæ, toti congregationi Fidelium tuorum, in genere vel in ſpecie collatis; & iis maxime, quibus prædeſtinatos prævenis, & proſequeris, eoſque efficaciter in finem ſuum dirigis.

Peculiares quoque gratias, per hanc gratiſſimam oblationem Filii tui, ago tibi; pro omnibus beneficiis tuis, mihi à principio vitæ meæ, in hanc uſque horam tam liberaliter præſtitis; præcipue vero, quod me indignum peccatorem, nullo meo merito, ſolo beneplacito bonitatis tuæ, ad hoc officium Sacerdotale, ipſis etiam Angelis venerabile, ad hæc inquam, ſacroſancta Myſteria Corporis & Sanguinis Filii tui tractanda, & diſpenſanda, inter miniſtros tuos aſſumere dignatus fueris, ad laudem & gloriam nominis tui; & ad fidelis populi ſalutem.

Præterea, quia Filius tuus eſt propitiatio pro peccatis noſtris, & totius mundi: offero etiam tibi, ô ſumme Deus, hoc ſacrificium, in expiationem peccatorum, & ſatisfactionem, pro injuriis, contumeliis, blaſphemiis, & peccatis omnibus, quæ paſſim in toto mundo fiunt, contra gloriam Nominis tui, heu, quam multa & gravia! ſed major eſt apud te miſericordia; & copioſa apud Filium tuum redemptio; imo copioſior omnibus mundi criminibus ſatisfactio ejus: En ſanguis Filii tui clamat ad te de terra; utique non vindictam, ſed veniam. Parce Domine, parce populo tuo, quem redemit Filius tuus ſanguine ſuo.

Denique quia in hoc ſacrificio ipſum omnis gratiæ fontem, & omnis noſtræ ſalutis auctorem tractamus, offero tibi hoc ſacrificium Filii tui, ut per ejus ſanguinem & nomen petentes impetremus, quod noſtris meritis non valemus.

Propter

Propter hunc itaque reſpice Eccleſiam ſponſam ejus, eamque tibi ſine macula & fuga ſpecioſam exhibe; fidem, ſpem, charitatem ei adauge; Perſecutorum & hoſtium ejus contere ſuperbiam. Hæreſes & ſectas extermina. Populis à fide alienis veritatis tuæ lucem infunde; eoſque adduc in ovile tuum: ne pereant tot animæ, ad imaginem tuam creatæ, & ſanguine Filii tui redemptæ.

Provide Eccleſiæ tuæ Præſules & Paſtores fideles; ſeu operarios ſtrenuos, & irreprehenſibiles, qui ſollicite vigilent in cuſtodia gregis ſibi commiſſi, & exemplo Filii tui, ſummi Paſtoris, etiam non dubitent animas ſuas ponere pro ovibus ſuis.

Da univerſis, quos in Clerum ſeu Religioſæ vitæ ſtatum vocare dignatus es, morum ac vitæ ſanctimoniam, zelum pro honore tuo, & proximorum ſalute, in eis accende, ut fideles inveniantur miniſtri tui, & diſpenſatores myſteriorum Dei.

Supplico tibi etiam, ô Rex Regum, pro Regibus, Principibus, & Magiſtratibus Chriſtianis; ut des eis pacem & concordiam, zelum & amorem juſtitiæ, fidelem ſubditorum curam; in fide, & Eccleſia tuenda conſtantiam.

Reſpice propitius ſuper omnes congregationes illis commiſſas; & omnia membra Eccleſiæ & Politiæ clemens protege; ut qua quiſque vocatione vocatus eſt, in ea tibi digne, & laudabiliter ſerviat. Da Iuſtis perſeverantiam; Proficientibus fervorem; ſed præcipue peccatoribus pœnitentiam. Tu enim non delectaris in perditione morientium, ſed ut mortui viverent. Filium tuum mori voluiſti. Trahe ergo ad te peccatores funiculis charitatis tuæ; nec enim venire poterunt, niſi charitas tua traxerit illos.

Exaudi, ô clemens, eorum inprimis vota & deſideria, quorum mihi cura ſingulariter incumbit: vel-

ut parentum, cognatorum, amicorum, benefactorum, & inprimis eorum, quorum animæ mihi commendatæ ſunt: & de quibus aliquando rationem exiges à me. Dirige omnes, quæſo, in viam ſalutis æternæ, ut te donante tibi placita cupiant, & tota virtute perficiant.

Intuere omnes tentatos, ægros, in anguſtiis & periculis poſitos, eſto benignus conſolator afflictorum, & Pater pupillorum; clemens quoque Iudex Viduarum; & Protector omnium Fidelium Chriſtianorum: quia ad te ſunt oculi omnium, donec miſerearis eorum. Inimicis quoque noſtris parce Domine; fac ut ament te ſuper omnia; proximos propter te.

Reſpice quoque ad animas in Purgatorio detentas (N. & N. quibus tu ſcis me magis obligatum.) ſit illis plenum refrigerium, per hoc magnum ſalutis noſtræ pretium, id eſt, ſanguinem Filii tui, cujus una guttula cuncta totius mundi ſufficiens eſt expiare delicta.

Ecce Domine, quia voluiſti me fungi Sacerdotio, pro his omnibus legatione fungor apud te: omnes à me exſpectant elevationem manuum mearum, ſacrificium hoc incruentum: utinam dirigatur, ſicut incenſum in conſpectu tuo.

Verum ô Domine, quia ſum ipſe circumdatus infirmitate; quomodo laudabo te, cum non ſit ſpecioſa laus in ore peccatoris? aut quomodò pro alienis peccatis interceſſor veniam, qui de propriis non ſum ſecurus? Ecce itaque unicus advocatus, & Mediator noſter, qui & condigne laudet te, & interpellet pro nobis Filius tuus. Ille enim nobis Sacerdos, & hoſtia, offerens & oblatio. Ille Agnus innocens, in quo macula non eſt, nec dolus inventus eſt in ore ejus. Ille clamans ad te, meretur exaudiri, pro reverentia ſua. Ille infinitum tibi theſaurum & pretium exhibet, pro votis, neceſſitatibus, anguſtiis, & periculis omnium, pro quibus ipſe tibi

factus

factus eſt obediens uſque ad mortem; & velut Paſtor bonus poſuit animam ſuam.

Per eum itaque da & mihi, ut hunc Statum, ad quem me vocare dignatus es, virtutibus illi debitis ac neceſſariis, velut charitate, zelo, caſtitate, manſuetudine, humilitate, *&c.* diligenter excolam. Tu me fac, qualem me tibi vis habere miniſtrum; Iuva Domine, & quod vis, jube. Quis enim mundum ex immundo faciet? nonne tu, qui ex nihilo facis omnia?

Ideoque rogo te Domine ex intimo corde meo, ut per virtutem Corporis & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti, jungas, & incorpores me illi intime, ut unus cum ipſo efficiar ſpiritus, ut ille in me, & ego in ipſo maneam; nec quicquam ſit, quod me nunc, aut in æternum ſeparare queat à charitate, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Amen.

Poterant hic quoque ex Thoma de Kempis lib. 4. de Imitatione Chriſti, ſeligi orationes & exercitia ſpiritu pleniſſima ad Miſſam & Communionem pie inſtituendam. Sed libellus iſte paſſim eſt in manibus omnium, & nova etiam cura, in gratiam piorum per nos adornatus, auctus & illuſtratus: inde petat cui lubet.

Ad Sacrum faciendum prævia oblatio S. Bonaventuræ.

ECce cœleſtis Pater, recolens mortem illam unigeniti Filii tui Domini noſtri *Ieſu* Chriſti, offero tibi hanc hoſtiam, quam ipſe olim obtulit pro mea & totius mundi ſalute. Ecce ad altare tuæ majeſtatis tranſmitto oblationem vivam, quam tu in miſeratione multa miſiſti ad altare crucis immolandam pro nobis. Recordare ergo illius ſacroſancti ſudoris, quaſi guttæ ſanguinis decurrentis in terram.

Reſpice illam virgineam carnem, verberibus crudeliter flagellatam, colaphis & alapis cæſam, livoribus tumidam, ſputis maculatam, ſanguine cruentatam, ſpinis perforatam, clavis confixam, lancea vulneratam.

Illa ergo pietas, quæ Filium tuum traxit & vicit, ut in ſtatera crucis totius mundi peccata libraret, ipſa te cogat Pater miſereri nobis miſeris. Reſpice obſecro non noſtra peccata, ſed in faciem Chriſti tui. Non enim in juſtificationibus noſtris preces noſtras proſternimus, ſed in multitudine miſerationum tuarum.

Cap. VII.

De modo pie audiendi Miſſam.

ADMONITIO de Excellentia, Vtilitate & Reverentia ſacrificii Miſſæ.

Qui Miſſam indies non audit, vel etiam non facit, cum poteſt, vel utrumque negligentius facit, is dignitatem & utilitatem tanti ſacrificii, vel ignorat, vel certe, non ut par eſt, æſtimat.

In Miſſa enim totum ſalutis noſtræ pretium, & omnis meritorum Chriſti theſaurus cuivis Chriſtiano proponitur; & præcipua fidei & redemptionis noſtræ myſteria renovantur.

Incurius ergo ſalutis ſuæ, in Deum quoque ingratus, & ad pietatis officia nimium languidus convincitur; qui beneficium redemptionis ſuæ ſæpius pia mentis meditatione, & grato in Deum affectu non recolit: adeoque opes pretio tam magno, id eſt, Chriſti ſanguine partas, & tanta vitæ Chriſtianæ præſidia negligit.

Frequentem utique Paſſionis ſuæ, & gratam amoris ſui erga nos memoriam Salvator à nobis requirit, cujus tam nobile, & præſtans monumentum Eccleſiæ ſuæ reliquit, dicens: Hæc quotieſcunque feceritis, in mei memoriam facietis.

Itaque non erit abs re, hic quædam annotare, quæ & tanti ſacrificii dignitatem, ac utilitatem palam faciant, & fidelibus majorem ejus reverentiam ſtudiumque concilient.

Quis enim fidelium, *ait* S. Gregorius *lib.* 4 *Dial. cap.* 56, habere dubium poſſit, in ipſa immolationis hora ad Sacerdotis vocem cœlos aperiri; in illo Ieſu Chriſti myſte-

rio Angelorum choros adeſſe, ſummis ima ſociari, terrena cœleſtibus jungi; unumque ex viſibilibus atque inviſibilibus fieri?

Confirmat hæc Chryſoſt. *lib. 6. de Sacerd.* Per id tempus, *inquit*, quo ſacrificium peragitur, & Angeli Sacerdoti aſſiſtunt, & cœleſtium poteſtatum univerſus ordo clamores excitat; & locus altari vicinus in illius honorem, qui immolatur, Angelorum choris plenus eſt: Id quod credere abunde licet, vel ex tanto illo ſacrificio, quod tunc peragitur. *Nimirum, Dominum ſuum ſine ſatellitum obſequio relinquant beati illi, & adminiſtratorii Spiritus, & velut aulici tanti Regis?*

Sed audi ſententiam mirabilem, attamen veriſſimam, quam habet auctor valde pius & doctus, P. Antonius Molina, *lib. de Inſt. Sacerd. Tract. 3, cap. 9.* Si charitas, *inquit*, qua omnes omnino ſancti jam inde ab orbis principio arſerunt, & ex hoc in finem uſque ardebunt, ſi merita cunctorum & præconia Deo facta cumulentur; ſi tormenta Martyrum, qui heroïca fortitudine vitam & ſanguinem pro Chriſto fuderunt: ſi virtutes Confeſſorum, Patriarcharum, Prophetarum, Monachorum, Eremitarum, cæterorumque omnium, qui alio genere Martyrii magis prolixo, & certa quadam ratione magis difficili ſeipſos cruciaverunt, & jejuniis, vigiliis, oratione rebelles fregerunt appetitus.

Denique ſi jungantur omnia obſequia Deo præſtita, quamvis gratiſſima, præterita, præſentia, futura: non tam perfectam laudem & honorem complectentur, quam vel ea ſola Miſſa, quam Sacerdos humillimus & pauperrimus celebrarit.

Et ne ſine ratione loqui videatur, addit: Ratio hujus eſt, quia in omni Miſſa Chriſtus eſt principalis Sacerdos, qui ut talis, actu ipſum offert ſacrificium: Munus vero Sacerdotis eſt colere Deum. Vnde in Miſſa Chriſtus eſt, qui maxime colit & honorat Patrem, ut defectum noſtrum ſuppleat.

Et certum eſt;omnes ſimul creaturas non tantum poſſe deferre Deo, quantum Filius Dei, adeo ut ſacrificium Miſſæ, tum ex parte ejus, qui offert,tum illius,qui offertur,excedat maxime omnem religionem & cultum,qui à qualibet creatura poſſet vel conjunctim exhiberi.

Quapropter (*ut merito addit idem auctor*) videant Sacerdotes, quam ingentes divitias manibus ſuis complectantur. Pudor & ignominia eſt,eſſe,qui facillime,& ob rem nihili, tantæ magnitudinis theſauro ſe & alios ſpolient. *Ita prædictus Auctor, æque gravis ac religioſus.*

Conſidera jam,(*inquit Cardin. Bellarminus*) quam ſit triſte & deplorandum, videre Sacerdotem divina Myſteria peragentem, Angelorum choris undique ſeptum, qui ad ea, quæ ipſe operatur & loquitur,ſtupent ac tremunt,& præ admiratione ingentes clamores excitant,& tamen Sacerdos in medio poſitus, totus frigidus, & quaſi ſtupidus non attendit,quid agat; non intelligit, quid loquatur; & ita properat ad finem, ita ſigna involvit, ita verba præcipitat, quaſi latronibus à tergo inſequentibus urgeretur. Clamamus in Sacramento altaris Chriſtum ipſum eſſe præſentem, & interim nonnulli ita ſacra tractant myſteria, quaſi nihil minus verum eſſe putarent. *Vide Bellarm. Con.* 9. *Dom,* 4. *Advent. Et lib.* 1. *de Arte bene mor. c.* 14.

Sed & reverentiæ tantis myſteriis debitæ etiam alii memores eſſe debent,qui Miſſæ utiliter intereſſe volunt. Valde enim deplorandum eſt, inter Chriſtianos reperiri, qui corpore præſentes in templo, mente ſimul & oculis vagentur; fabulas miſceant, nugas & jocos verſent, adſtent velut ſpectatores alicujus comœdiæ: nec ullam habeant eorum, quæ ſacerdos, ſacris operans, agit, ac exhibet, rationem. Quid turpius homini Chriſtiano, quam Chriſti Redemptoris ſui tormenta ſpectare tam irreverenter & indevote?

Quid indignius, quam ſacrificio dolorum Chriſti, & acerbiſſimæ Paſſionis ejus, renovari memoriam, redemptionis, inquam, noſtræ, beneficium recoli, & hominem Chriſtianum tam exiguo debitæ gratitudinis & pietatis affectu adſiſtere; &, quod eſt indi-

gnius,

gnius, non tantum immemorem beneficii, ſed & injurias, contumeliaſque, riſu ſcilicet, fabulis, jociſque, tam pio benefactori regerentem. Quid hoc eſt aliud, quam, ubi peccata expiari debebant, novis vetera cumulare; & cum magna ſui pernicie in venenum medicamenta convertere?

Quam male hæc hominum perverſitas cum loci ſanctitate cohæret! Domum enim Dei decet ſanctitudo, quippe quam inhabitat Sanctus Sanctorum. Dixeris, non credere tales, magnum illum cœli & terræ Regem, Dominum, mortuorum ac vivorum judicem, eſſe in hoc Sacrificio præſentem: nam cum eum laudent Angeli, adorent Dominationes, tremant Poteſtates, ipſi fabulis, nugiſque vacant. S. Chryſoſt. aliique Patres, non aliter fere vocant hæc myſteria; quam horrenda, quam tremenda, quibus Chriſtiani non ſine tremore intereſſe debeant.

Hinc eſt ergo gravis illa Concilii Trident. admonitio. Quanta, *inquit*, cura adhibenda ſit, ut ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium omni religionis cultu ac veneratione celebretur, quivis facile exiſtimare poterit, qui cogitaverit maledictum eum in ſacris litteris vocari, qui facit opus Dei negligenter.

Quod ſi neceſſario fatemur, nullum aliud opus adeo ſanctum ac divinum à Chriſti fidelibus tractari poſſe, quam hoc ipſum tremendum myſterium, quo vivifica illa hoſtia, qua Deo Patri reconciliati ſumus, in altari per Sacerdotes quotidie immolatur: Satis etiam apparet; omnem operam & diligentiam in eo ponendam eſſe, ut quanta maxima fieri poteſt, interioris cordis munditia, & puritate, atque exteriori devotionis ac pietatis ſpecie peragatur. *Seſſ. 22. cap. de Miſſa.*

Hunc itaque in finem dabimus hic Exercitia aliqua, & diverſos modos pie & utiliter audiendi Miſſam; ut inde quiſque ſeligat, quod magis arriſerit, vel ut, qui plures uno die Miſſas audire cupit, varietate ipſa ſubinde renovet ſpiritum, & pellat faſtidium, quod crebra unius repetitio parere poſſet.

Porro qui priore modo, id eſt, applicatione Paſſionis Domini-

cæ

cæ uti voluerit, ſciat neceſſe non eſſe, ut ſingulis Miſſæ partibus, ſingulæ meditationes ex æquo reſpondeant, (quamvis id ſatis commode fieri poſſit, juxta modum hic præſcriptum.) Sed uni aut alteri, pro ſuo quiſque affectu, inſiſtere poteſt, non intermiſſa interim ſpirituali Communione.

MODVS SEV PRAXIS PIE audiendi Miſſam, per exercitium Paſſionis Dominicæ.

CVm ſacrificium Miſſæ ſit viva & vera repræſentatio illius Sacrificii cruenti, quod Chriſtus in ara Crucis, ſui Corporis & Sanguinis immolatione, Patri æterno obtulit & conſummavit:

Optimus, & gratiæ pleniſſimus modus audiendi Miſſam eſt, myſtica ſacrificii hujus actione, ad Dominicæ paſſionis articulos applicata, opus redemptionis noſtræ pio mentis affectu recolere.

Nam etſi Chriſtus ipſe hic ſit principalis offerens, & oblatio: Sacerdos tamen Chriſti perſonam gerit, unde & habitus ſeu veſtimenta ejus, & tota Miſſæ actio cum Chriſti paſſione ſimilitudinem habent.

Ac 1. Tonſura *ſignificat ſpineam coronam.*

2. Amictus, *velamen illud, quod oculis Chriſti obtentum eſt.*

3. Linea tunica, *veſtem albam, qua ab Herode ad ludibrium indutus eſt.*

4. Cingulum, *funes, quibus medius conſtrictus eſt in horto.*

5. Manipulus, *vincula quibus ſacræ manus tamquam hominis nefarii adſtrictæ ſunt.*

6. Stola, *funes, qui collo ipſius divino injecti ſunt, cum crucem bajulans ad montem Calvariæ duceretur.*

7. Caſula, *veſtem purpuream, quæ data eſt Chriſto in domo Pilati.*

8. Crux *in caſula, eam crucem, quam Chriſtus geſſit, & in qua pro nobis pependit.*

9. Calix, *acerbum dolorum calicem, quem noſtri cauſſa libens exhauſit.*

10. Sacri panni, *qui explicantur in altari, Sindonem, linteamina, quibus ſacrum Chriſti corpus involutum eſt.*

EXER-

EXERCITIVM PRIMVM
Pie audiendi Miſſam.

I. PRÆPARATIO AD MISSAM.

INterim dum expectatur Sacerdos, induens, & præparans ſe ad ſacrificium, recordare, ô anima mea, quanto deſiderio adventum Meſſiæ in carnem venturi Patres olim expectaverint.

O Pater æterne, qui ſic dilexiſti mundum, ut Filium tuum Vnigenitum dares pro redemptione noſtra; quid pro tanto munere & amore retribuam tibi? Ecce ipſum Filium tuum Vnigenitum; quo nihil tibi charius, nihil nobis pretioſius.

O quot ſuſpiriis, quam ardentibus votis deſideratus ipſe fuit cunctis gentibus! donec tandem miſſus à te formam ſervi accepit, & mortali carnis noſtræ tunica indutus, majeſtatem Deitatis obtexit; deque Virginis utero in mundum prodiit: & tibi factus obediens, uſque ad mortem, nos ab æterna morte redemit.

Ecce Domine tam immenſæ, tantæ charitatis opus in hoc Miſſæ ſacrificio, in tuam *Gloriam*, & Filii tui *Memoriam* recolere cupio. Tu quæſo Domine poſſide ac rege cor meum gratia tua, ut pie, religioſe, ac decenter id faciam, ut placeat tibi hoc obſequium meum, & proſit animæ meæ.

Subjungi poſſet hic & ſequentibus articulis; omnibus aut aliquibus, pro opportunitate & arbitrio cujuslibet, ſequens

ASPIRATIO AD CHRISTVM,

Quæ Exercitium nobiliſſimarum virtutum continet.

O Domine quanta feciſti, & qualia paſſus es, ex vi immenſi amoris tui erga me! Sed quid ego retribui? aut quid retribuam?

Doleo ex intimo corde meo, quod unquam offenderim te, qui tantopere dilexiſti me.

Credo,

Credo, in te viva fide; ô æterna *veritas*; quia tu ipſe es Deus & homo; Dominus & Salvator meus.

Spero in te Domine, ô unica ſpes, & vera ſalus animæ meæ.

Amo te quoque ſuper omnia, ex toto corde meo; ô ſummum *Bonum* meum, utinam abſorbeat me ardentiſſima vis amoris tui, ut nihil unquam ſeparet me à charitate Chriſti Ieſu Salvatoris mei. Quid enim mihi eſt in cœlo, & à te quid volui ſuper terram?

II. AD CONFESSIONEM.

Quare Sacerdos ad pedem altaris humiliter inclinatus, inter Miniſtros facit.

Aſpice uti Chriſtus, aſſumptis Diſcipulis, & totius mundi peccatis, ad montem Oliveti, procidens in faciem ſuam oret, & ob paſſionis & mortis imminentis angorem, ſed magis peccatorum noſtrorum horrorem, fiat ſudor ejus, tanquam guttæ ſanguinis decurrentis in terram.

Et ego ulterius offendere te potero peccatis meis? ô dulciſſime Domine? qui tanta feciſti, & talia paſſus es, &c. *ut ſupra.*

III. AD OSCVLVM ALTARIS, & Introitum Miſſæ.

Vide ut Chriſtus, velut Agnus manſuetus, benedicti oris ſui oſculum porrigit impio proditori; & ſic amoris ſigno hoſtibus introëuntibus in hortum traditur.

Et ego pro vana creatura, tradam aut deſeram Te, mitiſſime Domine, qui tam charum habuiſti me, ut pro me de manibus hoſtium liberando, in manus impiorum tradi volueris?

IV. AD KYRIE ELEISON.

Id eſt, Domine miſerere: *Quod ternis vicibus repetitur*, Conſidera *Petrum, qui poſt tam ſpecioſa promiſſa conſtantiæ & fide-*

fidelitatis, Dominum ſuum ter abnegavit: nec reſipuit, niſi poſtquam miſericors Dominus eum reſpexit.

Ecce ſpeculum humanæ miſeriæ. Tam facile labimur; ſed non reſurgimus, niſi Dei miſericordia ſuccurrat. Hæc itaque ſæpe, imo ſemper imploranda. Hoc indicat tam crebra repetitio, Kyrie eleïſon; *quia res ardua eſt, & maximum opus divinæ miſericordiæ, peccatorem converti, & reſipiſcere. Sed, ô quantum hinc Angelis gaudium, ſuper uno peccatore pœnitentiam agente! id commode ſubſequens Hymnus monebit Angelicus.*

Heu miſericordiſſime Ieſu, quam & ego inconſtans & lubricus fui in bonis propoſitis! quoties & ego, immemor promiſſi, cum Petro negavi te Domine! At quam raro lacrymis veri doloris deflevi peccata mea! O ſi & hoc cum Petro valeam; & deinceps in bono perſeverans exhilarem Angelos, & una cum illis cantem tibi: Gloria in excelſis Deo.

V. AD COLLECTAM, Epiſtolam & Graduale.

Cogita collectas populi adverſus Chriſtum accuſationes, conſilium in domo Caiphæ, variaſque, quas hic paſſus eſt, injurias, ſputa, alapas, & illuſiones. O manſuetiſſime Domine, quanta feciſti, &c. *ut ſupra.*

VI. AD EVANGELIVM.

Quod à dextera ad lævam tranſiens Sacerdos legit.

Aſpice ut Chriſtus à Caipha ad Pilatum tranſeat; examinetur ab impiis de doctrina & Diſcipulis; accuſetur ob prædicatum Euangelium, ideoque multis injuriis & contumeliis afficiatur.

O Sapientiſſime Domine; de cœlo veniſti Magiſter, ut viam Dei in veritate doceres, & nos à terris in cœlum duceres. Vt vero perfectius impleres munus tuum, prius cœpiſti facere, quam docere. Et tamen calumniam pateris! mera erat in verbis tuis veritas; in factis probitas; in omni converſatione ſynceritas; (quis enim

poterat

poterat arguere te de peccato ?) Et nihilominus tu Dominus, Magiſter, & Iudex omnium, ab impiis & iniquis judicari, & reprobari ſuſtines !

Vtinam ego corde bono & fertili ſuſcipiam ſemen verbi ; ſeu Euangelii tui, & fructum multum adferam in patientia.

VII. AD OBLATIONEM.

Cogita, ô anima mea, quomodo Chriſtus à Pilato ad Herodem, ab hoc rurſus ad illum mittitur ; ubique illuditur, contemnitur, & reprobatur.

O ſpecioſe præ filiis hominum, ô deſiderium & exſpectatio Gentium, Tune ſis modo opprobrium hominum, & abjectio plebis, in quem deſiderant Angeli proſpicere : in quo Æternus Pater ſibi bene complacuit ! oblatus es, quia ipſe voluiſti pro nobis, & heu, ſic deſpiceris ! Ecce Domine, Ego me totum offero tibi, ne quæſo deſpicias me, qui te totum dignatus es offerre pro me.

VIII. AD LOTIONEM MANVVM, & Orate fratres.

Cogita Chriſtum innocentem à Pilato lotione manuum declarari ; exhiberi populo ; ſed à rabidis illis canibus mortis reum clamari, & latrone Barabba pejorem æſtimari.

O quoties & ego creaturam perverſo affectu præpoſui Deo creatori meo! O innocentiſſime Domine quanta feciſti, *&c. ut ſupra.*

IX. AD PRÆFATIONEM.

Expende vehementem Chriſti dolorem, & cruciatum animi, cum ingens illud odium, & extremam Iudæorum rabiem videret, qua, dum Pilatus ejus dimiſſionem omnibus modis quæreret, ab impiis ad crucem mortemque poſtulabatur, &c.

Nonne tu es Domine, cui paucis ante diebus ingredienti urbem, applauſerant omnes, canentes, Hoſanna, Bene-

Benedictus qui venit in nomine Domini? Nonne tu es, cui canunt Angeli; Sanctus, Sanctus, Sanctus? heu triſtis & ſubita cataſtrophe! ſcilicet, diſcam à te Domine, favoribus humanis inniti; Confidere in filiis hominum, in quibus non eſt ſalus: Quin tibi ſoli adhærere mihi bonum eſt, & ponere in te Domine ſpem meam, *&c.* O patientiſſime Domine, quanta feciſti, *&c. ut ſupra.*

X. AD CANONEM.

Aſpice ut Chriſtus ab impiis miniſtris, crudeliter nimis flagellatur, ſpinis coronatur, à Pilato traditur crucifigendus, mox gravi ligno crucis onuſtus, multo labore ſcandit montem Calvariæ, &c.

Heu Domine, quonam te deduxit grandis mea iniquitas, & immenſa tua charitas! Flagella iracundiæ tuæ ego merueram: & tu innocens pro me flagellaris! Æterna me crux manebat; tu eam derivas in humeros tuos. Vere dolores noſtros tu tuliſti Domine, & languores noſtros ipſe portaſti! *&c.* O clementiſſime Domine, quanta feciſti, *&c. ut ſupra.*

XI. AD ELEVATIONEM.

Cogita Chriſtum elevari in crucem, & coram omni populo conſpicuum & nudum exponi.

O Chriſte Ieſu, adoro Te, qui exaltatus es à terra, ut omnia trahas ad te ipſum. Video enim te extenſis in cruce brachiis, quaſi nos amplecti cupientem, & clamantem: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego recipiam & reficiam vos.

O Domine, ſi ſegnius ego ad te venio, trahe me, Ieſu, funiculis charitatis tuæ, quam moriens in cruce monſtraſti. Scire, & quærere *Ieſum*, & hunc crucifixum, ſit mihi ſumma & ſola voluptas. Abſit mihi gloriari, niſi in cruce Domini mei Ieſu Chriſti, *&c.*

O Pater æterne, ecce hic eſt Filius tuus dilectus, in

quo tibi bene complacuit; Reſpice in faciem Chriſti tui, & averte faciem tuam à peccatis meis; propter quæ Vnigenitus tuus humiliavit ſemetipſum, Tibi factus obediens, uſque ad mortem *Crucis*. Ecce hic eſt Advocatus noſter, apud te, & propitiatio pro peccatis noſtris. Ipſe enim peccata noſtra pertulit in corpore ſuo ſuper lignum: & livore ejus ſanati ſumus. 1 *Pet*. 2.

Percutio itaque cum Publicano, ex intimo dolore cor meum tantis peccatis obnoxium; quæ ſola ad tanta ſupplicia traxerunt Vnigenitum tuum. Per hunc ergo propitius ſis mihi peccatori.

Ecce vox ſanguinis Filii tui clamat ad te de terra, non vindictam, ſed veniam. Paſſio & mors ejus ſint mihi precor in remedium & remiſſionem peccatorum meorum. Pœnæ, & vulnera Corporis ejus, medela fiant animæ meæ, *&c.*

XII. AD ORATIONEM DOMINICAM,

Quæ ſeptem petitionibus conſtat. Cogita, ô anima mea, ſeptem ultima & ſanctiſſima Verba, *quæ Chriſtus in cruce protulit.*

I. *Pater noſter qui es in cœlis, ſanctificetur nomen tuum.*

O Da mihi Domine, ut te Patrem omnium noſtrum colam, amem, timeam, & proximum meum propter te, vera & ſincera dilectione complectar: Sicuti tu docuiſti nos exemplo tuo, pendens in Cruce, & pro inimicis moriens & orans, *Pater ignoſce illis.* O mirus & rarus amor! O ſi imitemur, qui Chriſti nomen profitemur! Nemo ſanè magis honorat nomen tuum, ô Chriſte, aut luculentius ſe diſcipulum tuum, id eſt, Chriſtianum probat, quam qui exemplo & amore tui, etiam inimicos diligere didicit.

2. *Adveniat Regnum tuum.*

Illud, inquam, cujus conſortium Latroni in cruce pro-

promiſiſti, dicens, *Hodie mecum eris in Paradiſo.* Vtinam vocem illam ſuaviſſimam audire merear in hora mortis meæ.

Da mihi Domine Fidem, Spem, & Pœnitentiam Latronis; & ab auditione mala non timebit cor meum.

3. *Fiat voluntas tua, ſicut in cælo & in terra.*

Vis nempe ô Ieſu, etiam chariſſimos tuos conſortes eſſe crucis tuæ; imo vis hoc ſignum eſſe, & indicium amoris tui. Ecce in dulciſſima Matre tua, & Diſcipulo, quem diligebas, id agnoſcere licet. Teſtes erant & ſpectatores crucifixionis tuæ: ſed heu, quo cruciatu cordis ſui?

Nempè ut hic doloris gladius tam dilectas animas, etiam chariſſimæ Matris, perfoderet, id tuæ voluntatis erat: Sed & hoc quoque; ut ſolatium non deeſſet afflictis.

Vnde dicebas: *Mater, ecce Filius tuus*, & ad Diſcipulum: *Ecce Mater tua.* Impar quidem commutatio, ut pro Filio Dei, Mater reciperet filium Zebedæi, *&c.* Sed quia hæc fuit voluntas tua, acquievit & Mater.

O Domine, Ecce tuus ſum ego; vis me ſocium paſſionis tuæ? paratum cor meum Deus: Vis etiam conſolationis? paratum cor meum. Fiat in me omnis voluntas tua. Nam quam in cœlis, id eſt, Electis tuis, & tibi amantiſſimis fieri voluiſti, cur ego detrectem? Placere tibi in omnibus cupio: & parere per omnia, ſed adde gratiam. Pati tecum non recuſo: ſed auge patientiam.

4. *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.*

Si enim tu Domine, non reficias me, utique cito deficiam. Domine qui paſcis me à juventute mea, uſque in ſenectam & ſenium, & cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me. Memento quia cauſſa mei clamaſti ad Patrem, quaſi derelictus in anguſtiis, *Deus meus, ut quid de-*

reliquiſti me? Ad te ſunt oculi omnium, & tu das illis eſcam & robur in tempore opportuno. Ego quoque clamo ad te in fame & anguſtia mea. Si tu me deſpicis, quis reſpiciet? Si me deſeris, quis recipiet? Si me repellis, quis reficiet?

5. *Et dimitte nobis debita noſtra.*

Quia ideo tam copioſe profudiſti ſanguinem tuum, ut copioſa nobis eſſet redemptio, & pretio tam magno exſolveres debita noſtra, quæ nemo ſolvere poterat, niſi tu. O amor, ô deſiderium ſalutis noſtræ! Vnde languens amore, totuſque jam exanguis & arens in cruce clamas, *Sitio*, ſed quid, niſi calicem Paſſionis & mortis, ut eo funditus exhauſto, plene dilueres debita ſeu delicta noſtra?

6. *Et ne nos inducas in tentationem.*

Sed, ut Paſtor bonus, duc & rege nos velut oves paſcuæ tuæ: & ut Mediator noſter commenda nos Æterno Patri tuo ſervandos, cui tu moriens teipſum commendaſti dicens: *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum.* Ne ſinas Domine nos perire, qui veniſti quærere, & ſalvum facere quod perierat.

7. *Sed libera nos à malo.*

Quorſum enim tot labores, ſudores, & dolores totius vitæ tuæ? quorſum totum Redemptionis opus, quod à te in Cruce *Conſummatum* eſſe dixiſti, niſi ut nos liberemur ab omni malo: gaudeamus in te Vno vero, & Summo *Bono?* O utinam mihi detur illo frui. *Amen,* Fiat, ô Chriſte *Ieſu*; Fiat ô ſalus & vita, & pars mea Deus in æternum.

XIII. AD DIVISIONEM HOSTIÆ, & Agnus Dei.

Cogita ſeparationem animæ Chriſti à Corpore, id eſt, mortem, quam ille velut Agnus innocens ad occiſionem ductus pertulit, ut tolleret peccata mundi. Item deſcenſum ad inferos, &c.

O Domine, tune Auctor vitæ moreris, ut ego mortis reus vivam? quis mihi tribuat, ut mundo & carni moriar, & tibi ſoli vivam? & liberatus de profundo inferni, tecum exultem in gloria? ô Domine, quanta feciſti! *&c. ut ſupra.*

XIV. AD COMMVNIONEM.

Dum Sacerdos ſacra Myſteria ſumit, cogita corpus Chriſti imponi ſepulchro, & tu quoque eum repone in pectore tuo; Et ad hoc ſpiritualem Communionem inſtitue: quæ vivis Fidei, Spei, Charitatis actibus potiſſimum conſtat. Ecce praxin:

Adoro te, Domine Ieſu, viva & vera fide, in hoc Sacramento, corpore & anima, carne & ſanguine, vi mirabilis potentiæ, ſapientiæ, & bonitatis vere præſentem; & ſpero in te ô fons omnis bonitatis & miſericordiæ; non enim ſum dignus, ut intres ſub tectum meum, ſed tantum dic verbo, Tu qui ſolo nutu potes omnia; & ſanabitur miſera & languens anima mea.

Amo te Domine tam amantem mei, ex toto corde meo, ſuper me & omnia: & ideo cupio ſumere te modo, ſaltem ſpiritualiter, per os Sacerdotis hujus, Miniſtri tui; qui adſtans altari tuo, offert nunc ſacra myſteria pro nobis omnibus; ut manducem te, & muter in te, & unus tecum efficiar ſpiritus, ut nihil me ſeparet à te, ſed in æternum adhæream tibi.

Fac, ô Domine, per hæc myſteria, tanta charitatis tuæ munera, ut ſacrum Corpus tuum aromatis, & bono virtutum odore condiam, & ſindone puræ conſcientiæ involutum, in cor novum mundumque reponam, utinam

utinam tu in me & ego in te jugiter maneam, & requieſcam, *&c.*

XV. AD POSTCOMMVNIONEM.

Chriſtum à morte reſurgentem, & multis apparentem cogita. Vtinam & ego nunc à morte peccati vere reſurgam, & deinceps tecum, in novitate vitæ ambulem. Mortuus enim es propter delicta noſtra, & reſurrexiſti propter juſtificationem noſtram. O Domine, quanta feciſti! *ut ſupra.*

XVI. AD ITE MISSA EST, benedictionem, & Euangelium S. *Ioannis.*

Cogita quod Chriſtus munere redemptionis humanæ jam plene perfunctus, velut glorioſus Triumphator cœlos aſcendat, & Apoſtoli accepta Chriſti benedictione, euntes in mundum univerſum, prædicent Euangelium omni creaturæ, &c.

O glorioſiſſime Ieſu, egone mente defixus, in terris hærebo, qui te Patrem meum in cœlis eſſe cognoſco? Tu me tecum duc in altum, ut, quæ ſurſum ſunt, quæram, & ſapiam, non quæ ſuper terram. Da, ut converſatio mea ſit in cœlis.

O Chriſte Ieſu, qui in cœlo, tanquam in throno Majeſtatis tuæ reſides, & tamen in altari præſens eſſe, & per manus hujus Sacerdotis offerri dignatus es; laudo, adoro, & amo te, ex toto corde; ſed non dimittam te, niſi benedixeris mihi.

Eſto Mediator noſter, ubi es ad Dexteram Dei ſedens; & Patrem indeſinenter interpella pro nobis: oſtende ei ſanguinem & vulnera, & omnia merita tua; quomodo ibi poterit eſſe repulſa, ubi tot ſunt charitatis inſignia? O Domine, quanta feciſti! *&c. ut ſupra.*

Cap. VII.

ALIVS MODVS

Piè audiendi Miſſam.

VNum è præcipuis Chriſtianæ pietatis officiis eſt, Miſſæ Sacrificio, *devote & frequenter adſiſtere.* Inprimis *ergo excita teipſum ad attentionem & reverentiam conſideratione divinæ Majeſtatis, ubique quidem ſed hic maxime præſentis.*

Deinde *junge & conforma* Intentionem *tuam intentioni Sacerdotis: id eſt, offer cum eo hoc* Sacrificium, *& fac, quantum licet, quod ipſe facit, ſic enim & tu quoque particeps eris Corporis & Sanguinis Domini.*

Tanta ſiquidem eſt virtus hujus ſacrificii, ut qui præſentes Intentionem ſuam *cum Sacerdotis intentione conjungunt, ſimul cum ſacerdote, de ſacrificio participent; cibique divini guſtum & fructum percipiant: non ſecus ac membra corporis, ad quæ per os cibus & alimonia defertur.*

Eſt enim Sacerdos velut os, interpres, atque legatus populi Chriſtiani: ipſe alloquitur Deum, orat, laudat, ſacrificium pro ſalute populi totius offert; eorum maxime, qui Miſſæ ſacrificio præſentes, & ſacrificanti ſunt intentione conformes.

Id patet ex Canone, in quo dicit Sacerdos: Memento Domine, *&c.* & omnium circumſtantium, quorum tibi fides cognita eſt, & nota devotio, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc Sacrificium laudis, pro ſe, ſuiſque omnibus, pro redemptione animarum ſuarum, pro ſpe ſalutis, & incolumitatis ſuæ, tibique reddunt vota ſua æterno Deo, vivo & vero. *Ecce quæ ſit Sacerdotis hoc ſacrificium offerentis Intentio; Eadem ſi quoque tua ſit, & vis, virtuſque ſacrificii tua quoque erit.*

FORMVLA FORMANDI intentionem ante Sacrum audiendum.

Ex P. Chriſt. Mayer.

SVſcipe S. Trinitas unus *Deus* hoc ſacroſanctum Sacrificium Corporis & Sanguinis Domini noſtri *Ieſu* Chriſti, quod ego indignus ſervulus tuus una cum ſacrificiis omnibus tibi unquam oblatis aut offerendis, unitum ſanctiſſimo Sacrificio ab eodem Domino noſtro in ultima cœna & ara crucis oblato, per manus Sacerdotis offero divinæ majeſtati tuæ, omni poſſibili pietatis affectu, ex puro amore tuæ infinitæ bonitatis, ſecundum ſanctiſſimam ejuſdem Domini noſtri & S.Matris Eccleſiæ intentionem.

1. Ad maximam æternamque divinæ majeſtatis tuæ gloriam, amorem, beneplacitum.

2. In proteſtationem ſupremæ excellentiæ & dominii tui, & noſtræ ſubjectionis, & dependentiæ à te.

3. In perpetuam commemorationem paſſionis ac mortis ejuſdem Domini noſtri.

4. In honorem augmentumque gloriæ B. Virginis, totiuſque curiæ triumphantis.

5. In gratiarum actionem æternam pro omnibus beneficiis ſanctiſſimæ humanitatis Domini noſtri, B. Virgini matri ejus, patronis meis, omnibus beatis & prædeſtinatis, & mihi indigniſſimo hucuſque collatis, & conferendis in æternum.

6. In ſatisfactionem peccatorum meorum, omniumque fidelium vivorum & defunctorum.

7. Singulariter offero pro his N. N. vel pro hac gratia obtinenda. Secundario pro his N. N. mihi peculiariter commendatis, omnibuſque pro quibus orare ſoleo & teneor, ad impetrandam defunctis requiem, viviſque gratiam te agnoſcendi, amandi, glorificandi nunc perfecte in via, olim beate in patria. Suſcipe & perfice hoc deſi-

derium meum, uberemque ad pie id complendum, gratiam & benedictionem largire. Amen.

FORMVLA BREVISSIMA excitandi contritionem & devotionem; & renovandi intentionem cum petitione gratiæ ante Miſſam.

Ex Eodem.

O IESV infinite amabilis, qui ex voluntate Patris, cooperante Spiritu ſancto, non ſemel tantum te mihi in ſocium, edulium, ſacrificium, pretium, præmium dare dignatus es, ſed quotidie denuo offerre dignaris; quanta tua eſt erga me ingratum liberalitas, charitas, miſericordia? quanta mea erga te ingratitudo, ſtupiditas, malitia, qui tot, & tanta mala, & peccata reddo pro tot & tantis bonis? doleo de his .... & omnibus totius vitæ peccatis, pure propter te infinite bonum à me offenſum. Cupio omnia emendare, & pro omnibus ſatisfacere, ſicut vis. Supple, ignoſce, recipe me in pacis oſculum per lacrymas, ſudorem, & ſanguinem tuum, & hoc ſanctum Sacrificium.

O ſi diviniſſimo huic memoriali paſſionis tuæ, monumento potentiæ, ſapientiæ & bonitatis tuæ, & compendio omnium mirabilium tuorum aſſiſtere poſſem ea attentione, devotione, reverentia, quam exigit tuæ divinæ majeſtatis præſentia, tot Angelorum aſſiſtentium frequentia: tot myſteriorũ, quæ hic geruntur, magnificentia.

Deſidero id præſtare, mi Deus, ex totis præcordiis meis, ad maximam tuam gloriam, amorem, beneplacitum, in gratiarum actionem omnium beneficiorum, in ſatisfactionem peccatorum meorum, omniumque fidelium, pro his N. N. omnibuſque vivis & defunctis, ad impetrandam iis veniam, gratiam, gloriam.

Quod ut digne præſtare poſſim, da obſecro mihi copioſam gratiam, & benedictionem, per merita tua, B. Virginis matris tuæ, & omnium Sanctorum.

ORATIO ANTE MISSAM.

CLementiſſime Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis; qui ſic mundum dilexiſti, ut Filio tuo unigenito non parceres; ſed eum in paſſione ac morte acerbiſſimæ crucis noſtræ reparationi impenderes, quin etiam ejus oblationem tibi gratiſſimam, ad renovandum illius in nobis fructum, in Eccleſia tua quotidie renovari velles; tribue nobis; quæſumus, huic tam admirando & ſalutari, divinæ tuæ potentiæ, ſapientiæ ac bonitatis myſterio, tam attente, reverenter, & devote intereſſe, ut cruenti illius ſacrificii participationem, per hujus incruenti oblationem quam efficaciſſime conſequi valeamus. Per eundem Dominum.

Signo ſanctæ Crucis te conſignans, cum Sacerdote ſic incipe:

In nomine Patris, *&c.*

Pſalmus XLII.

IVdica me Deus, & diſcerne cauſſam meam de gente non ſancta: ab homine iniquo & doloſo erue me.

Quia tu es Deus fortitudo mea: quare me repuliſti, & quare triſtis incedo, dum affligit me inimicus?

Emitte lucem tuam & veritatem tuam: ipſa me deduxerunt & adduxerunt in montem ſanctum tuum, & in tabernacula tua.

Et introibo ad altare Dei: ad Deum qui lætificat juventutem meam.

Confitebor tibi in cithara Deus, Deus meus: quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, ſalutare vultus mei, & Deus meus.

Gloria Patri, *&c.*

Introibo ad altare Dei: ad Deum qui lætificat juventutem meam.

Adju-

Adjutorium noſtrum in nomine Domini: qui fecit cœlum & terram.

Confeſſio generalis.

Confiteor Deo omnipotenti, *&c.*

Hymnus Angelicus.

GLoria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Laudamus te, Benedicimus te, adoramus te, glorificamus te.

Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam. Domine Deus Rex cœleſtis, Deus Pater omnipotens. Domine Fili unigenite, Ieſu Chriſte.

Domine Deus, agnus Dei, Filius Patris, qui tollis peccata mundi, miſerere nobis. Qui tollis peccata mundi, ſuſcipe deprecationem noſtram: qui ſedes ad dexteram Patris, miſerere nobis.

Quoniam tu ſolus Sanctus. Tu ſolus Dominus. Tu ſolus Altiſſimus, Ieſu Chriſte, cum Sancto Spiritu in gloria Dei Patris. Amen.

℣. Dominus vobiſcum.

℟. Et cum Spiritu tuo.

Hæc formula in Miſſa ſæpius repetitur, qua Sacerdos & fideles aſſiſtentiam divinæ gratiæ ſibi mutuo imprecantur, ut ea præſente divinis myſteriis peragendis magis fiant idonei.

DE COLLECTA.

COLLECTA *dicitur oratio, in qua Sacerdos totius populi, vel Eccleſiæ neceſſitates & pericula, ſeu vota & deſideria, quaſi* Collecta *Deo repræſentat. Vnde dicit,* Oremus; *quaſi adſtantes invitet ad hanc orationem conjunctis votis animiſque faciendam.*

ORA-

ORATIO AD COLLECTAM.

OMnipotens ſempiterne Deus, te ſuppliciter oramus, ut reſpicere digneris de excelſo Sanctuario tuo, ſuper congregationem noſtram, & Eccleſiæ tuæ preces, pro nobis omnibus ad te, Sacerdotis hujus miniſterio, deſtinatas clementer acceptes, & exaudias.

Ideoque pro immenſa tua miſericordia, largire nobis peccatorum noſtrorum veniam, integritatem mentis, incolumitatem corporis, neceſſariam vitæ ſuſtentationem: pacem in diebus noſtris, aëris temperiem, fertilitatem terræ.

Catholicæ fideï unitatem, extirpationem hæreſium, conſiliorum iniquorum deſtructionem, orthodoxæ religionis incrementum, charitatis ac pietatis fervorem, ſinceram animi devotionem, tolerantiam, longanimitatemque in afflictionibus, in ſpe gaudium. Omnia denique ad ſalutem tum animæ, tum corporis utilia, ſed ad tuæ inprimis gloriæ augmentum idonea. Per Dominum.

AD EPISTOLAM,
Graduale, *&c.*

Quæ fere ex Propheticis, aut Apoſtolicis ſcripturis deſumuntur, auſculta diligenter; velut ſi Apoſtolum, aut Prophetam ipſum docentem, monentem, vel arguentem, &c. *audires.*

Vnde magnus videtur abuſus, & non levis jactura pietatis, & utilitatis publicæ, in officio ſolemni lectionem hanc epiſtolicam (velut & orationem Dominicam, Symbolum, &c. *) vix inceptam mox abrumpere, & tam veteris Eccleſiæ inſtituti non niſi umbram quandam ſervare. Porro ſi lectionem hanc percipere nequeas, orabis interim hoc modo.*

O Æterne Deus, qui nunquam deſinis nos indignos famulos tuos publico Eccleſiæ tuæ miniſterio, Apoſtolicis, Propheticis, aliiſque ſacris doctrinis, & monitis,

nitis, ad cultum & amorem tui Nominis excitare, & adverſus mundi, carnis, dæmoniſque inſidias præmunire:

Da quæſumus, ut ſalutaria dogmata, ac monita omnes ex animo ſemper amplectamur, eiſque mores, & omnem vitam noſtram ſerio conformare conemur.

Et ne tandem nobis ad cumulum damnationis cedat, viam veritatis, ſeu voluntatem tuam, per tot interpretes, ac præcones tuos cognoviſſe, & non feciſſe: da nobis gratiam & vires, ut quæ facienda toties cognoſcimus, efficaciter facere valeamus. Amen.

AD EVANGELIVM.

EVANGELIVM *ex priſca & pia traditione ſtantes audire conſuevimus.* Primo, *in teſtimonium reverentiæ Chriſto velut præſenti & docenti exhibendæ.*

Deinde, *ut profiteamur alacres nos eſſe Chriſti Diſcipulos ad ejus doctrinam tum auribus excipiendam; tum moribus exprimendam.*

Denique, *ut oſtendamus nos, velut milites ſub Chriſto duce, arma militiæ noſtræ, quibus contra hoſtes noſtros pugnemus, ex fide & doctrina Chriſti petere, & pro ejus veritate tuenda paratos eſſe quidvis agere & pati.*

CRVCIS *ſignum ad frontem, os, & pectus, tum ante, tum poſt Euangelii lectionem formari ſolitum, admonet nos, ſic excipiendam eſſe Chriſti doctrinam, ut eam & complectamur corde; & loquamur ore, & opere profiteamur.*

Deinde, ut curemus, ne volucres cœli, id eſt, ſpiritus illi aërii noſtræ ſalutis hoſtes, bonum doctrinæ Euangelicæ ſemen abripiant; aut ſæculi forſan curæ, velut ſpinæ, illud ſuffocent, ut fructum facere nequeat.

Porro, quod Sacerdos recitaturus Euangelium, tranſeat à dextera ad ſiniſtram, indicat Iudæis, tamquam genuinis, primum prædicari debuiſſe Euangelium: ſed illis non recipientibus, Apoſtolos converſos eſſe ad Gentes.

ORA-

ORATIO AD EVANGELIVM.

DOmine Ieſu Chriſte,qui à Deo veniſti Magiſter; & viam Dei nos in veritate docuiſti, olim quidem viſus in terris,& cum hominibus converſatus: hodie etiam per Euangeliſtarum ſcripta, & præcones verbi tui docere non ceſſas.

Da nobis intellectum capacem ſalutaris doctrinæ tuæ. Accende & affectum zelo ſapientiæ cæleſtis: & doce nos facere voluntatem tuam; ut fidem, quæ ex auditu Euangelii naſcitur,& quam lingua noſtra loquitur; etiam moribus vita fateatur; ne ad cumulum culpæ & pœnæ nobis cedat, ſciviſſe voluntatem Domini, & non feciſſe: utrumque enim opus eſt ſolius gratiæ tuæ, ut ſciamus & faciamus, quia ex nobis ſervi inutiles ſumus; ex te autem eſt omnis ſufficientia noſtra.

Poſt lectum Euangelium.

LAus tibi Chriſte,qui per te ac Apoſtolos tuos,Euangelium orbi prædicare,ac incredulos veræ fidei luce illuſtrare dignatus es.

Euangelio ſubjicitur Symbolum, *ſeu profeſſio fidei; recte quidem, quia fides eſt ex auditu verbi Dei, & magna multitudo gentium ex prædicatione Euangelii fidem Chriſti amplexa eſt. Recita illud una cum Sacerdote, ſed vivo fidei & pietatis affectu: ſic enim excitabis in te ardentem in Chriſti fide zelum, adeoque conſtantiam & perſeverantiam. Nihil quoque potentius ad excitandum in nobis Dei amorem & timorem; quam ſi vigeat in nobis viva fides eorum, quæ in Symbolo continentur.*

SYMBOLVM NICÆNVM.

CRedo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, viſibilium omnium & inviſibilium.

Et in unum Dominum Ieſum Chriſtum, Filium Dei Vnige-

Vnigenitum, & ex Patre natum ante omnia ſæcula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum non factum, conſubſtantialem Patri: per quem omnia facta ſunt.

Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis. Et incarnatus eſt de Spiritu ſancto ex Maria Virgine. *Et homo factus eſt.* Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus & ſepultus eſt.

Et reſurrexit tertia die ſecundum Scripturas. Et aſcendit in cœlum: ſedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus eſt cum gloria, judicare vivos & mortuos, cujus regni non erit finis.

Et in Spiritum ſanctum, Dominum & vivificantem; qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur: qui locutus eſt per Prophetas.

Et unam ſanctam Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam. Confiteor unum Baptiſma in remiſſionem peccatorum. Et exſpecto reſurrectionem mortuorum, & vitam venturi ſæculi, Amen.

Cum ſacerdos ad oblationem ſe præparat, ita precare:

DOmine Ieſu Chriſte, Fili Dei vivi, & glorioſæ Virginis; in memoriam & laudem immenſæ charitatis tuæ, qua te nobis totum in altari Crucis impendiſti: Ecce præſens Miſſæ ſacrificium, ſicut & alia omnia, quæ per Sacerdotum manus toto orbe celebrantur, hodie offero tibi repræſentanda Æterno Patri tuo, in unione & efficacia illius oblationis, qua ipſe in cruce moriens ſacroſanctum Corpus & Sanguinem tuum pro mundi ſalute obtuliſti.

Fac ut ejuſdem Corporis & Sanguinis tui oblatio; quæ in myſterio hic renovatur, & incruento modo ſub ſpecie panis & vini peragitur, ut fructum ſuum efficaciter obtineat: adeoque vivi inde gratiam, fideles defuncti requiem,

quiem, & hi, pro quibus ſacrificium offertur, miſericordiam ac vitam conſequantur æternam.

Sit quoque hoc ipſum Sacrificium, quod fructum paſſionis & mortis tuæ in ſe continet, pro innumeris beneficiis tuis in nos collatis gratiarum actio, & pro infinitis peccatis commiſſis, ac bonis omiſſis, pœniſque promeritis propitiatio & ſatisfactio ſalutaris. Qui vivis & regnas, *&c.*

Alia.

SVſcipe ſancta Trinitas hanc oblationem, quam una cum Sacerdote, tibi offerimus ob memoriam Paſſionis, Reſurrectionis, Aſcenſionis Ieſu Chriſti Domini noſtri.

Et in honorem beatæ Mariæ ſemper Virginis, & beati Ioannis Baptiſtæ, & ſanctorum Apoſtolorum tuorum Petri & Pauli: & iſtorum, & omnium Sanctorum, ut illis proficiat ad honorem, nobis autem ad ſalutem.

Et illi pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam agimus in terris. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Materia *Sacrificii præparata Sacerdos lavat manus, indicans, non niſi lotis puriſque mentibus hoc ipſum ſacrificium tractandum eſſe.*

ORATE FRATRES.

Sacerdos ſuæ ſibi conſcius infirmitatis ad populum fidelem convertitur, petens illius ſe precibus adjuvari, ut ſacrificium Deo acceptum omnium nomine queat offerre. Advertant itaque qui Sacro interſunt, ut quod rogantur, faciant, id eſt, tum Sacerdotem, tum ſacrificium Deo humiliter commendent; ut hoc quod offert, omnibus proficiat ad ſalutem.

ORATIO.

MIttat tibi Dominus auxilium de Sancto, & de Sion tueatur te, memor ſit omnis ſacrificii tui, & holocauſtum tuum pingue fiat.

Alia.

Alia.

SVſcipiat Dominus ſacrificium de manibus tuis, ad laudem & gloriam Nominis ſui, ad utilitatem quoque noſtram, totiuſque Eccleſiæ ſuæ ſanctæ.

ORATIO

Pro Sacerdote celebrante.

SAcerdotes tui Domine induantur juſtitiam; hic præſertim, qui modo aſtat Altari tuo & orat pro nobis, ut parcas populo tuo, & non des hæreditatem tuam in perditionem. Vtinam ſanctus ſit, quia tu ſanctus es, cui ſervit; ut, puritate vitæ, præſtet ſe dignum ſacris altaribus miniſtrum, & debita reverentia honoret SS. myſteria, & majeſtatem nominis tui.

Ecce ſacrificium hoc & quodcunque hactenus obtulit, aut deinceps offeret, ego nunc offero tibi, in unione iſtius reverentiæ, qua tu ipſe, ô ſumme Sacerdos, holocauſtum te obtuliſti pro nobis, & à miniſtris tuis offerri in Eccleſia voluiſti, Amen.

Sacerdos *ad actionem illam, in qua ipſum ſacrificium proprie conſiſtit, jam acceſſurus, Præfationem præmittit; quæ eſt præparatio & excitatio quædam populi ad hanc ipſam actionem, ea qua par eſt attentione, reverentia & pietate proſequendam.*

Vnde cum dicit, Surſum corda, *meminiſſe debemus, poſthabitis terrenis curis & cogitationibus, ad ſuperna & cœleſtia mentem eſſe transferendam, maxime quia moniti à Sacerdote reſpondemus,* Habemus ad Dominum, *ne forſan arguamur mendacii, dum ſeculi rebus implicati, aliud proferimus ore, aliud corde gerimus.*

PRÆFATIO ECCLESIÆ.

GRatias agamus Domino Deo noſtro.

Vere dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper & ubique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus. Per Chriſtum.

Per quem Majeſtatem tuam laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Poteſtates, cœli cœlorumque virtutes, ac Beata Seraphin ſocia exultatione concelebrant, cum quibus & noſtras voces, ut admitti jubeas deprecamur, ſupplici confeſſione dicentes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth. Pleni ſunt cœli, & terra gloria tua: Hoſanna in excelſis. Benedictus, qui venit in nomine, *&c.*

ORATIO.

BEnedictus ſis Domine Ieſu Chriſte, fili Dei vivi, qui noſtri miſertus è cœlo deſcendiſti, & aſſumptum de Virgine Corpus & Sanguinem tuum in ara Crucis, vera pro peccatis noſtris hoſtia liberaliter obtuliſti.

Laus tibi & gloria, quod ex eodem Corpore & Sanguine tuo non modo panem vitæ nobis in Sacramento ſumendum, ſed etiam ſacrificium in altari per Sacerdotes offerendum inſtituiſti, atque ad mundi finem uſque celebrandum reliquiſti.

ORATIO SVB CANONE.

Ex P. Chriſt. Mayer.

CLementiſſime Pater, ſuſcipe hoc ſacroſanctum Sacrificium de manu ſacerdotis, in unione ſacroſancti illius ſacrificii, quod tibi dilectus Filius tuus tota vita, in ultima cœna, in cruce obtulit pro me, pro N. N. & omnibus pro quibus mori dignatus eſt.

Reſpice in faciem Chriſti dilectiſſimi Filii tui, in quo tibi bene complacuiſti, & per æternam dilectionem, qua nos ſic dilexiſti, per infinita merita ejuſdem Vnigeniti tui, per ejus Incarnationem, Adventum, Nativitatem, Circumciſionem, Lacrymas, Labores, Paſſionem, Mortem, per infinitam Charitatem, qua tanta pro me fecit, dixit, paſſus eſt.

Et

Et per merita ſanctorum omnium triumphantium & militantium, Memento & miſerere Eccleſiæ tuæ, cjuſque capitum, Summi Pontificis, Imperatoris, Prælatorum, Principum, omnium ſtatuum Eccleſiaſticorum, religioſorum, ſæcularium, qui maxime poſſunt gloriæ tuæ & ſaluti animarum prodeſſe vel obeſſe:

Parentum item, fratrum, benefactorum & amicorum meorum, qui ſe mihi ſingulariter commendarunt N. N. qui me contriſtaverunt, quos ego contriſtavi, offendi, juvare neglexi, & quos per me in viam ſalutis vis dirigere.

Horum omnium miſerere Pater miſericordiarum, ſicut ſcis & vis, gratiam iis concedens, ut tibi perfectiſſime placeant, te agnoſcant, timeant, ament, glorificent cum eodem dilecto Filio tuo & Spiritu ſancto, nunc & ſemper & in ſecula ſeculorum.

AD ELEVATIONEM.

Quid Pectoris Tunſio *ſub elevatione? Indicat,* 1. *Humili & ſincera hic in Deum fide opus eſſe, quæ captum ingenii verbo Dei ſubjiciat.* 2. *Significat magno cordis deſiderio ad cœleſtem illum cibum, qui oſtenditur, nos ferri debere.* 3. *Vehementi cordis dolore deteſtanda eſſe peccata, quæ nos ſacrificii illius participatione faciunt indignos.*

Itaque cum Publicano illo percutiendum pectus; non eo modo, quo nonnulli hoc tempore in Eccleſia pectus ſola conſuetudine, ſine ullo doloris ſenſu percutiunt, parum interim memores, quod hoc ritu ſeipſos, ex conſcientia peccatorum, reprehendere & caſtigare moneantur.

Ille quidem magno cordis dolore pectus tundebat, velut reprehendens cor ſuum, quod ipſi admiſſorum criminum origo eſſet & ſeminarium, illumque malorum omnium fontem repurgari à Domino poſtulans.

ORATIO

Ad elevationem ſacræ Hoſtiæ.

SAlve ſalutaris victima, pro me & toto genere humano in patibulo Crucis oblata. Chriſte Rex æterne,

homo crucifixe propter hominem, reſpice ſacratiſſimam carnem tuam pro me cruci clavis affixam , & lancea perforatam.

Atque illa , quæſo , pietas , quæ te traxit & vicit , ut in ſtatera glorioſiſſimæ Crucis totius mundi peccata expiares : illa te cogat clementia , ut miſerearis mei pleni miſeriis , qui fonte miſerationis nunquam manare ceſſas , cuſtodiens animam & corpus meum in vitam æternam.

ORATIO SVB ELEVATIONE.

Ex P. Chriſt. Mayer.

O *Ieſu* Fili Dei & *Mariæ* Virginis , Dominus meus & Deus meus infinite amabilis , qui amore mei crucifigi, & in cruce mori dignatus es, adoro, amo, & glorifico te omnium creaturarum poſſibilium poſſibili affectu , cum Patre & ſancto Spiritu , & ex animo deſidero, ut adoreris , ameris , & glorificeris infinities ab omnibus , in omnibus , ſuper omnia , omni poſſibili modo , gratis , propter te , nunc, ſemper , in æternum , & ultra.

Credo in te , Spero in te , Amo te & quidquid amas propter te ; Doleo pure propter te, quod unquam offenderim te. Ignoſce, indulge, ſupple per te.

En ex hoc momento paratum cor meum ad omnem nutum tuum. Tuus ſum , eroque æternum ; poſſide me, & tuæ voluntati penitus conforma.

Pater reſpice in faciem dilectiſſimi Filii tui, quem tibi in Sacrificium laudis , gratiarum actionis & propitiationis offero , & per illius lacrymas , ſudorem & ſanguinem ; per gemitus & ſuſpiria , per labores & obſequia , per dolores & ſupplicia, per infinita ejus merita miſerere mei,illorum N. N. & omnium, pro quibus mortuus eſt, gratiam largiens te perfecte ſemper amandi , tuamque

ſanctiſ-

ſanctiſſimam voluntatem amplectendi & exequendi in tempore & æternitate.

Per eundem dilectum Filium tuum miſerere, miſericordiſſime Pater, animarum fidelium defunctorum mihi peculiariter commendatorum N. N. omniumque pro quibus præcipue me vis orare; veniam, & requiem æternam illis clementer indulgendo, ut æternum benedicant, laudent & glorificent, cui debetur omnis laus, honor & gloria.

Alia ſancti Thomæ Aquinatis.

ADoro te devote latens Deitas: Quæ ſub his figuris vere latitas.

Tibi ſe cor meum totum ſubjicit, Quia te contemplans, totum deficit.

Viſus, tactus, guſtus, in te fallitur: Sed auditu ſolo tuto creditur.

Credo quidquid dixit Dei Filius: Nil hoc verbo veritatis verius.

In cruce latebat ſola Deitas: At hic latet ſimul & humanitas:

Ambo tamen credens atque confitens: Peto quod petivit latro pœnitens.

Plagas, ſicut Thomas, non intueor: Deum tamen meum te confiteor.

Fac me tibi ſemper magis credere, In te ſpem habere, Te diligere.

O memoriale mortis Domini, Panis vivus, vitam præſtans homini:

Præſta meæ menti de te vivere, & te illi ſemper dulce ſapere.

Pie Pelicane Ieſu Domine, Me immundum munda Tuo Sanguine:

Cujus una ſtilla ſalvum facere Totum mundum quit ab omni ſcelere.

Ieſu quem velatum nunc aſpicio, Oro fiat illud, quod tam ſitio.

Vt te revelata cernens facie, Viſu ſim beatus tuæ gloriæ. Amen.

Alia ſub Elevatione.

AVe verum corpus natum ex Maria Virgine: vere paſſum, immolatum in Cruce pro homine:

Cujus latus perforatum, vero fluxit ſanguine; Eſto nobis prægustatum, mortis in examine.

O clemens, ô pie, ô dulcis Ieſu Fili Mariæ.

Da ut ſicut te nunc videre merui ſub forma panis, ita cum ad judicandum veneris; ſecurus & gaudens merear te videre in gloria tuæ Majeſtatis, & perpetuo perfrui in regno æternæ claritatis. Vbi cum Deo Patre, & Spiritu ſancto, vivis & regnas Deus, in ſæcula ſæculorum.

AD ELEVATIONEM CALICIS.

SAlve nobiliſſime Sanguis, de latere Domini mei Ieſu Chriſti profluens, & totius veteris & novæ culpæ maculas diluens, ablue, ſanctifica & cuſtodi animam meam in vitam æternam. Amen.

Item utiliſſime recitantur illa verba ex hymno SS. Ambr. & Aug.

TV Rex gloriæ Chriſte: Tu Patris ſempiternus es Filius.

Tu ad liberandum ſuſcepturus hominem, non horruiſti Virginis uterum.

Tu devicto mortis aculeo aperuiſti credentibus regna cælorum.

Tu ad dexteram Dei ſedes, in gloria Patris.

Iudex crederis eſſe venturus.

Te ergo quæſumus, tuis famulis ſubveni, quos pretioſo ſanguine redemiſti.

Pius lector ex his ſeligat quod magis placet; nec enim omnia ſub uno ſacro conveniunt.

Oratio poſt Elevationem. Ex S. Auguſt.

OMnipotens Pater, qui ſic dilexiſti mundum, ut Filium tuum unigenitum dares, ut omnis, qui credit in illum, non pereat, ſed habeat vitam æternam: per hunc dilectum Filium tuum, cujus beatiſſimam Paſſionem, & glorioſam Reſurrectionem, & in cœlos Aſcenſionem recolo, te oro, educ de carcere animam meam ad confitendum nomini tuo.

Libera me à vinculis peccatorum, & quem propria merita faciunt lethalem timere ſententiam, per hujus dilecti Filii tui ad dexteram tuam conſedentis interpellationem, reſtaura placatus ad vitam.

Quem enim alium dirigam interceſſorem tibi, neſcio, niſi hunc, qui eſt propitiatio pro peccatis noſtris: qui ſedet ad dexteram tuam, interpellans pro nobis, advocatus meus apud te Deum Patrem, Pontifex ſummus, non alieno, ſed proprio perfuſus cruore. Hoſtia ſancta, beneplacens, & perfecta in odorem ſuavitatis oblata & accepta, Agnus ſine macula, qui peccatum non fecit, ſed peccata noſtra pertulit, & languores noſtros ſuo livore ſanavit. Hic eſt, quem propter peccata populi tui percuſſiſti, licet ipſe ſit dilectus, in quo tibi bene complacuit.

Adſpice, mitiſſime Pater, dilecti Filii tui humanitatem, & miſerere ſuper infirmi plaſmatis debilitate. Vide Redemptoris ſupplicium, & redempti dimitte delictum.

Oro te Rex Sanctorum, in hunc Sanctum Sanctorum, per hunc Redemptorem meum, fac me currere viam mandatorum tuorum, ut ei valeam ſpiritu uniri, qui mea non horruit carne veſtiri, Ieſus Chriſtus in ſæcula benedictus. Amen.

Ad Memoriam defunctorum ex S. Ambroſ.

ROgamus etiam te ſancte Pater, pro ſpiritibus fidelium Defunctorum, ut ſit illis ſalus æterna, gaudium & refrigerium ſempiternum.

Hoc magnum pietatis Sacramentum, Domine Deus meus, ſit illis hodie magnum & plenum gaudium de te pane vivo & vero, qui de cœlo deſcendiſti, & das vitam mundo, de carne ſancta & benedicta, Agni videlicet immaculati, qui tollis peccata mundi, & potari de fonte pietatis tuæ, qui per lanceam militis de latere emanavit crucifixi Domini noſtri, ut conſolati exultent in laude & gloria tua ſancta, Amen.

Ad Memoriam Sanctorum.

Ex Eodem.

MIhi quoque Domine indigno ſervo tuo ſecundum multitudinem miſerationum tuarum miſerearis, & conceſſa in præſenti ſcelerum venia, ne me ſinas in futuro ſeculo excruciari cum impiis.

Sed aliquam portiunculam dones cum Sanctis tuis in cœlis, qui in tua membra coaptati, & in te unum corpus effecti, gratias ob tuum pro ſe effuſum pretioſum Sanguinem, quo illos laviſti, rependentes, pro te & fratribus ſuis glorioſum Sanguinem fundere non dubitarunt, qui te in vita ſua amaverunt, & in morte ſunt imitati, & ideo coronas triumphales meruerunt.

Quorum me licet imparem meritis, participem tamen fac ſola miſericordia tua, ſuccurrentibus eorum meritis, & precibus. Amen.

Ad Orationem Dominicam.

O Pater miſericordiarum, nos, etſi indigni, qui ſervi dicamur tui, audemus te Patrem noſtrum, nos filios tuos dicere; quia gratuita bonitas tua per Filium tuum nos in hujus nominis honorem adoptavit. Et ipſe Filius

tuus

tuus tui compellandi fiduciam addidit, eo ipſo, quod precandi formulam præſcripſit.

Agnoſce ergo dilectiſſimi Filii tui, quam nos docuit orationem, & largire propitius per eundem Filium tuum, quicquid per ipſum, ab ipſo edocti te petimus, dicentes: *Pater* noſter qui es in cœlis, ſanctificetur nomen, *&c.*

Expoſitionem orationis Dominicæ habes ſupra ſect. 1. pag. 17. quæ hic erit valde accommodata.

LIbera nos quæſumus, Domine, ab omnibus malis, præteritis, præſentibus, & futuris. Et intercedente beata & glorioſa ſemper Virgine Dei genitrice Maria, & beatis Apoſtolis tuis Petro & Paulo, atque Andrea, cum omnibus Sanctis, da propitius pacem in diebus noſtris, ut ope miſericordiæ tuæ adjuti, & à peccato ſimus ſemper liberi, & ab omni perturbatione ſecuri. Per eundem Dominum.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi, *&c.*

Oratio.

DVlciſſimam pacis vocem Domine Ieſu à mortuis redivivus, ad tuæ dilectionis Diſcipulos emiſiſti, dicens: Pax vobis, quam & jam iturus ad paſſionem, ipſe comprecatus fueras, dicens, Pacem meam do vobis: pacem meam relinquo vobis: tolle à nobis quæſo, Agne Dei immaculate, peccata noſtra, aufer à nobis iniquitates noſtras, quæ inter nos & te diviſerunt, ut remiſſis peccatis, pacem tecum habeamus, quæ in teſtimonio conſcientiæ bonæ ſuavi jucunditate reſultat: ut in cœleſtibus regnis pacem illam, quæ exuperat omnem ſenſum, & intellectum, perpetuam conſequamur.

Oſculum Pacis *concordiæ & amoris ſymbolum eſt, ſancta primitivæ Eccleſiæ conſuetudine celebratum. Solebant enim tunc Chriſti fideles in ſacris conventibus ſeſe invicem magno benevolentiæ &*

charitatis affectu oſculari, adjuncta ſalutatione, Pax tecum. *Maxime vero ante perceptionem Euchariſtiæ, ut nimirum ad Sacramentum pacis & charitatis, ſepoſito omni odio & rancore ſecurius accederent.*

Sed quia res per ſe bona, ſucceſſu temporis abuſu vitiata eſt, oſculi ſancti uſus in oſculum Tabellæ mutatus eſt, manente nihilominus ſignificatione pacis & concordiæ cum proximis colendæ, tum maxime, quando ſacris Chriſti myſteriis digne ac ſalubriter intereſſe & participare cupimus. Porro de oſculi ſancti uſu conſule Baronium Tom. 1. Annal. An. Chriſt. 45. & pulcre Raph. de la Torre in 2, 2, S. Thomæ, q. 84, a. 2, diſp. 5.

AD COMMVNIONEM.

Dum Sacerdos communicat, ſpiritualis Communio minime tibi negligenda, ſi cum fructu Miſſam audire voles. Eſt autem ſpiritualis Communio (ut docet S. Thom. 3. p. q. 8. a.1, ad 3.) *exercitiva excellentiſſimorum actuum: Fidei, inquam, Spei & Charitatis; quo ſine reali Sacramenti ſumptione, fructus Sacramenti, id eſt, unio cum Chriſto, acquiri poteſt.*

Primum itaque excitanda viva & vera fides circa hoc Sacramentum; quæ facile fulciri poteſt, conſideratione divinæ Potentiæ, Sapientiæ, Bonitatis, & Veritatis.

Hinc ſequatur Exercitium Spei; quid enim neget tam bonus & clemens Deus, qui ſeipſum dedit? quid non poterit, etiam non præſens corpore? qui puerum Centurionis, & plures alios, etiam abſens curavit?

Denique excita Amorem, & ardenti cordis deſiderio aſpira & deſidera ad Chriſtum, velut ad fontem vivum; ex quo qui biberit, non ſitiet in æternum. Opta ergo Chriſto per virtutem Corporis & Sanguinis ejus uniri & incorporari intime; ut velut unus cum illo ſpiritus effectus, nunquam ab eo ſeparari poſſis.

Magnæ virtutis & utilitatis eſt hæc ſpiritualis Communio; ita ut ſæpe non minorem adferat fructum, & gratiam, quam pleriſque ipſa Sacramentalis: Vnde colligitur, quam ea nobis curæ eſſe debeat, maxime cum ſæpius uno die, nunquam ſine novo ſemper gratiæ &

charitatis

charitatis incremento inſtitui poſſit. Vide de hac etiam ſupra, initio hujus Modi audiendi Miſſam.

O R A T I O

Pro Communione Spirituali.

ECce adſto pauper & inops ad menſam magni Regis, & amantiſſimi Patris mei, tuam Chriſte IESV; & credo tibi, ô æterna Veritas, quod vere è ſummo cœlorum ad verbum Sacerdotis, ut me viſites, venire dignatus es: verumtamen, conſcius infirmitatis meæ, & peccatorum meorum, non audeo ſacramentaliter ſuſcipere te; ſed dico cum Centurione, cujus ſervum abſens, uti alios plurimos, ſanaſti: Domine, non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum; ſed per os ſacerdotis veni in animam meam.

Munda, quæſo, illam à malis ejus & imperfectionibus N. & orna bonis & virtutibus N. paſce Corpore & Sanguine tuo, ut ſicut catellus, comedat de menſa Domini ſui, & adipe ac pinguedine cæleſtis benedictionis repleatur.

Alia pro Communione Spirituali.

O Domine IESV, agnoſco te verum eſſe panem vivum, qui de cœlo, ut nos teipſo paſceres, deſcendiſti, & intra has ſpecies mira dulcedine, ſtupenda dignatione, potentia admirabili te abdidiſti: ſcio te cupidum paſcendi animam meam.

Credo in te, quatenus hic es, infinitos latere ſpiritualium donorum theſauros, gratiæ maximam ubertatem; ad quorum omnium participationem anhelat ardenter inops anima mea.

Credo verbo quod dixiſti: Qui manducat me, vivet propter me. Ecce panis vive, miſer ego fame & frigore pene confectus, infirmitatibus multis obnoxius, accedo

ad

ad te, ut manducans te, plenius & verius vivam de te; foveam ad te, & ſaner à te, confido te non averſaturum indignitatem, infirmitatem & inopiam meam.

Vere profiteor me indignum, ut intres ſub tectum meum. Ideoque etiam non præſumo te modo inducere in hoſpitium cordis mei, ſacroſancti Corporis tui reali manducatione: ſed ſcio & credo cum Centurione, te etiam abſentem, id eſt, ſine Sacramentali Communione, uno ſolo verbo me poſſe curare, ditare, & ſanctificare.

Si enim aſpectus ænei ſerpentis tanti fuit, ut morſos ab ignitis ſerpentibus potens eſſet curare, an non erit potentior fides, qua te contemplor, ad curandos morſus ſerpentis tartarei? ille typus erat, tu veritas: ille umbra, tu res ipſa: ſi tactus fimbriæ veſtimenti tui incurabiles morbos valuit fugare, quid non poterit contactus auguſti Corporis & divini Sanguinis tui, etſi non corporalis, mentalis tamen per deſiderium & fiduciam?

Si umbra diſcipuli tui Petri omnes morbos corporales potuit abigere: quæ ægritudo animi ſtare poterit, & non continuo cedet ſplendori divinæ Majeſtatis tuæ?

Veni igitur ad me Domine, & ſana peccatricem animam meam, ciba eſurientem, refice imbecillem: tu qui ex voluntate Patris cooperante Spiritu ſancto, per mortem tuam mundum vivificaſti: vivifica me, paſce me, ſanctifica me hoc ſacroſancto Corpore & Sanguine tuo: libera me ab omni peccato, fac me tuis ſemper inhærere mandatis, & à te nunquam ſeparari permittas. Amen.

COLLECTA.

DEus, qui nobis ſub Sacramento mirabili, Paſſionis tuæ memoriam reliquiſti: tribue quæſumus, ita nos Corporis & Sanguinis tui ſacra myſteria venerari, ut Redemptionis tuæ fructum in nobis jugiter ſentiamus.

Ad,

Ad, ITE MISSA EST.

ECce Pater æterne, Miſſa jam eſt ſalutis Hoſtia, quam tu de cœlis miſiſti in terram. Placeat tibi, quæſo, quia hic eſt ipſe Filius tuus, in quo tibi bene complacuit. Agat nunc, quæſo, officium Mediatoris & Advocati, ubi ſedet ad dexteram tuam, & interpellat pro nobis. Memento omnis patientiæ, charitatis & manſuetudinis ejus; & orantem in nomine dilecti Filii tui exaudire digneris: quia ipſe dixit: Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Hoc unum peto Domine, placeat Tibi hoc Sacrificium, ad majorem gloriam Nominis tui, proſit mihi & fidelibus tuis, vivis & defunctis, ad ſalutem, Amen.

Ad finem Miſſæ, cum Sacerdos populo benedicit, te reverenter inclines:

Et velut cœleſtem à Deo benedictionem exſpectans, cum fide magna dicas:

BEnedicat & cuſtodiat nos omnipotens & miſericors Dominus, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus.

Deinde facto ſigno Crucis in fronte, initium ſancti Euangelii ſecundum Ioannem recita in hunc modum:

IN principio erat Verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipſum facta ſunt: & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt. In ipſo vita erat: & vita erat lux hominum: & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.

Fuit homo miſſus à Deo, cui nomen erat Ioannes. Hic venit in teſtimonium, ut teſtimonium perhiberet de lumine: ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux: ſed ut teſtimonium perhiberet de lumine.

Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, & mundus

per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognovit. In propria venit, & ſui eum non receperunt.

Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in Nomine ejus: qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt. Et *Verbum caro factum eſt*, & habitavit in nobis (& vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi Vnigeniti à Patre) plenum gratiæ & veritatis.

Precatio pia poſt peractum Miſſæ ſacrificium.

MIſericordiſſime Domine, qui nos miſeros Mortales non dedignatus es, etiam in hac hora ſtare in conſpectu tuo ad te glorificandum pariter ac prædicandum: Condona mihi in ipſo Precationis hujus tempore commiſſa errata, ſive per occupationem, ſive per mentis atque cogitationis in abſurda deſideria inductionem, uti ne glorietur inimicus adverſum me, quod ne in ipſo quidem tempore Doxologiæ, Confeſſionis, atque Synaxeos à peccato mihi caverim. Amen.

Altera poſt peractum Miſſæ ſacrificium.

VÆ mihi miſero, qui Deum meum tam negligenter laudo: Ecce Dominus meus amariſſime pro me tota nocte paſſus, nullam requiem habuit, & ego una hora vigilare cum eo non poſſum?

Adjuva me Domine Deus meus, ut valeam tibi ſapienter pſallere, & ſemper placitam exhibere ſervitutem, Qui vivis, *&c.*

In fine offer hoc tuum obſequium Ieſu Chriſto per manus Deiparæ, Angeli Cuſtodis, Patronorum, & omnium SS. in unione Sacrificii in Ara Crucis oblati, & omnium meritorum ejus: idque juxta præmiſſam intentionem. Vel dic cum ſingulari attentione ſequentia:

Benedicite Domino omnia opera ejus: Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me ſunt, Nomini

Sancto

Sanĉto ejus. Vtinam affeĉtu omnium Angelorum, & Sanĉtorum te compleĉtar, & tibi gratias agam, & omnis ſpiritus laudet te Domine.

Suſcipe, obſecro, in gratiarum aĉtionem, Pater æterne, vitam & mortem Vnigeniti Filii tui, & per hanc da mihi ut vivam, & ſerviam tibi omnibus corporis membris, & potentiis animæ meæ.

Domine ante te, hoc eſt deſiderium meum, ſed imperfeĉtum N. meum viderunt oculi tui; verum ecce vota N. mea, tibi Domine, reddo in conſpeĉtu omnis populi tui, & memor beneficiorum tuorum, & immenſæ charitatis tuæ, dico & devoveo tibi omnia opera mea. Credo tibi, & in te ſpero, & toto corde te diligo, ô Deus meus, veritas mea, miſericordia mea, & refugium meum, & omnia.

Hymnus S. Thomæ Aquinatis de venerabili Sacramento.

LAuda Sion Salvatorem,
Lauda ducem & paſtorem,
In hymnis & canticis.
Quantum potes, tantum aude:
Quia major omni laude,
Nec laudare ſufficis.
Laudis thema ſpecialis,
Panis vivus & vitalis,
Hodie proponitur.
Quem in ſacræ menſa cœnæ,
Turbæ fratrum duodenæ
Datum non ambigitur.
Sit laus plena, ſit ſonora,
Sit jucunda, ſit decora,
Mentis jubilatio.
Dies enim ſolemnis agitur,
In qua menſæ prima recolitur
Hujus inſtitutio.
In hac menſa novi Regis,
Novum paſcha novæ legis,
Phaſe vetus terminat.
Vetuſtatem novitas,
Vmbram fugat veritas;
Noĉtem lux eliminat.
Quod in cœna Chriſtus geſſit,
Faciendum hoc expreſſit
In ſui memoriam.

Doĉti

Docti ſacris inſtitutis,
Panem, vinum, in ſalutis
Conſecramus hoſtiam.
Dogma datur Chriſtianis,
Quod in carnem tranſit panis,
Et vinum in ſanguinem.
Quod non capis, quod non vides,
Animoſa firmat fides,
Præter rerum ordinem.
Sub diverſis ſpeciebus,
Signis tantum, & non rebus,
Latent res eximiæ.
Caro cibus, ſanguis potus:
Manet tamen Chriſtus totus,
Sub utraque ſpecie.
A ſumente non conciſus,
Non confractus, non diviſus,
Integer accipitur.
Sumit unus, ſumunt mille,
Quantum iſti, tantum ille;
Nec ſumptus conſumitur.
Sumunt boni, ſumunt mali:
Sorte tamen inæquali,
Vitæ vel interitus.
Mors eſt malis, vita bonis:
Vide paris ſumptionis,
Quam ſit diſpar exitus.
Fracto demum Sacramento,
Ne vacilles, ſed memento,
Tantum eſſe ſub fragmento,
Quantum toto tegitur.
Nulla rei fit ſciſſura:
Signi tantum fit fractura,
Qua nec ſtatus, nec ſtatura
Signati minuitur.
Ecce panis Angelorum,
Factus cibus viatorum:
Vere panis Filiorum,
Non mittendus canibus:
In figuris præſignatur,
Cum Iſaac immolatur:
Agnus Paſchæ deputatur,
Datur manna Patribus.
Bone paſtor, panis vere,
Ieſu noſtri miſerere:
Tu nos paſce, nos tuere:
Tu nos bona fac videre
In terra viventium.
Tu, qui cuncta ſcis & vales,
Qui nos paſcis hic mortales:
Tuos ibi commenſales;
Coheredes & ſodales
Fac ſanctorum civium.
Amen. Alleluja.

Alius Hymnus ejuſdem Doctoris Angelici.

PAnge lingua glorioſi
Corporis myſterium,
Sanguiniſque pretioſi,
Quem in mundi pretium
Fructus ventris generoſi
Rex effudit gentium.

Nobis datus, nobis natus
Ex intacta Virgine,
Et in mundo converſatus,
Sparſo verbi ſemine,
Sui moras incolatus
Miro clauſit ordine.

In ſupremæ nocte cœnæ
Recumbens cum fratribus,
Obſervata lege plene
Cibis in legalibus,
Cibum turbæ duodenæ
Se dat ſuis manibus.

Verbum caro, panem verum
Verbo carnem efficit:
Fitque ſanguis Chriſti merum,
Etſi ſenſus deficit;
Ad firmandum cor ſincerum
Sola fides ſufficit.

Tantum ergo Sacramentum
Veneremur cernui:
Et antiquum documentum
Novo cedat ritui;
Præſtet fides ſupplementũ
Senſuum defectui.

Genitori, Genitoque
Laus & jubilatio,
Salus, honor, virtus quoque
Sit & benedictio:
Procedenti ab utroque
Compar ſit laudatio.
Amen.

FINIS SECT. V.

Supra, pag. 260. col. 1., ante S. Franciſce, pone.

S. Bernarde, qui fide & zelo ſuccenſus, ſchiſmaticum & pertinacem Ducem * dextera, non ferro, ſed ſacra Dominici Corporis Hoſtia armatus expugnaſti; Ora pro nobis:

Vt fortes in fide hujus Sacramenti; Diabolo & miniſtris ejus, veritatem hujus myſterii impugnantibus conſtanter reſiſtamus.

Et in fine ejuſdem pag. & col.

* Gulielmum Ducem Aquitaniæ. Vit. S. Bern. lib. 8. cap. 6. Edit. noſtræ.


INRI

DILECTO, CANDIDO, RVBICVNDO,
SPONSO SANGVINVM
IESV CHRISTO,

Qui cum in forma Dei eſſet, natura, non
rapina æqualis Deo;

Semetipſum exinanivit,

Servi formam pro ſervis accipiens.

SPECIOSO PRÆ FILIIS HOMINVM;

Sed cui demum non erat ſpecies, neque decor,
cum factus nempe vermis eſt, &
non Homo.

DESIDERIO COLLIVM ÆTERNORVM,
& expectationi Gentium.

Sed qui deſpectus poſtea, & quaſi noviſſimus
virorum fuit,

BENEDICTO QVI VENIT IN
NOMINE DOMINI.

Sed qui tandem factus eſt opprobrium
Hominum,

Et abjectio plebis;

Qui iniquitatem non fecit, neque dolus fuit
in ore ejus:

Attamen cum ſceleratis reputatus eſt,
Et peccata multorum tulit;

LEONI DE TRIBV IVDA;

Sed qui ſicut ovis ad occiſionem ductus eſt;
Et quaſi agnus coram tondente
ſe obmutuit.

VIRO DOLORVM;
Qui torcular calcavit ſolus:
Et de gentibus non habuit virum ſecum.

Qui languores noſtros vere tulit;
Et attritus eſt propter ſcelera noſtra.

PASTORI BONO,
Qui pro ovibus ſuis poſuit animam ſuam.

PONTIFICI FVTVRORVM BONORVM,
Qui per proprium ſanguinem introivit
Semel in Sancta, æterna redemptione inventa.

MAGNO COELI TERRÆQVE REGI;
cui venti & mare obediunt.

Sed qui humiliavit ſemetipſum, factus obediens
Deo Patri,
Vſque ad mortem crucis.

Dignus es, Domine, accipere virtutem,
Divinitatem, & Sapientiam:
Quoniam occiſus es, & redemiſti nos Deo in
ſanguine tuo.

TIBI BENEDICTIO, ET HONOR,
ET GLORIA, ET POTESTAS, IN
SECVLA SECVLORVM.
AMEN.

SECTIO VI.

De Vita ac Paſſione Domini noſtri Ieſu Chriſti.

PRO FERIA SEXTA.

Cap. I.

Colloquium de modo Vitam ac Paſſionem Salvatoris noſtri pie, tum meditandi, tum imitandi.

§. 1. Exhortatio ad conſiderandum opus Redemptionis.

Apostolvs. *Hoc ſentite in vobis, quod & in Chriſto Ieſu, qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens.*

AVdi, ô homo, ſerve non utique bone & fidelis, qui cum eſſes in natura & conditione ſervili, attamen ſervire nolens, conatus es arripere libertatem, & æqualitatem Domini tui. Audi & vide, quia Chriſtus, cum in forma Dei eſſet, non rapina, ſed natura æqualis Deo, utpote & ipſe omnipotens, æternus, immenſus, *&c.* exinanivit ſemetipſum, non ſolum formam ſervi accipiens, & in ſimilitudinem hominum factus; ſed etiam miniſterium ſervi implevit, humilians ſemetipſum, & obediens factus Patri uſque ad mortem.

Sed parum tibi videatur, quod, cum eſſet Filius & coæqualis, tanquam ſervus ſervivit Patri; ſi non & ſervo ſuo pluſquam ſervus ſervivit. Factus quidem eras, ô homo, ut ſervires Creatori. Et quid juſtius, quam ut ſervias illi, à quo creatus es; ſine quo nec vivere, nec moveri, nec eſſe potes? Quid vero beatius, aut ſublimius, quam ſervire illi, cui ſervire regnare eſt? Et tamen dixiſti, Non ſerviam.

Sed ecce venit Creator tuus, venit Dominus tuus, *&c.*

 paratus

paratus ſervire ſervo ſuo, etiam rebelli & contumaci; venit non miniſtrari, ſed miniſtrare: Venit, inquam, ut tu recumbas, ille miniſtret, ut te quieſcas, ille fatigetur & ſudet; ut tu ſaneris, & ille portet languores tuos: imo, ut tu vivas, ille moriatur pro te.

O ſervum bonum & pluſquam Iacob fidelem, qui non ſeptem, ſed triginta tribus & amplius annis ſervivit pro te. Quam vere ſervivit, in omni fide, patientia, & longanimitate! non utique tepide, vel invite; quia exultavit ut gigas ad currendum viam obedientiæ; non ficte, qui etiam animam poſt tot & tantos labores ſuperimpendit; non murmuranter, quia innocens flagellatus, nec os aperuit; factus ſicut homo non audiens, & non habens in ore ſuo redargutiones. Et quid ille ſervus ultra debuit, aut potuit tibi facere, quod non fecit? O deteſtabilis ſuperbia hominis ſervire contemnentis, quæ alio exemplo non potuit humiliari, niſi ſervitute, & tali quidem ipſius Domini ſui!

CHRISTVS. O Homo, ſi habes aures audiendi, audi quid Electus Apoſtolus meus dicat fidelibus meis: nam conſcius arcanorum meorum: loquitur ex ore meo. Et ipſe eſt qui portavit nomen meum coram Regibus, & principibus terræ. Ipſe, qui non arbitrabatur ſe quidquam ſcire, niſi Ieſum, me, inquam, crucifixum; unde etſi loquatur inter perfectos ſapientiam in myſterio abſconditam: tibi tamen loquitur me Chriſtum crucifixum, incredulis quidem ſcandalum; & his qui pereunt, ſtultitiam; tibi autem & his qui ſalvi fiunt, plane Dei virtutem & ſapientiam. Et ecce exemplum humilitatis meæ, qua ego Deus & Dominus ſervivi vobis, in laboribus à juventute mea, uſque ad mortem Crucis; merito ingeſſit oculis tuis, ut vel ſic diſcas humiliari & ſubjici; atque referre gratiam tantæ humilitati & bonitati meæ. O quam dure ſervire me feciſti in peccatis tuis! laborem præbuiſti mihi in iniquitatibus tuis! Et quem

labo-

laborem? Vſque ad defatigationem, eſuriem & ſitim! ſed uſque ad ſudorem, ſudorem autem ſanguinis decurrentis in terram: Sed uſque ad mortem, mortem autem crucis.

HOMO. O Domine, quid eſt homo, quia ſic innotuiſti ei, aut Filius hominis, quia reputas eum? O quantum laboraſti, Domine mi, in ſerviendo mihi! Iuſtum profecto, & æquum eſſet, ut ſaltem de cetero tu quieſceres, tuuſque ſervus, vel ordine vicis ſuæ ſerviret tibi. Quam magno, Domine mi, inutile tibi meum ſervitium redemiſti, tu, inquam, qui ſi miniſterio opus haberes, vel pluſquam duodecim legiones Angelorum ſubito haberes ad omnem nutum tuum! O quam ſuavi & benigna arte pietatis, recuperaſti tibi, & ſubdidiſti ſervum contumacem, vincens in bono malum, humilitate confundens ſuperbum, beneficiis obruens ingratum! Sic nimirum ſapientia vicit malitiam. Sic carbones ignis congeſſiſti ſuper caput inimici, quibus accenderetur ad amorem & obſequium tuum.

Viciſti Domine, viciſti rebellem. Ecce do manus in vincula tua, jugoque tuo cervicem ſuppono. Dignare tantum, ut ſerviam tibi: patere, ut tibi laborem. Accipe me in ſervum ſempiternúm; En ſervus tuus ſum ego, licet inutilis, niſi nunc quoque mecum ſit, & mecum laboret gratia tua ſemper & præveniens & ſubſequens. Prævenit nos, prior oſtendens Exempla humilitatis & patientiæ: Subſequatur nos, adjuvans, ut imitemur, quæ oſtenſa ſunt. O quam felices nos, ſi ſuper hoc audiamus conſilium Apoſtoli tui, hortantis nos, hoc ſentire in nobis, quod in te, o Ieſu, præceſſiſſe cognoſcimus! O quis det mihi, ut ſerio conſervem omnia verba hæc, conferens in corde meo, ut in meditatione mea exardeſcat ignis amoris tui, & curram deinceps poſt te in odore unguentorum tuorum? Erravi ſicut ovis quæ periit; quis deducet me in viam rectam, quæ ducit ad vitam, ut inveniam & teneam eam?

§. 2. *Chriſtus nobis imitandus proponitur.*

Devs Pater. Ego ab initio creavi hominem rectum; nempe ad imaginem & ſimilitudinem meam: at ille, cum in honore eſſet, non intellexit: & qui creatus erat ut eſſet divinæ conſors naturæ, comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.

Hic eſt Adam primus homo, qui tranſgrediens mandatum meum, ejectus eſt de Paradiſo, & reus mortis ac perditionis factus. Et hunc quidem nimis infeliciter imitati ſunt, factique culpæ ejus & pœnæ ſocii, quicunque ab eo ſecundum naturalem generationem deſcenderunt. Sed non eſt voluntatis meæ mors infelicis hominis; nec delector in perditione peccatoris: immo ſic ego dilexi mundum ut Filium meum Vnigenitum darem, ut omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam.

Hic eſt ſecundus homo, de cœlo cœleſtis, qui non terrenam, ſed cœleſtem in terris vitam duxit. Hunc itaque dedi ducem ac præceptorem Gentibus; ut quiſquis ſequeretur eum, non ambularet in tenebris, ſed haberet lumen vitæ. Hoc quaſi prototypon & vivum exemplar de cœlo miſi; idque tot donis, & gratiis, omnibuſque virtutibus pulchre prorſus ornatum omnibus propoſui, ut illud imitari ſtuderent, quos ego præſcivi & prædeſtinavi, conformes fieri imaginis Filii mei; ut ſint & ipſi cohæredes cum eo Regni mei. Primus quidem homo de terra terrenus, ſecundus homo de cœlo cœleſtis. Itaque ſicut portaſtis imaginem terreni (primi Parentis Adami inſtar tranſgrediendo præcepta mea.) ſic portetis imaginem cœleſtis (Chriſti exemplum ſequendo) ſervientes mihi in ſanctitate & juſtitia omnibus diebus vitæ veſtræ.

Aſpicite in auctorem fidei & conſummatorem Ieſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, confuſione contempta.

Ecce

Ecce hic eſt ſpecioſus præ Filiis hominum, in quo habitat omnis plenitudo divinitatis, non umbratice, ſed corporaliter. Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipſum audi, & ſequere. Mihi placere cupis? ipſum imitari ſtude; tanto mihi carior eris, quanto illi ſimilior. Quin etiam, ſicut Iſaac, non benedixit Iacob, niſi indutum veſtibus primogeniti ſui; ſic nec tu benedictionem accipies à me, niſi indutus velleribus Agni immaculati, id eſt, veſtibus ſeu virtutibus Vnigeniti mei.

Abjice ergo opera tenebrarum, & indue arma lucis, imo induere Ieſum Chriſtum. Inſpice, & fac ſecundum exemplar, quod à me tibi monſtratum eſt, ambula coram me per viam, quam præivit dilectus meus, quando in terris viſus, & cum hominibus converſatus eſt. Et exemplum dedit vobis, ut quemadmodum ipſe fecit, ita & vos faciatis.

HOMO. Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti; Pater miſericordiarum & Deus totius conſolationis, qui dives es in miſericordia; propter nimiam charitatem, qua dilexiſti nos, cum eſſemus mortui peccatis, convivificaſti nos in Chriſto, (cujus gratia ſalvati ſumus) & conreſuſcitaſti & conſedere feciſti in cœleſtibus in Chriſto, ut oſtenderes in ſeculis ſupervenientibus abundantes divitias gratiæ tuæ. O quam dulcia faucibus meis eloquia tua, quibus nos vocas in ſocietatem Filii tui. Sed, egone ſequar Deum? ſervus Dominum; limus terræ Regem cœli; Puſillus immenſum; infimus ſummum, & tam infirmus omnipotentem?

§. 3. *Deus Homo factus, ut eſſet imitabilis.*

CHRISTVS. Ego de cœlo veni, & ex inviſibili factus ſum viſibilis: & quia ſplendorem majeſtatis meæ ferre ac ſuſtinere non poteras, ego exinanivi memetipſum,

pſum, ſervi formam accipiens; in ſimilitudine hominum factus, & habitu inventus ut homo. Vt vel ſic ſequi & imitari poſſes me, quem ſequi gloria magna eſt; & aſſequi, ſumma veſtra felicitas.

Nam cum per primum hominem poſteri omnes ſtatu felicitatis ſuæ excidiſſent, reſtitui non poterant, niſi Duce aliquo præeunte. Quis vero hic eſſet? Hominum quiſpiam? at omnes una, ſicut naturæ, ita culpæ conditio tenebat. An Angelorum aliquis? at neque ſic plena, & divinæ juſtitiæ par ſatisfactio fuiſſet. Deus itaque ſolus ad hoc idoneus erat; at is videri non poterat. Vt ergo exhiberetur homini, qui & videretur ab omni, & quem tuto ſequeretur homo, ego Deus factus ſum *Homo*; ſimilis vobis, mortalis, ut omnis mea actio veſtra eſſet inſtructio; & divinitas mea vobis in humanitate præluceret.

Quid ergo hæſitas in bivio? Rectam & regiam ſalutis viam quæris? ego ſum *Via*, per me, ſi quis intraverit, ſalvabitur. Dubitas, quid de honoribus, divitiis, gaudiis, voluptatibus hujus ſæculi, quid de judiciis hominum, *&c.* ſentias? Vide, quid ego ſenſerim; & hoc ſecurus amplectere; falli non poteris; quia ego ſum *Veritas*. Times affligi, pati, aut mori pro Nomine meo? Ecce ego ſum *Vita*, ſalus tua, & omne bonum, etiamſi mortuus fueris, vives. Ego enim veni ut vitam habeas, & abundantius habeas. Paucis: Ego ſum tibi via in exemplo, veritas in promiſſo, vita in præmio.

HOMO. Adoramus te Chriſte, rex Iſraël, pariter & Gentium; Princeps Regum terræ; tibi Chriſte, ſacrificium laudis immolamus pro multitudine bonitatis tuæ, quam oſtendiſti nobis; ſemini nequam; filiis perditis. Cum adhuc inimici tui eſſemus, recordatus es miſericordiæ tuæ. Vidiſti afflictionem populi tui, & tactus dulcore charitatis intrinſecus, appoſuiſti cogitare ſuper nos cogitationes pacis & redemptionis. Parum fuit

fuit charitati tuæ ad conſummandum opus noſtræ ſalutis, Cherubim aut Seraphim, aut unum ex Angelis deſtinare: ipſe venire ad nos dignatus es, per mandatum Patris, cujus nimiam charitatem experti ſumus in te.

O amanda & admiranda dignatio! Deus immenſæ gloriæ, vermis contemptibilis fieri non deſpexiſti. Deus omnium, conſervus ſervorum apparere voluiſti. Parum tibi viſum eſt, Patrem te nobis eſſe, & Dominum; Frater noſter eſſe dignatus es.

O quantas tibi gratias teneor referre (*Thom. de Kempis*) quod viam rectam & bonam dignatus es mihi, & cunctis fidelibus, ad æternum regnum tuum oſtendere! nam vita tua, via noſtra; & niſi tu nos præceſſiſſes, & docuiſſes, quis ſequi curaret? Heu, quanti longe retro manerent, niſi tua præclara exempla inſpicerent! Ecce adhuc tepeſcimus, auditis tot ſignis tuis & doctrinis; quid fieret, ſi tantum lumen ad ſequendum te non haberemus?

§. 4. *Chriſtiani nomen quid nos moneat.*

CHRISTVS. Vis eſſe gratus erga me, ô homo? *Sequere me:* Hoc mihi gratiſſimum erit. Nihil æquius; nihil etiam Patri gratius, quam ſi ipſum ſequatur filius. Eſto ergo imitator meus, ſicut filius chariſſimus. Quorſum putas te vocari ex Nomine meo, niſi ut ſequaris veſtigia mea? Væ his, qui tam glorioſum Nomen otioſe & indigne gerunt; qui, inquam, Chriſtiani vocantur, & non ſunt; qui ore dicunt, ſe noſſe me, factis autem negant. Adeo de ſequela mei, ſeu moribus vere chriſtianis, modica permultis cura eſt. Melius ſane talibus erat, viam veritatis, fidem meam non agnoviſſe, quam agnitam in injuſtitia detinere. Heu, quam triſte mihi eſt, videre, ita prophanari paſſim Nomen & inſignia mea.

Cæte-

Cæterum, ſi omnis, qui dicit ſe manere in me, debet, ſicut ego, ita & ipſe ambulare; multo magis qui pro me manere ſe dicunt, & qui pro me legatione funguntur, id eſt, diſpenſatores myſteriorum Dei, & Miniſtri mei, ſi me non ſequuntur, inexcuſabiles ſunt. Nunc vero, qui propius ſequi me debuerant, ſæpe acerbius perſequuntur me; & qui edunt panes meos, magnificant ſuper me ſupplantationem. Quid eſt, quod dilecti mei in domo mea faciant ſcelera multa? Quid? Inter hoc etiam non minus, ac inter Filios hujus ſæculi dominatur zelus & contentio, faſtus & ambitio, avaritia & crapula, luxus & ſuperbia!

Nonne iſta ſunt opera carnis & tenebrarum? Ego vero ſum lux vera, & qui ſequitur me, non ambulat in tenebris. Quæ conventio Chriſti ad Belial? lucis ad tenebras? & putas eos merito cenſeri ſub nomine & ſorte mea, aut rite vocari filios lucis, qui diligunt magis tenebras quam lucem? Morum quidem ſimilitudo, & conciliat & conſervat amicitiam, & hos ego dicam amicos meos, qui mihi moribus tam ſunt diſſimiles? Ego illos agnoſcam pro Diſcipulis meis, qui oderunt diſciplinam meam, & ſermones meos projiciunt retrorſum? Miniſtri mei erunt, qui dicunt: Domine, Domine, & non faciunt, quæ dico?

HOMO. Doce me facere voluntatem tuam, veniſti quippe à Deo Magiſter; & utique viam Dei in veritate doces, ſicut poteſtatem habens. Cœpiſti enim facere & docere. Da ut ſequamur te, & ad ſpeculum vitæ tuæ noſtram formemus. Nam quos elegit Pater tuus, hos vocavit, ut ſint conformes imaginis filii ſui. Vtinam; amantiſſime Ieſu, des mihi, ut ſicut portavi hactenus imaginem terreni, ita deinceps portem imaginem cœleſtis; & non quæram conformari huic ſæculo nequam, ſed tibi. Vtinam ſequar te quocunque ieris. Nam qui dicit ſe in te manere, debet ſicut tu, ita & ipſe ambulare: ſed quo-

quomodo poſſum? Tu enim exultaſti ut gigas ad currendam viam, & quis poterit æquis paſſibus ambulare tecum?

§. 5. *Chriſtum ſequi glorioſum, jucundum, utile.*

CHRISTVS. Conare ſaltem à longe ſequi, & currere ad deſtinatum ſupernæ vocationis bravium. Ecce filii hujus ſæculi, qua induſtria opes, & honores quærunt; qua patientia mundo conformari, & hominibus placere ſtudent, quam ſollicitis obſequiis captare gratiam principum, & favorem potentum! Qua alacritate & audacia vitam exponunt milites in oculis Ducis ſui, & in pericula quævis ruunt intrepide! ſed quæ merces horum omnium poſt tantos labores & ſudores? Quid, niſi fructum terræ, ventus & fumus? vanitas, & afflictio ſpiritus? tranſeunt enim omnia, velut umbra, & nihil ſub ſole in eodem ſtatu permanet. Minori certe labore tu mihi ſervire & placere potes; minori opera cœlum & æternitatem lucrari; & negliges?

Quid ergo, ô filii hominum, quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? ſcitote quoniam Dominus ſanctum ſuum mirificavit; me, inquam, tot tamque miris inſignivit donis & virtutibus, ut vita mea vobis ſpeculum & exemplar eſſet. Me itaque ſequimini.

Quid ambulatis vias difficiles mundi aut carnis? Ecce, contritio & infelicitas in viis peccatorum; at viæ meæ, viæ pulcræ: jugum quoque meum ſuave, & onus meum leve. Ego facio prava in directa, & aſpera in vias planas. Ego errantes reduco, laborantes reficio, perſeverantes corono.

Itaque qui mihi miniſtrat, me ſequatur. Gloria magna eſt ſequi Dominum, nam ubi ſum ego, illic & miniſter meus erit; & poſſidebit regnum, quod paratum eſt ei ab origine mundi. Cujus quidem gloriam ſi noſſes, nihil tibi grave eſſet facere aut pati: & dies laborum

pauci

pauci viderentur tibi, præ deſiderii & amoris magnitudine. Regnum enim meum vim patitur, & violenti rapiunt illud: vim autem cœlo inferre, eſt animam ſuam perdere, ſeipſum vincere, & pravos animi ſui motus, ſeu carnis deſideria frangere. Hoc certe amanti non eſt difficile; imo jucundum fiet, maxime ſi ſimul aſpiciat in remunerationem; nam ſpes mercedis ſolatium eſt laboris.

Sed eſto, laborioſum ſit, num ideo detrectabis? an cupis & tu ſedere mecum in regno meo, & non vis bibere calicem, quem ego bibi? Tune audies miles Chriſti, & horrebis aſpera, quæ Dux amplectitur? Falleris, mi homo, falleris, ſi ſperas de deliciis tranſire ad delicias: hic gaudere cum mundo: & poſtea gaudere mecum in cœlo. Nemo Sanctorum ſine certamine coronatus eſt. Meipſum reſpice, nonne oportuit me pati, & ita intrare in gloriam meam? & tu ſine labore, & patientia intrabis in gloriam alienam? Age ergo fortiter, ſuſtine patienter: labor brevis eſt, & momentaneus, merces vero perpetua & immortalis.

HOMO. Paratus ſum, & non ſum turbatus. Viam mandatorum tuorum curram, ubi dilataveris cor meum.

§. 6. *Chriſti ſequela conſtat abnegatione ſui, & jugi mortificatione.*

CHRISTVS. Inprimis ergo, ſi vis venire poſt me, abnega temetipſum, & tolle crucem tuam, & ſequere me. Ego quidem tui cauſſa veni de ſolio meo, & ſepoſita majeſtate mea factus ſum particeps humilitatis tuæ, ut tu exuens veterem hominem, novum indueres, qui ſecundum Deum creatus eſt, & mortificares membra tua, quæ ſunt ſuper terram. Ego mortem in cruce ſubii pro te, tu ſaltem crucifige carnem tuam cum vitiis, & concupiſcentiis, & malis deſideriis morere; niſi ſic mihi commortuus fueris, mecum vivere non poteris.

Homo. Fateor Domine, quia dignus eſt morte, qui tibi recuſat vivere. Quis mihi tribuat, ô benigniſſime Ieſu, ut moriar mihi amore tui, & vivam tibi? ſed omnia vincit amor; & quid tuus non poterit? Tu ſummus omnium, factus es omnium infimus: quis hoc fecit? (*verba S. Bernardi*) amor dignitatis neſcius; affectu potens; ſuaſu efficax. Quid violentius; de Deo triumphat amor, & mihi imperare non poterit? Amorem mei non poterit expugnare amor Dei mei?

Nimirum odiſſe me debeo, ut amem te. Perdere jubeor animam meam, ut inveniam eam, & te, omne bonum. Ecce paratum cor meum. Cupio tuus eſſe ex toto corde meo. Qui autem tui ſunt, carnem crucifigunt cum vitiis & concupiſcentiis. Circumcide, ô Domine, carnem & præputium cordis mei, ut in numero filiorum tuorum cenſeri poſſim. Tu Domine, non ſuſcepiſti nomen Salvatoris, niſi circumciſus: ego pretium Sanguinis tui, & ſalutem percipere non poſſum, niſi mortificationem tuam, velut ſignaculum, portem in corpore meo. O utinam hæc mihi ſumma voluptas ſit, delectari in Domino, & aliam, præter te, neſcire voluptatem. Renuat ſane conſolari anima mea; memor nimirum tui ſolius; nam delectationes in dextera tua uſque in finem. Nulla, Domine, me trahet voluptas, ſi tua traxerit charitas.

Trahe me itaque poſt te, qui per amorem trahis omnia ad teipſum, ut curram in odore unguentorum tuorum. Ideo ſane apparuit gratia Dei Salvatoris omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem & ſecularia deſideria, ſobrie, & juſte, & pie vivamus in hoc ſæculo.

Christvs. Ita eſt mi homo, ſobrietatem debes tibi ipſi, juſtitiam proximo, pietatem Deo. Continuum puræ mentis ſtudium, eſt quaſi juge Martyrium. Fruſtra quæris requiem & pacem in hac vita, quæ eſt velut mili-

tia

tia ſuper terram. Erit aliquando, cum requieſces à laboribus tuis; cum quæ ſeminaſti in lacrymis, in exultatione metes; tunc labores manuum tuarum manducabis; beatus eris, & bene tibi erit; & exultabis, velut meſſores in meſſe, & victores capta præda.

Sed nunc tempus eſt laborum: Quid horres? Ego pro te in laboribus à juventute mea. Ego diſcurri per vicos, & plateas, nuſquam mihi requiem, nunquam otium indulſi; in fame & ſiti, in æſtu & frigore, operatus ſum ſalutem tuam in medio terræ. Ego etſi comprehenſor eſſem, etiam in corpore, tamen cohibui gloriam, quæ alioquin ex anima in corpus redundaſſet; idque ut abundantior eſſet, & acerbior ex carentia omnis ſolatii Paſſio mea.

Hinc factum, ut in horto orans præ horrore mortis, ex mœrore cordis, ſudorem ſanguineum profunderem; & in Cruce velut derelictus à Deo Patre, clamarem. Et tu ubique gaudia, & carnis commoda quæres? delicate & molliter nutries carnem tuam? conſidera potius vitam meam, & cum tuam meæ tam diſſimilem inveneris, in teipſo confundere; ut non abs re monet Servus ille meus, ad imitationem mei vos exhortans; Bene, *inquit*, verecundari potes inſpecta vita Ieſu Chriſti, quia te illi nondum magis conformare ſtuduiſti, licet diu in via Dei fuiſti. O quam male conveniunt conſolatio carnis, & conſideratio meæ paſſionis! Et tamen qui curam carnis perficiunt in deſideriis, ſæpe mirantur, cur in meditatione paſſionis meæ non ſentiant affici animas ſuas. Vtique ſi eſſent ſocii paſſionum, fierent & conſolationis.

Ecce cum David nudis pedibus clivum olivarum conſcenderet, omnis familia ſimili habitu illum ſecuta eſt. Vrias noluit divertere in domum ſuam, ut in molli ſtrato requieſceret, eo quod Ioab dux ejus, cum Arca & ceteris commilitonibus ſuis eſſent ſub pellibus: & te non pudebit militare ſub vexillo crucis, & vacare deliciis carnis?

carnis? comedere & bibere, & ducere in bonis dies tuos? Ducem ac caput habere ſpinoſum, & membrum eſſe delicatum?

HOMO. Operuit confuſio faciem meam, quia tam longe adhuc abſum à ſemitis tuis. O utinam liceat mihi hoc deinceps ſentire in me, quod te, ô bone Ieſu, ſenſiſſe video; ut, inquam, eodem affectu in bonis hujus vitæ, omnibuſque creatis verſari ſtudeam, quo te verſatum eſſe cognoſco; tu enim es ipſa *Veritas* & ſapientia æterna qui tecum ſapit, is certe non deſipit: quia tu falli non potes, ſed neque fallere. Qui ſequitur, ô *Via* æterna, aberrare non poteſt. Qui adhæret tibi, ô *Vita* immortalis, unus tecum fiet ſpiritus, nec morietur in æternum. Vtinam vivam ego, jam non ego, vivas vero tu in me Chriſte.

§. 7. *Chriſti* Humilitas *& Manſuetudo imitanda.*

CHRISTVS. Si vis, ut vivam in te, *Vitam* meam velut regulam, & normam identidem, vitæ & moribus tuis formandis adhibe. Inprimis vero *Paſſionem* meam diligentius recole; in qua virtutes omnes, tanquam roſæ inter ſpinas clarius emicant.

Vide quis fuerim, & quid fecerim ego. Nam cum in forma Dei eſſem, non rapina, ſed natura æqualis Deo in gloria & majeſtate, memetipſum exinanivi ſervi formam accipiens. Nec veni miniſtrari ſed miniſtrare. Et apponet ultra magnificare ſe homo ſuper terram? Adhuc ambulabit in magnis, & mirabilibus ſuper ſe? Vide me proſtratum ad pedes Diſcipulorum meorum, eoſque lavantem & abſtergentem, & quid volui, niſi exemplum dare vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis?

Quid ergo ſuperbis, ô terra & cinis! quomodo præſumitis, ô filii hominum, extollere in altum cor veſtrum? quid amatis primos accubitus, & primas cathedras?

cur tantopere contenditis, quisnam veſtrûm videatur eſſe major? Quin potius diſcite à me, non mundum fabricare, non mortuos ſuſcitare, cæcos illuminare, aut alia prodigia facere, ſed, *quia mitis ſum & humilis corde.*

Non latuit me perfidia proditoris mei, & tamen in cœna coram ipſo genuflexus procumbens, pedes ejus, veloces ad effundendum ſanguinem meum, manibus meis attrectare, lavare, & extergere dignatus ſum: ſed nec eundem accedentem ad oſculum oris mei averſatus ſum; quin os in quo dolus inventus non eſt, ori quod abundavit malitia, dulciter applicui; dicens: Amice, ad quid veniſti? Et grave aut durum tibi videtur, ſi prior ſigna & indicia humilitatis exhibere debeas, aut verbum manſuetudinis proferre coram inimico tuo?

Homo. Humillime Ieſu, vere humilitatem ab ortu tuo in mortem uſque docuiſti nos. Et certe non eſt diſcipulus ſupra Magiſtrum, nec ſervus major Domino ſuo. Itaque cur pudeat me hominem inutilem, exemplo tuo, vilem & humilem fieri? aut quomodo audeam deinceps ambulare in magnis, aut in mirabilibus ſuper me? Vere nimis indignum eſt, ut, ubi ſe eo uſque demittit ſupremus omnium Dominus, ibi infletur & intumeſcat vilis terræ vermiculus.

Vtinam ſemper eligam potius abjectus eſſe, in domo Dei, magis, quam habitare in tabernaculis peccatorum; & humiliari tecum, ô Domine, ut tecum pariter exaltari merear in die viſitationis. ſcio enim quia ſuperbis reſiſtis, ſolis autem humilibus das gratiam.

§. 8. Paupertas *& terrenorum contemptus exemplo Chriſti nobis commendatur.*

Christvs. Sed quia difficile, & rarum eſt, inter divitias & bona hujus ſæculi non altum ſapere, & humilem eſſe; ego ſecuriorem vobis viam monſtravi. Contempſi enim omnia, ut docerem vos, divitiis & caducis

terræ bonis cor non apponere, ſed magis theſaurizare in cœlis, ubi nec ærugo, nec tinea demolitur.

Nonne cum dives eſſem, & Dominus univerſorum, nullius habens indigentiam, pro vobis factus ſum egenus? Ego certe inter ipſa nativitatis meæ primordia mox paupertatem amplexus ſum, quam deinceps ſemper & vivens & moriens colui. Nonne mea eſt terra, & plenitudo ejus? & tamen cum naſcerer in terris, vix habui ubi reclinarem caput meum, unde in ſordentis ſtabuli poſitus ſum præſepio, quia non erat mihi locus in diverſorio. Beatos prædicavi pauperes: Matrem & Apoſtolos tales elegi, pauperes, inquam, in hoc mundo, divites in fide. Pauper vixi, nudus & egens in Cruce mortuus ſum, & tandem in alieno ſepulchro conditus. Ecce ut extrema paupertas mea arguit inſatiabilem avaritiam veſtram! O ſtulti mortales! Certe, qui non renunciat omnibus, quæ poſſidet (ſaltem animo, paratus reipſa facere, cum id honor meus aut ſalus propria, vel proximi poſcit,) non poteſt meus eſſe diſcipulus.

Vide quid juvenem illum retraxerit, volentem ſequi me; nempe, relinquere divitias, illi nimis durum & grave viſum eſt, & ideo triſtis abiit. Et cur etiamnum tam pauci ſequuntur me? Nonne quia plurimi poſt aurum abeunt, & à minimo uſque ad maximum omnes avaritiæ ſtudent? & dum Mammonæ ſerviunt, me negligunt; quia nemo poteſt duobus dominis ſervire.

O dedecus hominis Chriſtiani, uſurpare nomen meum, & tam alienum eſſe à moribus meis; & quaſi in vanum acceperit animam ſuam, ita ſectari avaritiam, quæ eſt idolorum ſervitus; & in multitudine divitiarum ſuarum gloriari; & quaſi gentes, quæ ignorant Deum, & providentiam meam, ita turbari circa plurima, & ſolicitum eſſe circa præſentia tantum, quomodo ſibi theſaurizent in terris. O filii hominum uſquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium?

Vosne creditis videre bona Domini in terra viventium? Siccine aſpiratis ad bona æterna quæ præparavi diligentibus & ſequentibus me? Hæcne eſt via quam monſtravi vobis? Recordare ſaltem tu, ô homo, paupertatis meæ, abſynthii & fellis.

HOMO. O Rex regum, cujus eſt orbis terræ, & univerſa quæ in eo ſunt, & tamen omnium egenus propter nos fieri dignatus es: Vere beatus, qui intelligit ſuper te egenum & pauperem. Merito beatos dixiſti pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Vtinam tecum merear fieri pauper & inops, ut inopia tua fiam dives. Da mihi ante omnia quærere regnum Dei, & juſtitiam ejus: minimum vero ſolicitum eſſe de neceſſariis (abſit, de ſuperfluis) corpori & vitæ: onera enim hæc ſunt, gravia ſane & permoleſta homini volenti ſequi veſtigia tua. Vtinam ſciam ſatiari & eſurire: & abundare & penuriam pati: & diſcam in quibus ſum, ſufficiens eſſe. Vere enim magnus quæſtus eſt pietas cum ſufficientia.

§. 9. *Mira Chriſti* Patientia *quomodo à nobis imitanda.*

CHRISTVS. Vtique beatus homo, cujus Dominus Deus ejus. Domini eſt terra, & plenitudo ejus. Quid ergo illi deeſſe poterit, qui habuerit ſibi amicum habentem omnia? tanto quiſque magis abundabit bonis æternis, quo minus inhæſerit hiſce terrenis. Itaque ſi & tu reliqueris omnia, ſaltem affectu, & ſecutus fueris me, centuplum recipies, & vitam æternam poſſidebis.

Sed neceſſe inſuper, ut præpares animam tuam ad tentationem, ſi me ſequi voles. Nam omnes, qui pie vivere volunt in me, perſecutionem pati neceſſe eſt. Quomodo enim coronabitur, niſi qui legitime certaverit? Reſpice me, exemplar omnis patientiæ. Nihil eſt quod non æquanimiter toleretur, ſi Paſſio mea ad memoriam revocetur.

Cogita

Cogita ergo, quæ & quanta ego paſſus ſum; & levia fient, quæcunque pateris. Vt vero ſileam dolores & cruciatus, quos in corpore nimium graves ſuſtinui; recole tantum, contumelias, injurias, & opprobria exprobrantium, quæ ceciderunt ſuper me; & quo merito meo? Ego ſanavi infirmos, pavi famelicos, illuminavi cæcos, ego tranſivi benefaciendo & ſanando omnes, feci in eis opera, quæ nemo alius fecit. Et quis potuit me arguere de peccato? nemo prorſus. & tamen exacuerunt in me, ut gladium, linguas ſuas: hinc audio vorax & potator vini, blaſphemus, filius fabri, in principe dæmoniorum ejiciens dæmonia; dæmonium habens, ſeductor & ſeditioſus, Samaritanus, & amicus Publicanorum, imo inter ſceleratos reputatus, reus mortis, & latrone pejor habitus ſum, factus opprobrium hominum, & abjectio plebis. Et hæc quidem omnia paſſus ſum, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia mea. Quid ergo fletis, quid ſuſpiratis, ô homines, dum forte ſuſtinetis verborum injurias? Recogitate, qualem ego ſuſtinui à peccatoribus adverſus memetipſum contradictionem, ut non fatigemini animis veſtris deficientes.

Siccine ego debui habere adverſarios & oblocutores, & vos vultis omnes habere amicos,& benefactores? Vnde coronabitur patientia veſtra, ſi nulla adverſitate tentetur? Ego certe innocens & impollutus per omnia, & nihilominus obnoxius invidiæ, atque calumniæ, docui, fruſtra vos hic immunitatem quærere. Me oportuit pati, & ita intrare in gloriam meam.

Erras, erras,mi homo,ſi aliam vitam tu quæſieris. An diſcipulus erit ſupra Magiſtrum? & ſervus major domino ſuo? Me itaque paſſo in carne, & tu eadem cogitatione armare, & gaude potius, quam triſtare, ſi dignus habearis pro nomine meo contumeliam pati. Hoc nimirum ante omnia diſcere & ſcire oportet diſcipulos

ſcholæ meæ; quia fortiter agere, & mala pati Chriſtianum eſt, & nota amicitiæ meæ. Nam ſi pati malum eſſet, ego non elegiſſem iſtud; neque Matri meæ, & chariſſimis quibuſque meis calicem paſſionis meæ propinaſſem. Vtique novi ego reprobare malum & eligere bonum: propoſito autem mihi gaudio, elegi crucem confuſione contempta. Vnde pati non eſt malum. Sed nihil unquam mali pati, peſſimum: optimum vero mecum eſſe ſub cruce.

Quos enim diligit Dominus, caſtigat: flagellat autem omnem Filium, quem recipit. Quod ſi tu extra diſciplinam eſſe vis, cujus participes facti ſunt omnes, vide ne adulterinus ſis, & non filius genuinus. Omnis autem diſciplina in præſenti quidem videtur non eſſe gaudii, ſed mœroris; poſtea autem fructum pacatiſſimum exercitatis per eam reddet juſtitiæ.

Homo. Omnino Domine inter filios eſſe & cenſeri volo, ideoque corrigi à Patre non recuſo. Et hæc erit mihi conſolatio, ſi affligens me dolore, non parcas: modo non in ira corripias me. Pati tecum cupio, ô Chriſte Ieſu, ſim nunc tibi ſocius paſſionum, ut ſim demum & Conſolationum. Scio enim, quia, ſi compatimur, & conregnabimus.

§. 10. *Summa Chriſti* Charitas *potiſſimum miranda & imitanda.*

Christvs. Sed in his omnibus,& ſuper omnia potiſſimum expende *Charitatem*, qua ego deſideravi & conſummavi opus ſalutis veſtræ.Tanta ſiquidem fuit,ut aquæ multæ dolorum & afflictionum non potuerint obruere eam. Propter vos Pater meus,ne quidem proprio & unico Filio; ſed nec ego mihi ipſi peperci: in finem certe dilexi vos, & ut Paſtor bonus, animam meam poſui pro ovibus meis; majorem autem charitatem nemo habet, quam ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.

Homo.

Homo. Imo Tu majorem habuiſti Domine, ponens eam etiam pro inimicis. Cum enim adhuc inimici eſſemus, per mortem tuam, & tibi reconciliati ſumus, & Patri. Quænam alia videbitur eſſe, vel fuiſſe, vel fore ſimilis huic charitati? vix pro juſto quis moritur; tu pro impiis paſſus es: moriens propter delicta noſtra. Qui veniſti juſtificare gratis peccatores; ſervos facere fratres: captivos cohæredes; exules reges. Quem non accendat charitas tua, ô Ieſu, quæ accendit & illuſtrat omnia? à ſummo enim cœlo egreſſio ejus, nec eſt, qui ſe abſcondat à calore ejus. Ipſos quoque publicanos & peccatores non reſpuis, ſed recipis & manducas cum eis. Ipſis vero inimicis tuis, qui tibi injurias, contumelias, & mortem ipſam intentant, his tu benefacere ſtudes. O rara, quæ poſuiſti prodigia ſuper terram!

§. II. *In Cruce Chriſti omnis virtutis compendium.*

Christus. Sed forte cuperes hæc omnia compendio diſcere? Ecce ſchola omnis virtutis, & perfectionis eſt mons Calvariæ: Cathedra vero docentis eſt ipſa *Crux*. Hanc ego conſcendi, & expanſis quaſi brachiis omnes invitavi ad me, dicens: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos: & exaltatus à terra, traxi ad me omnia, vi doctrinæ potentiſſima, id eſt, exemplo, & amore meo.

Vide, quantum in ſchola hac profecerit Apoſtolus meus, qui profitetur, ſe nihil ſcire niſi Ieſum, & hunc Crucifixum: unde & ſtigmata mea portabat in corpore ſuo: & confidenter alios hortabatur: Eſtote imitatores mei, ſicut & ego Chriſti.

Aſcende ergo & tu in montem myrrhæ, & collem thuris; ſed heu, quam paucis curæ eſt, huc mecum conſcendere! Plures invenio ſocios menſæ, quam crucis meæ. O quot millia hominum ego aliquando ſaturaveram panibus? quot infirmos ſanaveram? quot cæcos &

claudos curaveram? ubi vero erant, cum ad montem pergerem bajulans crucem? quis tunc fuit, qui cauſſam meam ageret? Vere torcular ego calcavi ſolus, & de gentibus non fuit vir mecum. Ego ſolus languores veſtros portavi; omnes noti mei fugerunt à me, oblivioni datus ſum, tanquam mortuus à corde: Tu diſce exemplo meo, non ponere carnem brachium tuum, non confidere in principibus aut filiis hominum, in quibus non eſt ſalus.

Cum ſceleratis quoque & latronibus deputatus ſum; & tamen humiliavi memetipſum, & factus ſum obediens uſque ad mortem crucis; & tu recuſabis humiliari, aut parere in re facillima, cum ego in re tam ardua adeo fuerim obediens?

Nudus in cruce pependi, & ſi quid ſanguinis in me reliquum fuit, id totum large profudi pro ſalute tua; & tu divitiis appones cor tuum? vel etiam mihi in paupere hauſtum aquæ, aut vilem nummum erogare, grave tibi erit?

Aſpice carnem meam virgineam, tot plagis & vulneribus, nimis crudeliter laceratam, & erubeſces tuam in deliciis & voluptatibus fovere.

Ego flagellis cæſus, ſpinis coronatus, clavis confoſſus, affixus patibulo, opprobriis ſaturatus, & morte turpiſſima condemnatus, omnium tamen dolorum immemor in omnibus preſſuris meis, nec ſemel aperui os meum, ut aut querelæ, aut excuſationis, aut comminationis, aut maledictionis verbum, adverſus tortores meos proferrem; ſed quaſi ovis ad occiſionem ductus ſum, &, velut agnus coram tondente ſe obmuteſcens, non aperui os meum: & quomodo tu levi ſæpius, aut nulla occaſione pulſatus, ira & impatientia tam vehementer perturbaris?

Vide etiam quali potu me in ſiti mea potaverunt; & intellige quam ſit indignum, ut tu in deliciis nutrias carnem

carnem tuam: epuleris ſplendide, bibas vinum optimum, ventri ac voluptati ſervias.

Iam vero contra odium & invidiam ſtat immenſa charitas mea, qua etiam pro inimicis meis oravi, & pro ipſis auctoribus mortis meæ mori non recuſavi.

HOMO. O quam multus es ad ignoſcendum! ô quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine! ô quam longe cogitationes tuæ à cogitationibus noſtris! ô quam firmata eſt, etiam ſuper impios miſericordia tua! mira res; illi clamant, *Crucifige:* tu clamas, *Ignoſce.* O verbum benedictionis, quale non eſt auditum à ſæculo!

CHRISTVS. Sed neque ceſſavi tædio aut languore victus, quin ex amore & zelo ſalutis tuæ conſummarem omnia: & tu quoque memento certare bonum certamen, curſum conſummare, & perſeverare in finem, ſi ſalvus eſſe velis, & repoſitam tibi coronam juſtitiæ conſequi.

Inſpice ergo, ô homo, & fac ſecundum exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt. Intuere hic myſticum ſerpentem in altum erectum: ſic enim facile curaberis à morſibus Serpentis antiqui, & ſanaberis ab omnibus infirmitatibus tuis.

HOMO. Agnoſco, quia altiſſima & utiliſſima ſcientia eſt, ſcire *Ieſum*, & hunc crucifixum. Itaque mihi abſit gloriari, niſi in Cruce Domini mei Ieſu Chriſti; nam verbum crucis, uti pereuntibus eſt ſcandalum & ſtultitia: ita his, qui ſalvi fiunt, Dei virtus & ſapientia. Vtinam per te, ô Ieſu, mihi mundus crucifixus ſit, & ego mundo! Vtinam ignorem omnia potius, quam te, in quo ſunt omnes theſauri ſcientiæ & ſapientiæ Dei. Beatus homo, quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum. Doce me non ſcire tantum, ſed & facere voluntatem tuam?

CHRISTVS. Tunc vere diſcipulus & amicus meus eris, ſi feceris quæ ego præcipio tibi, non verbis tan-

tum, ſed etiam, & multo magis exemplis. Sed heu rari ſunt veri amatores & imitatores mei! nec mirum; plurimos enim piget cognoſcere & meditari, quæ ego fecerim, quæve docuerim; & imitari libeat? Oblivioni ego datus ſum, non eſt qui recogitet corde: quod autem ignorat quis, quomodo diliget? Amor utique in incognitum tendere non poteſt.

Proinde tu certo tecum ſtatue, nihil efficacius eſſe ad amorem mei; nihil utilius ad ſalutem hominis, quam ſit aſſidua meditatio Vitæ ac Paſſionis meæ. Nimis duri & ferrei cordis eſt, quem tanti amoris vis non emollit? Quis audebit peccare, ſi ſerio cogitet, quam horrenda paſſus ſim ego, ut hominem à peccati & mortis jugo liberarem? Hæc vero perdis omnia, & Sanguinem meum proculcas, quam primum ſciens in peccatum conſentis. Quid, an vilis tibi erit anima tua, pro qua ego laboravi triginta tribus annis in hoc mundo? Tune illam vendes pro nihilo, quam ego emi pretio tam magno, id eſt, Sanguine meo; & quam ego vita mea cariorem habui?

Vide quid agas, mi homo, inter maxima præmia & ſupplicia conſtitutus es; Illa ego in laboribus & doloribus multis præparavi diligentibus me; Hæc degeneres & contemptores manent. Si beatus eſſe vis, *ſequere me*, Quid times? Viæ meæ viæ pulcræ; quas cum ingreſſus fueris, non arctabuntur greſſus tui: Ego feci prava in directa, & aſpera in vias planas. jugum meum ſuave, & onus meum leve. Ego, qui ductor tuus ſum, etiam adjutor ero; & tandem merces tua magna nimis.

§. 12. *Concluſio & Gratiarum Actio pro Vita & Paſſione Chriſti.* Ex ſancto Bernardo.

Gratias tibi Pater referat omnis lingua, pro ſuperabundantia charitatis tuæ, qui unico Filio cordis tui non pepercisti, ſed pro nobis omnibus illum tradidiſti in mortem,

mortem, ut eum tanquam fidelem Advocatum haberemus coram te in cœlis.

Ecce enim gloria & honore coronatus, in dextera Majeſtatis tuæ adſiſtit vultui tuo pro nobis: caro enim & frater noſter eſt. Reſpice Domine, in faciem Chriſti tui, qui tibi uſque ad mortem obediens factus eſt: nec recedant ab oculis tuis cicatrices ejus in perpetuum, ut memineris, quantam ab eodem ſatisfactionem receperis.

Et tibi Domine Ieſu, fortiſſime zelotes, quid gratiarum retribuam, ego homo pulvis & vile figmentum? quid enim pro mea ſalute facere debuiſti & non feciſti? ab imo pedis uſque ad ſummum verticis te totum in aquis paſſionum demerſiſti, ut me totum extraheres de illis, & intraverunt uſque ad animam tuam: nam & animam tuam in mortem perdidiſti, ut meam perditam mihi redderes.

Et ecce me duplici debito obligaſti. Nam & pro eo quod dediſti tuam, debitor tibi ſum: & pro mea quidem anima bis à te mihi data, ſemel in creatione, & ſemel in redemptione, quid magis juſte tibi reddam, quam ipſam, non habeo.

Pro tua autem pretioſa anima, ita contribulata, quid ab homine digne rependi poſſit, non invenio. Nam etſi cælum & terram, & omnem ornatum eorum pro ea poſſem rependere, certe nec ſic uſque ad menſuram debiti ullatenus attingere poſſem. Vt autem ipſum, quod & debeo, & poſſibile mihi eſt, retribuam, tui Domine, muneris eſt.

Diligendus es mi Domine, toto corde, tota anima, tota virtute, & tua mihi ſequenda veſtigia, qui pro me mori dignatus es. Et quomodo fiet iſtud in me, niſi per te? Adhæreat anima mea poſt te: quia tota virtus ejus pendet ex te. Et nunc Domine, Redemptor meus, te ut verum Deum adoro, in te confido, in te ſpero, & quibus poſſum deſideriis ad te ſuſpiro, adjuva imperfectum meum.

meum. Ad tuæ Paſſionis glorioſa inſignia, in quibus ſalutem meam operatus es, totum me inclino. Tuæ victorioſæ Crucis regale vexillum in nomine tuo, Chriſte, adoro. Tuum ſpineum diadema, tuo rubentes ſanguine clavos, tuo ſacro lateri immerſam lanceam, tua vulnera, tuum ſanguinem, tuam ſepulturam, tuam glorioſam, & victorioſam reſurrectionem, & glorificationem, Chriſte, ſupplex adoro & glorifico.

Odor enim vitæ ſpirat mihi in omnibus his. Horum vivifico odore ſpiritum meum, Domine, à peccati morte reſuſcita. Horum virtute ab aſtutiis Satanæ me cuſtodi, ac me conforta, ut jugum mandatorum tuorum ſuave fiat mihi, & onus Crucis, quod poſt te bajulare me jubes, humeris animæ meæ ſit leve.

Quæ eſt enim fortitudo mea, ut juxta præceptum tuum mundi preſſuras tam multiplices invicto animo ſuſtineam? Nunquid pedes mei tanquam cervorum, ut velocem curſorem per ſpinas & confragoſa paſſionum conſequi valeam?

Sed audi vocem meam, & inclina ſuper ſervum tuum ſuavem crucem illam, quæ lignum vitæ eſt iis, qui apprehendunt eam; ut ſpero curram alacriter, portabo infatigabiliter eam, quæ ab inimicis eſt, crucem, poſt te. Illam inquam diviniſſimam crucem humeris meis impone, cujus latitudo eſt Charitas, cujus longitudo eſt Æternitas, cujus ſublimitas eſt Omnipotentia, cujus profundum eſt inſcrutabilis Sapientia. Configi illi manus meas, & pedes meos, & totum paſſioni tuæ conforma ſervum tuum Domine.

CAP.

CAP. III.

ORATIO DOMINICA,

Diverſimode ad Chriſtum ejuſque Paſſionem accommodata.

I. MODVS RECITANDI Orationem Dominicam.

Commemorando præcipuos quoſque Chriſti Titulos.

Pater noſter qui es.

O *Dulciſſime Pater* Ieſu Chriſte, qui nos, vitio primæ nativitatis ex Adam filios iræ & perditionis regeneraſti filios Dei, & heredes vitæ æternæ, in ſanguine tuo: ut merito *Patrem futuri ſæculi* te vocet Propheta tuus. Nimirum Patrem & Auctorem te novæ creaturæ, ſeu regenerationis noſtræ; Patrem novæ & hactenus inauditæ dilectionis agnoſcimus, colimus, adoramus. Et ecce quam bonus ſis pater, & quam pronus ad opitulandum filiis tuis, eo ipſo ſatis oſtendis, quod & normam orandi, & ipſa nobis verba ſuggeris, quibus facile & efficaciter, quicquid petierimus Te, vel Patrem in nomine tuo, obtinere poſſimus.

O Pater D N I. reſpice in faciem Chriſti, Filii tui, quoties ejus inſtitutione formati, ſupplices te rogamus.

Audi & tu ô *Pater* noſter Ieſu, quoties verbis tuis te humiliter compellamus, dicentes:

Sanctificetur nomen tuum.

O Ieſu, Sacerdos Magne, qui in diebus tuis placuiſti Deo, & inventus es juſtus, & in tempore iracundiæ factus es reconciliatio. Qui non per alienum, ſed per proprium Sanguinem introiſti ſemel in ſancta. Talis enim decebat ut nobis Pontifex eſſet. Sanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, qui non haberet neceſſe, ſicut ſacer-

ſacerdotes ceteri, prius pro ſuis delictis hoſtias offerre, deinde pro populi.

Ecce ſanctus es, & ſanctum Nomen tuum. Nam & talis in ortu tuo; immo & ante ortum prædicaris ab Angelis: & Pater Æternus Nomen tibi dedit, quod eſt ſuper omne nomen; ut in Nomine tuo flectatur omne genu. Vnde à ſolis ortu uſque ad occaſum laudabile eſt Nomen tuum.

Quid ergo ſanctitati Nominis tui conferemus nos viles terræ vermiculi? Nempe Nomen tuum in ſe ſanctiſſimum, à nobis ſanctificari, id eſt, honorari & prædicari debet, ſed vita imprimis, & moribus ſanctis. Sancti, inquis, eſtote, quoniam ego ſanctus ſum. Quis vero ſanctos & mundos faciet de immundo conceptos ſemine, niſi tu ô *Sacerdos* in æternum, ſanctificans omnia? qui dilexiſti nos, & tradidiſti temetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo, ut ſanctificares tibi Eccleſiam non habentem maculam aut rugam. Sanctifica ergo nos in veritate, ut nos ſanctificemus te; & ſic luceat lux noſtra coram hominibus, ut videntes opera noſtra bona, glorificent Te, & Patrem tuum, qui in cœlis eſt.

Adveniat regnum tuum.

O Ieſu Rex magne ſuper omnes Reges terræ. O Rex gloriæ, qui veniſti nobis (primo Adventu tuo) manſuetus & humilis; non incutiens majeſtate vel potentia terrorem; ſed miſeros humilitate & clementia recreans. Natus de ſtirpe regia, regnas in Domo Iacob; & Regni tui non erit finis. Regnum quidem tuum non eſt de hoc mundo; attamen ſtans coram præſide, Regem te eſſe non diſſimulas. Quin & in Cruce regium titulum præfers. Inſuper gloria & honore coronavit Te Pater Æternus, & data eſt tibi omnis poteſtas in cœlo & in terra.

Eja *Rex* Regum Opt.Max. Regnum tuum nunc quidem Gratiæ, demum Gloriæ nobis adveniat. Abſit, ut ſicut Filii Be-

lii Belial, deſpiciamus aut detrectemus te Regem; immo volumus Te, ô *Rex* Pacifice & Sapiens, regnare ſuper nos; nam juſtitia & clementia firmatur Thronus tuus. Itaque intende, proſpere procede, & regna in nobis, utpote omni jure tibi ſubjectis. Dominare quoque in medio inimicorum tuorum, & rege eos in virga ferrea; ut nos de manu eorum liberati, ſerviamus tibi in ſanctitate & juſtitia omnibus diebus noſtris. Et ſic gloria regni tui indies magis magiſque creſcat, ac proficiat.

Fiat voluntas tua.

O Ieſu Domine & *Magiſter*, qui veniſti facere & docere voluntatem Patris tui. O Domine, ego ſervus tuus, & Filius ancillæ tuæ. Quid ergo me vis facere, Domine? Paratum cor meum; paratum facere quod jubes; paratum fugere, quod prohibes. Scio, quia non omnis, qui dicit tibi, Domine, Domine, ſed qui ſervat mandata tua, hic placet tibi. O Ieſu *Præceptor* miſerere mei; & doce me facere voluntatem tuam: ne, ſi ſim ſervus ſciens voluntatem Domini, & non faciens; plagis multis vapulare dignus fiam. Da quod jubes, & jube quod vis.

Panem noſtrum quotid.

O Ieſu Paſtor Bone; qui veniſti è cœlo, ut viſitares oves tuas, ſicut Paſtor viſitat gregem ſuum. Sed & paſcis oves tuas in paſcuis uberrimis. Quis vero paſcit gregem, & de lacte ac carnibus ejus non paſcitur? Tu autem oves tuas ipſa propria carne & ſanguine paſcis. immo animam tuam ponis pro ovibus tuis.

Ecce Paſtor bone, erravi ſicut ovis quæ periit, vagor per avia, paſcua non inveniens. Require ovem tuam, & impoſitam humeris repone me in loco paſcuæ, ubi me olim collocaſti; & nihil mihi deerit, nec corpori, nec animæ. Illi alendo educas Panem de terra: hanc Pane cœli confirma ne deficiam in via.

Dimitte

Dimitte nobis debita.

O Ieſu Redemptor piiſſime, qui dilexiſti nos, & tradidiſti temetipſum pro nobis, ut nos *redimeres* ab omni iniquitate, & mundares tibi populum acceptabilem. Gratis venundati eramus; & ſine argento redimendi; Attamen empti ſumus pretio; & ô quam magno! Non enim corruptibilibus auro vel argento, ſed precioſo Sanguine tuo redempti ſumus. Dimitte nobis ergo debita noſtra, pro quibus tam abundans perſolviſti precium. Si autem tu iniquitates obſervaveris, quis ſuſtinebit; dum non eſt qui *redimat*, neque qui ſalvum faciat? Nam quis eſt præter te, qui peccata dimittat? Nec frater, nec ullus *redimet* homo; quia apud te ſolum, ô ſumme *Redemptor*, miſericordia, & copioſa redemptio.

Et ne nos inducas in tentationem.

O Ieſu Salvator, & *Medice* piiſſime, qui veniſti in hunc mundum peccatores ſalvos facere: qui languores noſtros ipſe tuliſti, & dolores noſtros vere portaſti, tentatus ipſe per omnia abſque peccato, ut ſcires tentatis compati. Dixiſti non eſſe ſanis opus medico, ſed male habentibus. Ecce turbam languentium, & à te opem ſalutis exſpectantium. Vides quam debiles & infirmi ſimus; nec reſiſtere malis; nec bonis inſiſtere ex nobis poſſumus; adeo ſenſus & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt. Spiritus quidem promptus eſt; Sed caro infirma, heu, quam facile tentationi ſuccumbit! Tu ô *Salvator* ſalva nos. Tu ô Cœleſtis *Medice* da robur, fer auxilium. Gratia tua potens medicina eſt. omnia poſſumus in te; ſi nos confortes.

Ecce ô pie *Samaritane*, jacet homo, qui incidit in latrones, ſecus viam, multis plagis ſaucius, & ſemivivus; deſertus ab omnibus. Ecce jacet in domo mea paralyticus,

cus, Animus meus piger, & viribus impotens ad opera virtutis: veni & cura eum.

Attamen ſi ita viſum tibi, ure etiam & ſeca: nam & hoc medici eſt, non ægri odio, ſed amore. Infunde vinum & oleum vulneribus; eſto, illud mordeat, ſed hoc mitigat. Non parcit medicus ægro, ne perdat. Quin percutit, ut ſanet: amara porrigit, ut purget.

Amarum quidem poculum, Tentatio: Sed tu, ô prudens *Medice,* pro natura & neceſſitate cujuſque id temperare noſti, ut facias cum tentatione proventum. Itaque & ego paratus ſum bibere calicem tuum, immo tecum; nam tu prior eum bibiſti; non dubitans fore ſalutarem, ſi tu dilutum porrexeris.

Ecce in manu tua ſum ego; ſi vis, potes me curare. Sana me Domine, & ſanabor. Salvum me fac, & ſalvus ero.

Sed libera nos à malo.

O Ieſu Iudex clementiſſime, cui omne judicium dedit Pater, non ut *judices* mundum; ſed ut mundus ſalvetur per te. Itaque cum manifeſte venies in nubibus cœli, cum virtute & majeſtate magna, diſcernere populum tuum, ut reddas unicuique ſecundum opera ſua; tunc ô Ieſu, ſis propitius mihi Iudex; & non intres in judicium cum ſervo tuo; quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens; Ne tunc, precor, in furore tuo arguas me, ſed ſuperexaltet miſericordia judicium, ut non ſecundum iniquitates noſtras retribuas nobis.

O Ieſu in die mala libera me *à malo*, quod eſt ſupremum malorum; nam mors peccatorum peſſima; quia eſt ſeparatio à te ſummo Bono. O quis det mihi, ut in die illa tremenda ab auditione mala non timeam: *Diſcedite à me maledicti?* Nam tibi adhærere mihi bonum eſt: ô ſi in æternum non ſeparer à te! Amen. Amen.

II. MODVS

Recitandi Orationem Dominicam, accommodate

Ad VII. Effuſiones Sanguinis Ieſu Chriſti.

D*Eus, qui aliàs faciles & pronas habet aures in preces noſtras, apud Prophetam teſtatur, ſe abominari orationes & vota ſupplicum,* Quia manus veſtræ, *inquit,* ſanguine plenæ ſunt. *At nunc nihil æque ad efficaciam orandi facit, quam ſi manum mentemque Chriſti ſanguine calentem homo ſupplex extendat.* Acceſſiſtis, *ait Apoſtolus,* ad teſtamenti novi Mediatorem Ieſum Chriſtum, & ſanguinis aſperſionem, melius loquentem quam Abel: *melius, utique. Nam* ſanguis Abel *clamat vindictam; at* Chriſti Sanguis *veniam & miſericordiam. Orare ergo vis utiliter? Calicem ſalutaris accipe; & ſic nomen Domini invoca:*

Pater noſter qui es in cœlis.

O Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui propter nos non peperciſti unico Filio uteri tui: ſicut nec ipſe pepercit ſibi, tradens ſemetipſum pro nobis, quia voluit: & nos dilexit in finem. Omnia vincit amor; an Deum quoque, quo nihil majus & fortius? O vis amoris! Nec aquæ multæ potuerunt extinguere charitatem; quin & tu ita velles; & Filius tuus omnem ſanctiſſimi Corporis ſui ſanguinem per tot rivos effunderet. Ecce venio ut hauriam aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. Roſeo ejus cruore tinctas & imbutas manus ad te in cœlum levo. Ecce hic eſt Filius tuus dilectus in quo tibi bene complacuit. Reſpice in faciem Chriſti Filii tui: vide an tunica Filii tui ſit, tam pretioſo reſperſa Sanguine. Attende quare rubrum ſit indumentum ejus; & deinceps ad nos miſeros Evæ filios, ſed jam adoptione tuos per Sanguinem Vnigeniti tui, oculos miſericordiæ converte. An patiemur repulſam, ubi pro nobis clamat non ſanguis Abel,

Abel, nec hircorum, aut vitulorum; ſed Sanguis Agni immaculati Ieſu Chriſti Vnigeniti tui?

O Ieſu dilecte, Candide, Rubicunde, Sponſe Sanguinum, qui redemiſti nos Deo in Sanguine tuo, admitte me propitius intrantem in ſancta per Sanguinem tuum. En calicem ſalutaris (Sanguinis tui) accipiam, & Nomen Domini invocabo. Itaque ante omnia rogo, ut

I. *Sanctificetur nomen tuum.*

Non enim, ô Ieſu, eſt aliud ſanctius nomen ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri; & quod magis honorari dignum ſit, quam tuum, ô Sanctiſſime Ieſu, Nomen, inquam, ſuper omne nomen, quod impoſitum tibi eſt in *Circumciſione*, quando jam natus mox pro nobis cœpiſti tenellum ſanguinem fundere. O fac incaleſcat hic ſanguis in cordibus noſtris, & excitet in nobis zelum & fervorem dilatandi ſemper gloriam Nominis tui. Sit Nomen tuum, ô Ieſu, benedictum ex hoc nunc & uſque in ſeculum.

II. *Adveniat regnum tuum.*

Rex enim es tu, ô Ieſu, & quidem magnus ſuper omnes deos, & Reges terræ. Sed, heu, qualis reputaris ab impiis! Quomodo te Regem honorant, quali diademate coronant, quibus geſtibus adorant! Nempe ut fatuo & ludicro Regi illudant, plectentes tibi *Coronam de ſpinis* duriſſimis, & alte capiti tuo infigentes.

Per hujus ſanctiſſimi Sanguinis effuſionem, fac in nos perveniat Regnum tuum, ubi nos coronas in miſericordia & miſerationibus. Et denique regnum tuum illud, ubi gloria & honore coronamur. Id nobis obtineat Sanguis pro nobis in *Coronatione* effuſus.

III. *Fiat voluntas tua.*

O Ieſu, qui voluntatem tuam noſtri cauſſa promptiſ-

ſime reſignaſti in beneplacitum Patris tui, factus obediens uſque ad mortem; cum in *Agonia* ad montem Oliveti tantis premeretur anguſtiis cor tuum, ut ſudor tuus, ſicut guttæ ſanguinis, de toto corpore deflueret.

Ecce voluntatem meam merito tui cauſſa reſigno; tuæque ſubjicio; ut tua, non mea fiat; Eſto, deſuper ad horrorem & ſudorem uſque anxietur in me ſpiritus meus; optabo nihilominus, ut *Fiat voluntas tua.* O fac id donetur mihi per *ſanguineum Sudorem* tuum.

IV. *Panem noſtrum quotidianum.*

O Ieſu, ſupra dorſum tuum araverunt peccatores, & flagellis, virgiſque, quaſi vomere, raſtro, & ligone terram corporis tui ſubegerunt. Sed quanta nobis ex tam crudeli cultura meſſis, & fructuum copia parata! Nempe ut dum hic cibamur pane lacrymarum; & in ſudore vultus veſcimur pane noſtro; Pane quoque vitæ & intellectus nutriamur; & ſicut adipe & pinguedine repleatur anima noſtra; donec in fortitudine cibi illius perambulemus hoc deſertum; & tandem edamus & bibamus ſuper menſam tuam, & ſatiemur ab ubertate domus Dei. Fiat, ô Ieſu, per Sanguinem, quem pro nobis in *Flagellatione* fudiſti.

V. *Et dimitte nobis debita noſtra.*

O Ieſu patientiſſime, cujus Sanguis toties pro nobis effuſus eſt in remiſſionem peccatorum. Nam & à crudeliſſimis tortoribus non ſemel veſtimenta tibi violenter, & crudeliter detrahi; adeoque vulnera tua ſæpius renovari, magiſque dilatari, non ſine acerbiſſimo dolore ſuſtinuiſti; quia nimirum homo veſtem innocentiæ peccando perdidit & reſtitutam ſæpius, iterando peccata, fœdavit.

Rogo te per ſacra Vulnera tua crudeli veſtium expoliatione renovata, & Sanguinem ex eis tam copioſe manan-

nantem, dimitte nobis debita noſtra. Nam, teſte dilecto Diſcipulo tuo, Sanguis I. C. emundat nos ab omni peccato. Fac ut expoliantes nos veterem hominem cum actibus ſuis, induamus novum, qui ſecundum Deum creatus eſt, in juſtitia & ſanctitate veritatis. Sanguis tuus, ô Ieſu, emundet conſcientias noſtras ab operibus mortuis ad ſerviendum Deo viventi.

VI. *Et ne nos inducas in tentationem.*

O Ieſu, qui *transfixis manibus & pedibus* Cruci truculenter nimis affixus es, & totidem quaſi fontibus vel canalibus ſanguinem copioſe profudiſti. Ecce in manibus tuis ſortes meæ. nam & cadentem tenes me, & jacentem erigis & ſtantem protegis. In manus tuas commendo me. Sub umbra alarum tuarum protege me, à facie eorum qui affligunt & perſequuntur me. O ſi contra omnem tentationem ſtem fortis in fide, tibi, Chriſte, confixus cruci; ut ab amore tui me nec vita, nec mors, nec ulla creatura ſeparet.

VII. *Sed libera nos à malo.*

O Ieſu refugium afflictorum, Ecce in medio malorum & laqueorum miſer homo perambulat; quid faciet, ut effugiat? ubi quæret aſylum, ut tutus lateat? ubi? niſi in ſinu dulciſſimi cordis tui, ad quod per *Latus apertum lancea* nobis aditus patefactus eſt. Intrabo iſtuc intrepidus, & ibi habitabo ſecurus, tanquam columba in foramine petræ; in caverna maceriæ. Ibi abſcondita eſt fortitudo mea. Bonum mihi erit iſtic eſſe, & ibi figere tabernaculum, ubi nec flagellum, nec ullum appropinquet malum. Inde quippe Sanguis & Aqua profluxit; ut ſit & ablutio ſcelerum, & fortitudo fragilium, & miſeriæ remedium, & contra omnia ſalutis pericula firmamentum. O bone Ieſu, libera me ab omni *Malo*, quando tam amanter pandis mihi ſinum Amoris, dulciſſimum

Cor tuum; id eſt, Teipſum fontem omnis *Boni*. Amen, Amen.

III. MODVS

Recitandi Orationem Dominicam

accommodate ad VII Verba Chriſti in Cruce.

Pater noſter qui es.

1. *Sanctificetur Nomen tuum.*

O Domine Ieſu, Sancte Sanctorum, unius cum Patre in cœlis gloriæ & majeſtatis; Tibi quidem in omni vita, quoad in terris viſus, & cum hominibus converſatus es; ſed nec minus in morte id unice curæ fuit, ſemper & ubique gloriam Patris tui quærere ac prædicare. Videbaris quidem in extremis mortis anguſtiis quaſi derelictus à Patre clamare; *Deus meus, quare dereliquiſti me?* (Nempe influxus divinitatis & gloriæ tuæ tantiſper ſuſpenſus fuit, ut natura humana ſibi relicta mortis aculeum acerbius ſentiret.) ſed illa derelictio ad cumulum paternæ, tuæque gloriæ ceſſit. Nam obediens ad mortem factus es; propter quod exaltavit te Deus, & dedit tibi nomen, quod eſt ſuper omne nomen.

O Ieſu, ſic pro me derelicte, fac ne unquam, præſertim in hora mortis, projicias me, & cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me, propter gloriam Nominis tui; Nequando dicat inimicus meus, Deus dereliquit eum; perſequar & comprehendam eum, quia non eſt qui eripiat eum. O Deus ne elongeris à me, neque deſpicias me Deus ſalutaris meus. Da ut etiam in deſolatione, & inter flagella te benevolum Patrem agnoſcens, dicam cum Viro probatæ patientiæ: Sicut Domino placuit, ita factum eſt. Sit Nomen Domini benedictum.

2. Ad-

2. *Adveniat regnum tuum.*

Illud, inquam, ô Ieſu, cujus Te Dominum Latro tecum crucifixus agnovit, dicens, Memento mei, cum veneris in Regnum tuum: cujus quidem conſortium tu protinus illi promiſiſti, dicens, *Hodie mecum eris in Paradiſo.* Da mihi, ô Ieſu, quæ ſurſum ſunt quærere, ubi tu es in dextera Dei ſedens; quæ ſurſum ſunt ſapere, non quæ ſuper terram. Sed ante omnia, da mihi cor vere contritum, & humiliatum, quod non deſpicias, ut in fine, cum Latrone dicere mihi magna cum fiducia liceat: *Adveniat Regnum tuum*; Memento mei Domine, olim pro me pendens inter Latrones in Cruce, nunc cum Beatis regnans in cœlo! O ſi tunc & ego merear audire: Hodie mecum eris in regno meo.

3. *Fiat voluntas tua.*

O Ieſu obedientiſſime, qui factus es pro nobis obediens Deo Patri uſque ad mortem, mortem autem Crucis. Vnde palam teſtaris *Conſummatum eſſe*; nempe, opus Redemptionis humanæ (ô quam arduum ac difficile!) tibi à Patre commiſſum.

O Ieſu da mihi, ut quæ ſtatus & officii mei ſunt, ſerio perficiam, ut bonum certamen certando, curſum conſummando à te exſpectare poſſim coronam juſtitiæ. Nam ſi faciam ego, quod juſſiſti; Tu facies quod promiſiſti.

4. *Panem noſtrum quotidianum.*

O Ieſu noſtræ ſalutis magne Zelator. Quid enim in Cruce pendens, & *te ſitire clamans*, quid, inquam, ſitiebas, aut deſiderabas aliud, quam ſalutem noſtram? certe deſiderio deſideraſti hunc cibum manducare, & hunc calicem bibere. Siccine quod gula noſtra peccavit, tam acerba ſitis expiare debuit?

O ſi des mihi ita propriam ſitire ſalutem; ſicut tu alienam! Quid vero proderat tibi, ſi me ſalvares? Nimirum gratuitus amor mei ſitim illam accendit: Cui utinam ego digne reſpondeam, non negligens ipſe curam ſalutis meæ; ſed nec ſtudium alienæ. Vtrumque enim inſtar dulcis & jucundi cibi nobis eſſe debet. Nam unicuique mandaſti de proximo ſuo; & peccata populi ſacerdotibus comedenda dediſti: Abſit, ut nauſeet anima eorum ſuper cibo iſto tanquam viliſſimo, & nimium duro. Vtinam zelus domus Domini comedat eos; ita, ut non comedant, nec commoda, ſeu bona Eccleſiæ capiant, niſi zelo Domus Dei, ad quos illius cura pertinet.

5. *Et dimitte nobis debita.*

O clementiſſime Ieſu, qui vulneratus & mortuus es propter delicta noſtra; qui non vis mortem peccatorum, ita ut nec ipſos tuæ mortis auctores, & carnifices ab hac miſericordia velles excluſos, quin pro eis orares, dicens: *Pater ignoſce illis.* O pietas inaudita! O miſericordia ineffabilis!

Per hanc precor, ignoſce mihi, & dimitte debita mea. Ecce & ego paratus ſum ex animo, idque exemplo & verbis tuis monitus, ignoſcere inimicis meis; ne fruſtra quæram à te miſericordiam, ſi erga proximos reſervem iracundiam.

6. *Et ne nos inducas in tentationem.*

O ſuaviſſime Ieſu, qui tentatus es ipſe per omnia abſque peccato; neminem vero tentas; ſed intentator malorum es; immo omnium tentatorum refugium & virtus; adjutor in tribulationibus. Id quod ſatis in ipſa Cruce monſtraſti, tam pro dilectiſſima Matre & dilecto Diſcipulo ſollicitus, eoſque *ſibi invicem commendans*; ut mutua cura & ope, haberent in adverſis ſolatium: in tentationibus remedium.

Vti-

Vtinam pariter, ô Domine, ſollicitus ſis mei, ut non timeam quid faciat mihi, vel homo, vel Dæmon malignus: & quaſi ſtans ſub Cruce provideam te in conſpectu meo ſemper, quoniam à dextris es mihi, ne commovear.

7. Sed libera nos à malo.

O Ieſu fortiſſime; nam fortis ut mors dilectio: Hæc te mori coëgit: ſed & mortem ac mala omnia fecit vincere. Tu itaque à malis & miſeriis hujus vitæ mortalis jam tum liberandus, ſecure & tranquille in manus Patris Æterni ſpiritum tuum commendas, velut ultro vitam & animam illi reſignans, à quo acceperas; ſciens quia potens erat reſuſcitare te ad vitam, nec morti, nec ullis malis amplius obnoxiam.

Da mihi, ô Ieſu, ſic perfungi hujus vitæ pœnis, laboribus, malis, & miſeriis, ut cum ad finem pervenero, filiali fiducia, prompta voluntate reddam tibi Creatori meo animam meam: Tu vero à Malo damnationis æternæ, (ô malum horrendum!) libera me, qui redemiſti me Domine Deus veritatis. Amen, Amen.

CAP. III.

LITANIÆ VITÆ ET PASSIONIS DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI.

KYRIE ELEISON. Chriſte eleiſon.
Kyrie eleiſon.
Pater de cœlis DEVS, miſerere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miſerere nobis,
Spiritus S. Deus, miſerere nobis.
S. Trinitas unus Deus, miſerere nobis.

Ieſu cunctis gentibus deſiderate, *Agg.* 2.
Ieſu in mundum à Patre miſſe, *Galat.* 4.
Ieſu de Spiritu ſancto concepte, *Luc.* 1.
Ieſu Verbum caro factum, *Ioan.* 1.
Ieſu formam ſervi accipiens, *Phil.* 2.
Ieſu in utero Matris Ioannem viſitans & exhilarans, *Luc.* 1.
Ieſu de Maria virgine nate, *Luc.* 2.
Ieſu pannis involute, *Ibid.*
Ieſu in præſepio reclinate, *Ibid.*
Ieſu ubere virgineo lactate, *Ibid.*
Ieſu Paſtoribus in præſepio manifeſtate, *Ibid.*
Ieſu circumciſionis Legem ſponte ſuſcipiens, *Ibid.*
Ieſu à Magis adorate, *Matth.* 2.
Ieſu in templo præſentate, *Luc.* 2.
Ieſu ulnis juſti Simeonis excepte, *Ibid.*
Ieſu in Ægyptum deportate, *Matth.* 2.
Ieſu ab Herode ad necem quæſite, *Ibid.*
Ieſu in Nazareth nutrite, *Ibid.*
Ieſu in Templo inter Doctores invente, *Luc.* 2.
Ieſu parentibus ſubdite, *Ibid.*
Ieſu à Ioanne baptizate, *Matth.* 3.
Ieſu in deſerto tentate, *Matth.* 4.
Ieſu cum hominibus converſate, *Ibid.*
Ieſu rudes & pauperes diſcipulos eligens, *Ibid.*
Ieſu omnibus languentibus miſericorditer opitulate, *Ibid. &c.*
Ieſu in monte coram Patribus transfigurate, *Matt.* 17.
Ieſu præ compaſſione ſuper Ieruſalem lacrymate, *Luc.* 19.
Ieſu Rex mitis Ieruſalem ingreſſe, *Matt.* 21.
Ieſu zelo domus Dei vendentes & ementes ejiciens, *Luc.* 19.

Miſerere nobis.

Ieſu

Ieſu triginta argenteis vendite,	Miſerere nobis.	*Matt. 26.*
Ieſu ad lavandos Diſcipulorum pedes inclinate,		*Ioan. 13.*
Ieſu Paſcha cum diſcipulis manducans,		*Matt. 26.*
Ieſu Corpus tuum nobis in cibum, & ſanguinem in potum largite,		*Ibid.*
Ieſu in oratione proſtrate,		*Ibid.*
Ieſu in agonia ſanguineo ſudore perfuſe,		*Ibid.*
Ieſu ab Angelo confortate,		*Ibid.*
Ieſu oſculo à Iuda tradite,		*Ibid.*
Ieſu à miniſtris crudeliter ligate,		*Ibid.*
Ieſu à Diſcipulis derelicte,		*Ibid.*
Ieſu Annæ & Caiphæ præſentate,		*Ibid.*
Ieſu alapa à miniſtro percuſſe,		*Ibid.*
Ieſu à falſis teſtibus accuſate,		*Ibid.*
Ieſu reus mortis judicate,		*Ibid.*
Ieſu in faciem conſpute,		*Ibid.*
Ieſu oculis velate,		*Ibid.*
Ieſu colaphis cæſe,		*Ibid.*
Ieſu gratis odio habite,		*Ioan. 15.*
Ieſu, qui corpus percutientibus & genas vellentibus dediſti,		*Iſa. 50.*
Ieſu à Petro ter negate,		*Matt. 26.*
Ieſu vinctus Pilato tradite,		*Matt. 27.*
Ieſu ab Herode ſprete & illuſe,		*Ibid.*
Ieſu veſte alba indute,		*Ibid.*
Ieſu Barabbæ poſtpoſite,		*Ibid.*
Ieſu flagellis immaniter cæſe,		*Ibid.*
Ieſu propter ſcelera noſtra attrite,		*Iſa. 53.*
Ieſu quaſi leproſus reputate,		*Ibid.*
Ieſu veſte purpurea indute,		*Marc. 15.*
Ieſu ſpinis coronate,		*Matt. 27.*
Ieſu arundine pro ſceptro donate,		*Ibid.*
Ieſu à Iudæis ad crucem poſtulate,		*Ibid.*
Ieſu morte iniquiſſima condemnate,		*Luc. 23.*

Ieſu

Ieſu voluntati Iudæorum tradite, *Ibid.*
Ieſu crucis pondere gravate, *Ioan.* 19.
Ieſu tanquam ovis ad occiſionem ducte, *Iſa.* 53.
Ieſu myrrhato vino & felle potate, *Marc.* 15.
Ieſu nudus in cruce confixe, *Matt.* 27.
Ieſu qui dilexiſti nos, & à peccatis in ſanguine tuo laviſti, *Apoc.* 1.
Ieſu qui propoſito tibi gaudio, ſuſtinuiſti crucem confuſione contempta, *Hebr.* 11.
Ieſu qui tradidiſti temetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis, *Epheſ.* 4.
Ieſu cum iniquis reputate, *Marc.* 15.
Ieſu inter duos Latrones crucifixe, *Matt.* 27.
Ieſu regio titulo in cruce per Pilatum inſignite, *Ioan.* 19.
Ieſu pro inimicis Patrem deprecate, *Luc.* 23.
Ieſu opprobrium hominum facte, *Pſal.* 21.
Ieſu à prætereuntibus blaſphemate, *Matt.* 27.
Ieſu à Iudæis deriſe, *Ibid.*
Ieſu à militibus in cruce illuſe, *Luc.* 23.
Ieſu à latrone convitiis laceſſite, *Ibid.*
Ieſu Latroni pœnitenti paradiſum pollicite, *Ibid.*
Ieſu qui Ioannem Matri tuæ in filium commendaſti, *Ioan.* 19.
Ieſu te à Patre derelictum atteſtate, *Matt.* 27.
Ieſu ſitiens aceto potate, *Ioan.* 19.
Ieſu qui omnia de te ſcripta in Cruce conſummaſti, *Ibid.*
Ieſu qui Spiritum tuum in manus Patris jam moriturus commendaſti, *Luc.* 23.
Ieſu à Patre pro tua reverentia ſemper exaudite, *Hebr.* 5.
Ieſu uſq; ad mortem crucis obediens facte, *Phil.* 2.

} Miſerere nobis.

Ieſu

Ieſu lancea transfixe, *Ioan.* 19.
Ieſu, de cujus latere exivit ſanguis & aqua, *Ibid.*
Ieſu qui peccata noſtra ſuper lignum in corpore tuo pertuliſti, 1 *Petr.* 2.
Ieſu, cujus livore ſanati ſumus, *Ibid.*
Ieſu propitiatio nobis facte, 1 *Ioan.* 2.
Ieſu de cruce depoſite, *Marc.* 15.
Ieſu in ſindone munda involute, *Matt.* 27.
Ieſu in monumento novo tumulate, *Ibid.*
Ieſu qui poſt mortem ad inferos deſcendiſti, 1 *Petr.* 3.
Ieſu qui mortuus es propter delicta noſtra, & reſurrexiſti propter juſtificationem noſtram, *Rom.* 4.
Ieſu in cœlum elevate, *Actor.* 1.
Ieſu in Patris dextera collocate, *Pſal.* 109.
Ieſu gloria & honore coronate, *Pſal.* 8.
Ieſu Rex regum, & Domine dominantium, *Apoc.* 19.
Ieſu qui paraſti nobis locum in Domo Patris tui, *Ioan.* 12.
Ieſu noſter apud Patrem advocate, 1 *Ioan.* 2.
Ieſu Spiritum Paraclitum diſcipulis elargite, *Actor.* 2.
Ieſu vivos & mortuos judicature, 2 *Tim.* 4.
Ieſu reprobos in ignem æternum miſſure, *Matt.* 25.
Ieſu paratum electis regnum collature, *Ibid.*
} Miſerere nobis.

Propitius eſto, Parce nobis Ieſu.
Ab omni malo, Libera nos Ieſu.

A ſubitanea & improviſa mala morte,
Ab inſidiis diaboli,
Ab ira, odio, & omni mala voluntate,
A morte perpetua,
Per myſterium ſanctæ Incarnationis tuæ,
} Lib. nos Ieſu.

Per

Per Adventum tuum,
Per Nativitatem tuam,
Per Circumciſionem tuam,
Per impoſitionem ſanctiſſimi Nominis tui,
Per Baptiſmum & ſanctum jejunium tuum,
Per labores & vigilias tuas,
Per Agoniam & ſanguineum ſudorem tuum,
Per alapas & flagella tua,
Per ſpineam Coronam tuam,
Per Crucem & Paſſionem tuam,
Per ſitim, lacrymas, & nuditatem tuam,
Per Sacratiſſima quinque vulnera tua,
Per Mortem & Sepulturam tuam,
Per ſanctam Reſurrectionem tuam,
Per admirabilem Aſcenſionem tuam,
Per miſſionem Spiritus ſancti Paracliti,
In die judicii,
} Libera nos Ieſu.

Peccatores,
Vt peccatis mortui juſtitiæ vivamus, 1 *Petr.* 2.
Vt gloriari nobis non libeat, niſi in cruce D. N. I. C. *Gal.* 6.
Vt amore tui mundus nobis crucifixus ſit, & nos mundo, *Ibid.*
Vt crucis mortificationem jugiter in corpore noſtro circumferamus, 2 *Cor.* 4.
Vt carnem noſtram cum vitiis & concupiſcentiis crucifigere ſtudeamus, *Gal.* 5.
Vt te paſſo in carne, & nos eadem cogitatione armemur, 1 *Petr.* 4.
Vt crucem noſtram quotidie tollere, & te ſequi valeamus, *Matt.* 16.
Vt quæ nobis lucra ſunt, propter te detrimenta arbitremur, *Phil.* 3.
Vt te Ieſum crucifixum ſcire ante omnia ſtudeamus, 1 *Cor.* 2.
} Ieſu, Te rogamus audi nos.

Vt Sanguis tuus emundet nos ab operibus mortuis ad ſerviendum Deo viventi: *Hebr. 9.*
Vt empti pretio magno glorificemus Deum in corpore noſtro, *1 Cor. 6.*
Vt mortui peccato, & conſepulti, deinceps tecum in novitate vitæ ambulemus, *Rom. 6.*
Vt ſemel emundati ab operibus mortuis, rurſum te Filium Dei crucifigere, & oſtentui habere caveamus, *Hebr. 6.*
Vt relictum à te nobis exemplum intuentes, ſequamur veſtigia tua, *1 Petr. 2.*
Vt ſicut ſocii paſſionum ſumus, ita ſimus & conſolationis. *2 Cor. 1.*

Ieſu, Te rogamus audi nos.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce nobis Ieſu.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos Ieſu.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Miſerere nobis Ieſu.
Pater noſter. Ave Maria.

ORATIONES
de Paſſione Domini.

Reſpondent ſeptem horis Canonicis.

AD MATVTINAS.

DOmine Ieſu, per amorem, quo tuos in fine dilexiſti: per ſanguineum ſudorem, quem in horto fudiſti; per injurias, & dolores quos à tuo Diſcipulo traditus & venditus, ab impiis Iudæis ligatus & diſtractus ſuſtinuiſti, abſolve meorum vincula peccatorum, & liga hanc animam meam fortiſſimis charitatis tuæ funiculis, qui diſſolvi non poſſint. Qui vivis, *&c.*

AD

AD PRIMAM.

DOmine Ieſu,qui hora diei *Prima* Pilato præſentatus, Iudex cœleſtis judici terreno, & reus falſorum criminum ab impiis Pontificibus factus fuiſti; ſuccurre nobis miſeris peccatoribus in judicio, ut non æternis ſuppliciis cum impiis condemnemur, ſed tuis fidelibus jungi in cœleſtibus mereamur. Qui vivis.

AD TERTIAM.

DOmine Ieſu, qui hora diei *Tertia* flagellis cæſus, & ſpinis coronatus fuiſti; tribue nobis famulis tuis,ut corpora noſtra voluntaria caſtigatione macerantes, ſub capite ſpinoſo digna cenſeri membra mereamur. Qui vivis.

AD SEXTAM.

DOmine Ieſu, qui hora diei *Sexta* transfoſſis manibus & pedibus, è *Crucis* ligno pependiſti, iiſdemque clavis damnationis noſtræ chirographum in patibulo confixiſti: concede animæ meæ, ut liberata à ſervitute peccati, has ſanctiſſimas plagas tuas,tanquam inſignia liberationis meæ ſemper feram in medio cordis mei. Qui vivis.

AD NONAM.

DOmine Ieſu, qui hora diei *Nona*, conſummatis omnibus, inclinato capite, Deo Patri ſpiritum reddidiſti, atque in mortuum hominum genus ſpiraculum vitæ inſpiraſti; concede mihi peccatori, ut qui totum me tibi debeo pro me facto; totum me iterum debeam pro refecto, nec jam mihi, ſed tibi, qui pro me mortuus es,in perpetuum vivam. Qui vivis.

AD VESPERAS.

DOmine Ieſu, qui hora *Veſpertina* è Cruce deponi mortuus in ſanctiſſimæ Genitricis tuæ brachia voluiſti; concede propitius, ut & crucem meam, quam mihi largiri pro tua bonitate volueris, nunquam in vita derelinquam, & in morte ex ea depoſitus, per clementiſſimæ Matris tuæ manus ante te merear præſentari. Qui vivis.

AD COMPLETORIVM.

DOmine Ieſu, qui hora *Completorii* in ſepulchro quieviſti, & à Matre tua mœſtiſſima, & ab aliis mulieribus planctus fuiſti: fac nos, quæſumus, tuam ſanctiſſimam Paſſionem veris lacrymis plangere, nec unquam ea, per quæ iterum crucifigaris, admittere. Qui vivis.

CAP. IV.

Roſaria & Exercitia varia Rhythmis comprehenſa, de Vita ac Paſſione Chriſti.

ADMONITIO de ſequentis Roſarii ſcopo & uſu.

CHriſtiani hominis cenſura non Nomine, ſed Vita conſtat. Nominis quidem profeſſio glorioſa eſt; ſed nihil ad æternam Gloriam profutura, niſi Nomini tam ſancto par vita reſpondeat.

Porro Chriſti Vita nobis debet eſſe norma vivendi. jam vero Chriſtiani nomen multi uſurpant, ſed de vita hoc Nomine digna parum ſolliciti; & tamen audacter ſperant, in Gloria Chriſti ſe fore conſortes, cujus in vita, ceu in via, non ſtudent eſſe ſectatores. O quam multos (nomine tenus Chriſtianos) deludit hæc ſpes, aut potius præſumptio! adeo ſcilicet ignavos, aut ignaros, ut Nomen tam ſanctum ſanctioris vitæ calcar eſſe neſciant; Nos Chriſtiani potius eſſe, quam dici velimus.

Quid facto opus? Ecce, Speculum *Vita Chriſti eſt. Inſpice,* ô Chriſtiane, *tuamque compone; &, quia rectum ſui pariter & obliqui regula eſt, in illa decorem multum, variaſque virtutes obſerva; in tua maculas & Vitia; ſed tanto facilius eluenda, quo diligentius* Speculum ſine macula *conſules.*

Illud ergo ſemper obverſetur oculis tuis, & in Chriſti vita meditare die ac nocte, ut vitæ tuæ vitia & Chriſti virtutes agnoſcas, illorum odium, harum amorem & imitandi deſiderium concipias. Meditatio enim notitiam parit, illuminat intellectum, affectum excitat, & voluntatem accendit. At vero ignoti nulla cupido; & quid mirum, ſi paucos Chriſtus habeat imitatores? Meditari enim Chriſti Vitam ac geſta piget, & imitari libeat?

Tu vero, ô Chriſtiane, *de præſentis* Roſarii *uſu pauca accipe. Totam Chriſti Vitam breviter exhibet: ſed uberem ſatis, ni fallor, meditandi materiam ſuggerit. In priori parte verſuum myſterium ſeu punctum ex vita & geſtis Chriſti proponitur: in poſteriore affectus aliquis pius ex prioribus elicitus, maxime virtutis indicatæ deſiderium exprimitur.*

Diſtribuitur autem in quinque Sect. ſeu Decades,

I. *Infantiam & Adoleſcentiam Salvatoris uſque ad Baptiſmum continet.*

II. *Vitam Chriſti uſque ad Paſſionem deſcribit.*

III. *Paſſionem Chriſti uſque ad Crucifixionem.*

IV. *Crucifixionem & Geſta in Cruce ad mortem uſque.*

V. *Geſta poſt mortem, denique Reſurrectionem, Aſcenſionem,* &c.

Serviet hoc Roſarium *cum alias, tum ſacræ Communioni & Miſſæ, pie peragendæ & audiendæ. Cum enim utraque ſit memoriale Paſſionis Dominicæ, vix melius aliunde, quam ex his ipſis myſteriis peti poteſt Exercitium.*

Vt vero fructum tibi Roſarii *præſentis uſus majorem adferat, fac ubicunque aliquam Chriſti Virtutem cernis aut legis, protinus cordis affectum elicias, qui virtuti aut rei geſtæ magis reſpondeat.*

Varii autem ſunt affectus animi, *operi tam pio congruentes, quibus irrigari ſubinde meditatio debet, alias inanis, ſteriliſque futura. Accipe eos breviter una cum praxi.*

1. *Com-*

1. *Compaſſionis in adverſis, Congratulationis in lætis.* Condoleo tibi ex animo, Domine, tam indigna & acerba, pro me indigno patienti, *&c.*

2. *Compunctionis ac Contritionis.* Heu me quia peccavi, doleo, quia Tibi tot dolorum cauſſa fui. An vileſcam mihi ipſi, qui ſcio me emptum pretio tam magno? parvine æſtimabo animam meam, cujus pretium ſanguis Chriſti eſt? An rurſus peccabo infelix ego, pro cujus peccatis tanta paſſus eſt Filius Dei?

3. *Spei ac gaudii.* Mihi adhærere Deo bonum eſt, & ponere in Deo ſpem meam. Quid non ſperem à te, qui tanta feciſti & paſſus es propter me, ô Deus meus, & unicum refugium meum?

4. *Laudis ac gratiarum actionis.* Quid retribuam tibi Domine pro omnibus quæ retribuiſti mihi? Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me ſunt, nomini ſancto ejus.

5. *Imitationis.* Exemplum reliquiſti nobis ô Domine, & vis ut ſequamur veſtigia tua. Da quod jubes, & jube quod vis.

6. *Admirationis.* Quis es tu Domine, & quis ſum ego! Tu qui pateris, Deus ac Dominus es, juſtus ac innocens: Ego vilis ſervus, terræ vermis, & peccator, qui pœnas merui, quas tu ſuſtines, ô prodigium!

7. *Amoris.* O dulcis Ieſu, ſalus & vita mea: omnia opera tua Domine tuum mihi loquuntur amorem! è cœlo te traxit Amor, & in Virginis uterum compegit: Amor te cruci confixit, & quid me ſeparabit à charitate tua? Vtinam nec vita, nec mors, nec ulla ſors hoc valeat.

In his ergo affectibus pro qualitate materiæ exercenda mens; & meditatio vitæ & paſſionis Chriſti condienda eſt; ſed eorum praxim in ſingulis punctis, exhibet ſequens Roſarium, & plenius te docebit unctio Spiritus. Potiſſima tamen affectuum Contritionis & Imitationis cura erit, præſertim Incipientibus. Hic enim præcipuus

 eſt

eſt Paſſionis fructus, ex ea peccati odium, & virtutis amorem haurire. Quid autem efficacius ad peccati fugam, quam ſi cogites, Quanta oportuit Chriſtum pati, ut nos à peccatis eriperet? *Quid potentius ad virtutis amorem, quam ſi cogites:* Deus homo factus eſt, ut in carne viſibilis, & nobis ſimilis, virtutum exempla imitanda proponeret.

Porro in hoc Roſario hæ Virtutes potiſſimum obſervandæ: Humilitas, Obedientia, Manſuetudo, Patientia, Miſericordia, Charitas, *&c. Has ſimiles nota, imitare, & alios pios circa eaſdem affectus exerce. Non deerit huic ſtudio Chriſtus, qui quos Vitæ ſuæ docet Exemplis, Gratiæ quoque præſidiis ducit: & ſequentes ſe tandem æternis Gloriæ præmiis coronabit.*

R O S A R I V M
D. N.
I E S V C H R I S T I,

Præcipua vitæ ac Paſſionis ejus puncta, grata brevitate complectens: & uberem meditandi materiam, facilemque praxin ſuppeditans.

SVmme Pater ô Creator,
Ieſu clemens ô Salvator,
Spiritus ô Conſervator;
Deus regens Omnia:
Mundo, precor, corde præſta,
Noſtra pro ſalute geſta
Recolam myſteria.
Ieſu Matrem ſelegiſti,
Et Serpentem contriviſti
Germine virgineo.
Matris tuæ me clientem,
Ac materno confidentem
Fove Patrocinio.
Ieſu cœtus te Sanctorum
Iuncti Choris Angelorum,
Mundi laudant Iudicem.
His cum laudes me promentem,
Sed ob noxas metuentem
Clemens audi ſupplicem.
Credo in Deum.

DECAS I.

Ieſu Thronum Majeſtatis,
Sumens formam vilitatis,
Noſtri cauſſa deſeris.
O fac nobis ad ſalutem,
Tantus Amor det virtutem,
Et nos jungat Superis.
Pater noſter.

Ieſu Virgo Salutata
Te concepit fœcundata
Spiritus per gratiam.
O fac Deum te tremendum
Caſto ſemper amplectendum
Pectore concipiam.
Ave Maria.

Ieſu Mater Te geſtabat,
Dum per montes feſtinabat
Viſitans Eliſabeth.
O ſi Mater Dei digna
Iuncta Prole tam benigna
Me frequenter viſitet.
Ave Maria.

Ieſu Mater præter morem
Virgo parit Te, dolorem
Neſciens Puerpera.
Charitate fac perfecta
Flagret in Te mens affecta,
Quam non frangant aſpera.
Ave Maria.

Ieſu tui Terræ fines;
Sed vix, caput quo reclines,
Mundo naſcens invenis.
Et quid ampla meditari,
Vel terrenis gloriari
Mens præſumit hominis?
Ave Maria.

Ieſu, natum Te Paſtorum
Viſit plebs, & Angelorum
Canit vox lætitiam.
Tuæ laudis fac amantem,
Vt æternam Tibi cantem
In excelſis gloriam.
Ave Maria.

Ieſu Deus & Salvator,
Legi pares ut peccator
Circumcidi ſuſtinens.
O fac carnem, ſenſus vagos,
Circumcidat mores pravos,
Mens ſuperna ſapiens.
Ave Maria.

Ieſu Reges, Te dotantes,
Regem Regum venerantes,
Vultu colunt cernuo.
Quam tot donis mihi datis,
Vicem reddam charitatis?
En me *Totum* tribuo.
Ave Maria.

Ieſu Legi ſe ſubdentes
Deo ſiſtunt te Parentes,
Nulla quos lex obligat.
O fac mihi cor ſit rectum,
Omnem ſemper quod affectum
Lege tua dirigat.
Ave Maria.

Ieſu neci Te quærentem
Regem fugis, ſævientem
Cædibus Infantiæ.
Cunctos me fac declinare,
Qui me poſſent ſpoliare
Tuæ vita gratiæ.
Ave Maria.
Ieſu Mater ut abſentem
Dolens quærit Te, docentem
Templo gaudens reperit.
Fœlix qui Te cuſtodire,
Vel amiſſum reperire,
Mox quærendo poterit.
Ave Maria.
O Potens audi nos Creator,
Audi Clemens ô Salvator,
Audi ſancte Gubernator,
Deus meus, & omnia.
Ora Dulcis ô Maria,
Placa Natum Mater pia;
Tu ſolamen ſis in via;
Ille ſalus, Patria,

DECAS II.

Ieſu fonte baptizaris,
Placens *Patri* declararis;
Teſtis adeſt *Spiritus.*
O ſi *Vitæ* ſalutari
Fonte laver, ut probari
Poſſim tibi penitus.
Pater noſter.
Ieſu poſtquam jejunaſti,
Quam potenter profligaſti
Satanæ verſutias!
Ne fraus mala me confundat,
Fortis fide mens retundat
Dæmonis nequitias.
Ave Maria.
Ieſu vocas Piſcatores,
Et ſequuntur Te, Doctores
Mox futuri Gentium.
O fac, intus te vocantem
Mox ſequamur: ſed cunctantem
Greſſum trahe mentium.
Ave Maria.
Ieſu Sponſos cohoneſtas,
Dum rogante *Matre* præſtas
Vinum, præſens nuptiis.
Fac amicos ordinatis,
Te præ cunctis charitatis
Proſequar officiis.
Ave Maria.
Ieſu terras peragrando,
Et ubique prædicando,
Quanta fers incommoda!
Pro Te frigus & ſudorem,
Famem, ſitim, & laborem
Mente feram placida.
Ave Maria,
Ieſu zelo charitatis
Flagrans, ô quot à peccatis
Reparas ad gratiam!
O ſi meos primum mores,
Dein curem peccatores,
Tuam

Tuam zelans gloriam.
Ave Maria.

Ieſu multas diu Gentes
Te docentem ſuſtinentes
Verbo, Cibo recreas.
O ſi corpus conſervante,
Sed cor magis confirmante
Cibo ſemper nutrias.
Ave Maria.

Ieſu doces, facis mira,
Sanas morbos; pellis dira,
Sed quid refers? Odia.
Menti ſemper fac benigna,
Bona præſtem, nec maligna
Movear invidia.
Ave Maria.

Ieſu monte Thabor grandis
Majeſtatis typum pandis;
Dans prægustum gloriæ.
O ſi vita nunc inſonte
Feram celſo tandem Monte
Præmia victoriæ.
Ave Maria.

Ieſu petis Solymorum
Vrbem, deflens tot malorũ
Cladibus obnoxiam.
O ſi tui vis Amoris
Mihi præſtet vim Doloris,
Vt malorum veniam.
Ave Maria.

Ieſu vili te vendentem
Cerno Iudam, & prodentem
Deum pro Pecunia.
Vnum tui fac Amorem
Eſſe mihi potiorem
Bona ſuper omnia.
Ave Maria.

O Potens audi nos Creator,
Audi Clemens ô Salvator,
Audi ſancte Gubernator,
Deus meus, & omnia.
Ora dulcis ô Maria,
Placa Natum Mater pia,
Tu ſolamen ſis in Via,
Ille Salus, Patria.

DECAS III.

Ieſu Deus & Magiſter
Lavas pedes ut miniſter,
Damnans arrogantiam.
Lava, precor, me ſordentem,
Et quæ forſan fœdat mentem,
Elue ſuperbiam.
Ave Maria.

Ieſu Paſcha dum feciſti,
Tuis cibum Te dediſti,
O ſtupenda charitas!
Panis Vive me conforta;
Ne me vincant fors adorta
Mundus, Caro, Satanas.
Ave Maria.

Ieſu ſanguinem ſudabas,
Orans Horto, cum Te dabas
Patris in arbitrium.
O ſi cor des reſignatum;
Et quod ſemper ſit paratum
Duci per imperium.
Ave Maria.

Ieſu

Ieſu lupis tradebaris,
Sed ut ovis ducebaris,
Mox futurus victima.
Omnis expers ſim rancoris,
Sed affectum fac Amoris
Cordis gerant intima.
Ave Maria.

Ieſu tractus per furentes,
Tuos cernis fugientes;
Quis non tecum plangeret?
Fac adverſis nos conſtantes;
Sic ſecundis non nutantes;
Nil à te nos ſeparet.
Ave Maria.

Ieſu vinctus accuſaris,
Quin & ſiles dum culparis;
Iræ procul motibus.
Fac me linguam refrænare,
Senſus omnes caſtigare
Pravis ab affectibus.
Ave Maria.

Ieſu Petrus te negavit,
Sed flens crimen expiavit
Tuæ vi Clementiæ.
O ſi nunquam Te negarem,
Vel me reum mox purgarē
Fletu Pœnitentiæ.
Ave Maria.

Ieſu falſo judicaris,
Alba veſte ſubſannaris,
Iudex ſummæ Gloriæ.
Fac me nullum judicare,
Solum ſciam me damnare,
Vitæ judex propriæ.
Ave Maria.

Ieſu dire flagellatus,
Pugnis, ſputis es fœdatus;
Purus omni vitio.
O quam dignus ſum puniri!
Sed da pœnis his muniri
Mortis à ſupplicio.
Ave Maria.

Ieſu ſpinis coronaris,
Et illuſus adoraris,
Regens orbem nutibus.
O fac zelo ſemper vero,
Affectuque Te ſincero
Dignis colam laudibus.
Ave Maria.

Ieſu Præſes Te ſpectandum
Foras ducit; ſed damnandum
Plebs dimittit Barrabam.
Abſit ducar hoc errore,
Vt tam diræ gentis more
Quidquam Tibi præferā.
Ave Maria.

O Potens audi nos Creator,
Audi Clemens ô Salvator,
Audi ſancte Gubernator,
Deus meus, & omnia,
Ora Dulcis ô Maria,
Placa Natum Matèr pia;
Tu ſolamen ſis in via;
Ille ſalus, Patria,

DECAS IV.

Ieſu Crucem dum portabas,
Heu quam mole laborabas!
O ſi poſt te gradiar!
Eja

Eja Crucem fac tollendo,
Et conſtanter Te ſequendo
Fructum crucis adſequar.
Pater noſter.

Ieſu veſte denudaris,
Sed heu, quantum cruciaris
Cauſſa verecundiæ!
Fac me nunquam ſpoliari,
Qua nos decet perornari,
Veſte pudicitiæ.
Ave Maria.

Ieſu dire Te diſtentum
Crucifigunt, ô Tormentum
Vitam præſtans Homini!
Abſit mihi gloriari,
Niſi lytro ſalutari,
Et in Cruce Domini.
Ave Maria.

Ieſu trina nomen lingua
Tibi ponit Gens maligna
Læto fulgens omine.
Precor *Ieſu Nazarene*
Salva nos, nam pendet plene
Salus ab hoc Nomine.
Ave Maria.

Ieſu Patri pro tuorum
Culpa ſupplex ſis Tortorum:
Sic nos docens vincere.
Hoſtes amem, ſed non ficte,
Zelo quæram ne vindictæ
Mala malis reddere.
Ave Maria.

Ieſu ſummi Fons ô Boni,
Quã clementer das Latroni
Pœnitenti veniam!
Cor contritum mihi dona,
Vt hinc migrans tecũ bona
Paradiſi capiam.
Ave Maria.

Ieſu Matrẽ commendabas,
Et Ioannem, quem amabas,
In ſolamen mutuum.
Fac Amborum mihi cura
Semper adſit in preſſura
Salus & auxilium.
Ave Maria.

Ieſu clamas voce triſti,
Vt quid, Pater, me liquiſti?
O tormenta fortia!
A te nunquam derelinquar,
Ne tentatus forte vincar
Mortis in anguſtia.
Ave Maria.

Ieſu ſiti flagras totus;
Sed, heu, quales tibi potus
Gens propinat impia!
Memor potus tam amari,
O quam velim refrenari
Carnis deſideria?
Ave Maria.

Ieſu culpam Protoplaſti
Morte luens, conſummaſti
Redemptoris munia.
Cor Amoris vi concepta
Ad implenda duc Præcepta,
Sanctaque Conſilia.
Ave Maria.

Ieſu vita dum migrabas,
Temet Patri commendabas,
Heu Sol luget obitum.
Fac extrema mortis hora
Meum Tibi ſine Mora
Reddam gaudens ſpiritũ.
Ave Maria.

O Potens audi nos Creator,
Audi Clemens ô Salvator,
Audi ſancte Gubernator,
Deus meus, & omnia.
Ora dulcis ô Maria,
Placa Natum Mater pia,
Tu ſolamen ſis in Via,
Ille Salus, Patria.

DECAS V.

Ieſu noſtros ob reatus,
Inſons duræ Morti datus,
Reis donas veniam.
O per ſacræ Mortis fructũ,
Fac, ne ſequens carnis ductũ
Male morte peream.
Pater noſter.

Ieſu cor dum perforatur,
Fons Amoris dilatatur;
Corda rigans arida.
Salvatoris patent fontes,
Quid haurire vetat ſontes
Aquas in lætitia?
Ave Maria.

Ieſu Cruce Te pendentem
Cernens Mater, heu quo mentem
Senſit enſe ſauciam!
Cor da Cruci ſic affixum.
Vt Te Ieſum crucifixum
Scire ſolum cupiam.
Ave Maria.

Ieſu tandem ſepeliris,
Et aromate condiris;
Heu quos inter gemitus!
In Te meam ſepeliri
Mentem præſtes, & condiri
Vnctione Spiritus.
Ave Maria.

Ieſu limbum ſpoliaſti,
Dum captivos liberaſti,
Triumphator nobilis.
O fac cunctis ſolvar malis,
Nec inferni tam pœnalis
Stringar unquam vinculis.
Ave Maria.

Ieſu victa Reſurgebas
Morte, mœſtis apparebas
Conſolator cordium.
Fac à morte vitiorum
Redivivus te decorum
Expers cernam ſordium.
Ave Maria.

Ieſu comes queis iviſti
Petens Emaus, non fuiſti
Cognitus à ſociis.
O ſi fruar Te præſente,
Nec abducar unquã mente
Tuis ab eloquiis.
Ave Maria.

Ieſu

Ieſu Cœlos Aſcendiſti,
Et Triumphans accepiſti
Summum Cœlo bravium.
Vt & ego comprehendam
Sic fac curram (nec offendam)
Per hoc mundi ſtadium.
Ave Maria.

Ieſu Cœlo Paracletum
Mittens, ſacri Gregis cœtum
Sancto reples Pneumate.
O per Numen Veritatis,
Noſtra reple pietatis
Pectora chariſmate.
Ave Maria.

Ieſu Matrem exaltaſti
Supra Cœlos, & ornaſti
Super omnes Gloria.
O mi Ieſu me defende;
O de cœlis huc intende
Mater plena Gratia.
Ave Maria.

Ieſu Iudex es venturus,
Et mercedem redditurus
Factis noſtris ſimilem.
Mitem te nunc in Amore
Colam, ne tunc in Furore
Sentiam terribilem.
Ave Maria.

O potens audi nos Creator,
Audi Clemens ô Salvator,
Audi ſancte Gubernator,
Deus meus & Omnia.
Ora Dulcis ô Maria,
Placa Natum Mater pia,
Tu ſolamen ſis in via,
Ille Salus, Patria.

AFFECTVS ANIMÆ

Devotæ, Rhythmis expreſſi,

Ad Membra Ieſu Chriſti Crucifixi.

DECAS I.

Die Dominica

AD PEDES.

SAlve Ieſu, *Dux Sanctorum,*
Mundi Lux, Rex Angelorum,
Via, Vita, Veritas.
Pax & Salus Filiorum,
Tua quos, ô Vir Dolorum,
Gignit Mors & Charitas.

Pater noſter. Ave Maria.

Ieſu ſummæ Rex virtutis,
Victor mortis, Dux ſalutis,
Tuæ Crucis me conſortem
Fac, ut tecũ guſtans mortẽ,
Fiam

Fiam conſors gloriæ.
Culpa terret hoc poſcentẽ,
Sed Crux viſa fulcit mentem:
Quin affixum dũ te cerno,
Toto corde me proſterno,
Spe ſubnixus veniæ.
Clavos pedum, plagas duras,
Et tam grandes, heu, fiſſuras
Palpans, lætor ex affectu;
Sed horreſcit in aſpectu
Mens defixa vulnerum.
Tantæ grates charitati
Quas agemus ſic ſalvati?
O quis amor iſte grandis,
Tale ſumens reparandis,
Perditis remedium.
Dulcis Ieſu, Deus fortis,
Tu pars meæ ſumma ſortis,
Habens Te, quid non habebo?
Mundum lucrans quid valebo
Sine tuo Numine?
Plagas pedum rubicundas,
Et cavernas tam profundas
O ſi detur introire;
Vt dum tempus inſtat iræ,
Protegar à fulmine.
Coram cruce procumbentem,
Tuos pedes amplectentem,
Bone Ieſu non me ſperne;
Sed ut Magdalenam cerne
Tuis pronam Pedibus.
In hac Cruce ſtans erectus,
O ſi ſpectet me Dilectus;
Sicut Petrum tunc reſpexit,
Quando lapſus reſurrexit
De peccati ſordibus.
Quæram Ieſum, ſed in Cruce;
Nec ſpe fallar ipſo duce.
O per Nomen ſalutare,
Anhelantem amplexare,
Et ſub alis protege.
O per ſacros, precor, pedes,
Duc nos tecum cohæredes.
Pedes noſtros per deſertũ,
Ambulantes in incertum,
Via pacis dirige.

DECAS II.

Feria II. Ad GENVA.

SAlve Ieſu, *Dux Sanctorum,*
Mundi Lux, Rex Angelorum,
Via, Vita, Veritas.
Pax & Salus Filiorum,
Tua quos ô Vir Dolorum,
Gignit Mors & Charitas.

Pater noſter. Ave Maria.

Chriſte Ieſu fons bonorum,
Spes & Vita peccatorum,
Agnus purus, verus Deus,
Crucis ligno tanquam reus,
Laſſis

Laſſis pendes Genibus.
O quam pauper! O quam
nudus!
Qualis, heu, in Cruce ludus
Deus homo fuit factus!
Sponte tamen, non coa-
ctus,
Traditus tortoribus.
Ieſu noſtræ ſpes ſalutis,
Et redemptor ſervitutis,
Tune ſervis redimendis,
Servus factus huc deſcendis
De Cœlorum culmine!
O Majeſtas infinita,
Sic pro nobis inanita!
Quid pro tali charitate
Non dem tota voluntate?
Quid pro fuſo ſanguine?
O vis miræ charitatis!
Sic ſuccurrens deſperatis!
Nonne Tibi tam Cœleſtes?
Et inferni, quam Terre-
ſtres
Iure curvant genua?
Vacillantes Tu firmaſti,
Tu trementes confortaſti;
Quin eliſos erexiſti,
Compeditos Tu ſolviſti;
Cœli planans ardua.
Amor tuus, amor fortis,
Non extinctus aquis mor-
tis.
Per hunc pia mihi cura
Precor adſis in preſſura;
Fac à morte liberer.
Quid, heu, miſer ſum fa-
cturus,
Actu vilis, corde durus?
Nonne vivam Salvatori,
Qui non fugit pro me mori,
Ne ſons ego morerer?
Tui tractus per amorem
Ecce ſequor in odorem:
Impar quidem charitate;
Sed pro tua pietate
Supple, vel diſſimula.
Æquo minus eſt quod præ-
ſto:
Corpus obſtat hoc quod
geſto.
Sed tu vides imperfectum,
Et tu ſolus qui defectum
Vindices à macula.

DECAS III.

Feria III. Ad MANVS.

SAlve Ieſu, *Dux Sanctorum*,
Mundi Lux, Rex Angelorum,
Via, Vita, Veritas.
Pax & Salus Filiorum,
Tua quos, ô Vir Dolorum,
Gignit Mors & Charitas.

Pater noſter. Ave Maria.

Chriſte Ieſu Paſtor bone,
Heu, quam laſſus ex ago-
ne;
Sed & Crucis mole factus,

(Quam portaſti procul tra-
ctus)
Fixis pendes manibus !
Manus ſanctæ quid feciſtis?
Vnde ſic commeruiſtis ,
Ramis diræ Crucis jungi ;
Et crudeli ferro pungi ,
Quæ ſerviſtis omnibus ?
En ut Sanguis circumqua-
que
Manu fluit ex utraque.
Heu cruore purpuratæ !
Manus clavis perforatæ !
O ſalutis pretium !
Manus Cruci copulatas ,
Sed ad opem non ligatas ,
Rebus duris contemplabor;
Nec me vana ſpe ſolabor
Contra moræ tædium.
Stipulantur quas exponis
Manus Cœli plenæ bonis ;
Queis auditum , & loque-
lam ,
Viſum dabas & Medelam,
Miſerator omnium.
Optans per te reddi ſanus,
Tuas ſupplex poſco Manus.
Sana me, & ſalvus ero ;
Potes enim (quid ni ſpe-
ro ?)
Medice languentium.
In tam larga charitate ,
Num fraudabor bonitate ?
O per Crucem , precor , al-
mam ,
Perduc nos ad Crucis pal-
mam ,
Profligatis hoſtibus.
Cauſa mei ſic extenſus ,
In te meos trahe ſenſus :
Meum poſſe, velle, ſcire,
Fac à Cruce non abire ,
Sed ádſtringe Manibus.
Manus ô quæ nos plaſma-
ſtis ,
Et corruptos reparaſtis !
Quidnam reddet bonis tan-
tis ,
Plagis duris , rivis ſanctis
Pauper & inutilis ?
En cruore tuo lotum
Tibi me jam dedo totum.
Tuæ ſanctæ Manus iſtæ
Me defendant Ieſu Chri-
ſte ,
Cunctis in periculis.

DECAS IV.

Feria IV. AD LATVS.

SAlve Ieſu *Dux Sancto-
rum ,*
Mundi Lux , Rex Angelorum ,
Via , Vita , Veritas.
Pax & Salus Filiorum ,
Tua quos , ô Vir Dolorum ,
Gignit Mors & Charitas.
Pater Noſt. Ave Maria.
O ſalvator ſumme bonus ,
Ad parcendũ mire pronus ,
Heu

Heu quid ita laniatus,
Cur flagellis ſic aratus
Cruce pendes horrida?
Ecce Latus Salvatoris,
In quo latet vis amoris,
Vnda manans & cruore,
Sacro beat nos liquore;
Corde rigans arida.
Ecce latus quod palpavit,
Fide Thomas dum nutavit.
Eja nobis hic jucunda
Porta patet ad fœcunda
Salvatoris paſcua.
Huc anhelans appropinquo;
Qui in multis, heu, delinquo,
Sed qua miſer auſim fronte,
Si non ipſe boni fonte
Traherer ad ardua?
O fons dulcis ſuper vinum,
Virus pellens ſerpentinum!
Qui ſititis huc venite,
Et gaudentes hinc haurite;
Dum fons Vitæ ſcaturit.
Plaga rubens aperire;
Fac cor meum Te ſentire:
O ſi detur introire,
Quid tunc amplius ſitire
De terrenis poterit?
O quam dulcis ſapor iſte,
Quo guſtaris Ieſu Chriſte!
Hoc imbuta mens ſapore,
Mirum ſi non ex amore
Carnis rumpit vincula.

Tuum Latus en contingo,
Et ardenter ad me ſtringo.
Iuxta te me, Ieſu, pone;
Nam ſic luctans cum Dracone
Non timebo jacula.
In hac foſſa me reconde;
Induc meum cor profunde;
Vbi degens convaleſcam,
Et in pace requieſcam
Vi ſecurus hoſtium.
Hora mortis fac reatus
Expers, tuum petam latus,
Cui jungar cum Beatis;
Nec involvar præparatis
Laqueis venantium.

DECAS V.

Feria V. Ad PECTVS.

SAlve Ieſu, *Dux Sanctorum*,
Mundi Lux, *Rex Angelorum*,
Via, *Vita*, *Veritas*.
Pax & Salus Filiorum,
Tua quos, *ô* Vir Dolorum,
Gignit Mors & Charitas.
Pater Noſt. Ave Maria.
O Lux Mundi Chriſte Deus,
Cœli decus, Amor meus,
Pulſo Pectus venerandum;
O ſi pandas ad intrandum
Vitæ domicilium!

Sum-

Summæ thronus hic virtu-
tis,
Forma latens ſervitutis.
Hic voluptas Beatorum;
Hic ſolamen afflictorum,
Inopum refugium.
Eja Chriſte tuum Pectus
Meos trahat hinc affectus;
O ſi vagos comprehendat;
Et algentes mox ſuccendat
Tui flamma pectoris!
Pectus mihi præſta mun-
dum,
Pium, gaudens, & jucun-
dum,
Forte, conſtans, & beni-
gnum;
Vides quam nil cœlo di-
gnum
Mole queam Corporis.
Pectus Cœli ſtillans rore
Dulci trahit nos odore.
En hoc noſtrum cœlo ſatũ,
Sed terrenis inquinatum,
Tu de Cœlis imbue.
Splendor Patris & figura,
Dare gaudens ex natura;
Deſolatis & egenis,
Bonitatis unda plenis
Cataractis influe.
O prædulce Ieſu pectus,
Tuo fiam dono rectus.
Vt immunis à peccatis,
Vt tranſcendam charitatis
Carnis deſideria.

En abyſſus hic Sophiæ,
De qua vena mentis piæ
In Dilectum quondam flu-
xit,
Dũ recumbens illinc ſuxit
Abdita myſteria.
Hic theſaurus bonitatis,
Arca vivens Deitatis;
Officina charitatis,
Et totius Trinitatis
Nobile Triclinium.
Eja ſanctum Dei Templum
Vitæ norma, Lux, Exem-
plum,
O totius Auctor boni,
Fac Electis nos apponi,
In terra viventium.

DECAS VI.

Feria VI. Ad COR.

SAlve Ieſu, *Dux Sancto-
rum*,
Mundi Lux, *Rex Angelorum*,
Via, *Vita*, *Veritas*.
Pax & Salus Filiorum,
Tua quos, ô Vir Dolorum,
Gignit Mors & Charitas.

Pater Noſter. Ave Maria.

O divinum Cor aveto,
Te ſaluto corde læto.
Te complecti me delectat:
Iſtud unum quod affectat
Cor ad Deum ſitiens.

O qui

O quis amor Cor urebat!
Quis te zelus tunc urgebat!
Cum te prorſus exhaurires,
Vt te nobis impartires,
O fons indeficiens!
O mors dira, mors amara!
Vah immitis, & avara:
Quæ nec Ieſum præteriſti;
Quin hunc telo feris triſti,
Rumpens Cor dulciſſimum.
O per mortem quam tuliſti,
Et cor fodi permiſiſti;
Meum, precor, Intellectum,
Redde ſimul & Affectum
Cordi tuo conſonum.
In medullam cordis mei,
(O fac ſummæ dator ſpei)
Tuus amor inferatur;
Meus in Te transferatur,
His caducis altior.
Quiſquis amat, ſed ſincere,
Hoc quod loquor, ſentit vere:
Nullus modus eſt Amori:
Pro Dilecto cogit mori:
Amor morte fortior.
Amans vivit per amorem,
Neſcit moras, vincit moré.
Quidquid jubet Prædilectus,
Promptus capit hoc affectus,
Nulli cedens aſpero.
Sit hæc prima mihi cura,
Vt Te mente quæram pura.
O quam vere tunc lætabor,
O quam felix gloriabor;
Ieſum cum poſſedero!
Pande cordis tui ſinum;
Scis queis meum ſit vicinum.
En, mi Ieſu, cor paratum,
Cape, ne vis Poteſtatum,
Caro, Mundus rapiat.
Huc anhelat, huc movetur,
Vbi cubet, & moretur.
Nil præ Ieſu lubet ſcire;
Nec terrenum quid ambire,
Vt te ſolum ſapiat.

DECAS VII.

Sabbato, Ad CAPVT.

SAlve Ieſu, *Dux Sanctorum*,
Mundi Lux, *Rex Angelorum*;
Via, Vita, Veritas:
Pax & Salus Filiorum,
Tua quos, *ô* Vir Dolorum,
Gignit Mors & Charitas.

Pater Noſt. *Ave Maria.*

Caput ſpinis coronatum
Totum languet cruentatum;
Pugnis livet conquaſſatum,

Sputis horret deformatum.
O Cœlorum gloria!
Ieſus forma ſpecioſus;
At malignis ſic exoſus;
Ah quem præfert nunc horrorem;
Cujus ſpectans in decorem
Cœli gaudet curia!
Priſcus vigor, flos & viror
Quo receſſit, Ieſu, miror.
Vt lux ſolis in defectu,
Sic appares in aſpectu,
Nec eſt tibi ſpecies.
O mi Ieſu ſic affectus,
Pro me vilis & deſpectus;
Cum favoris tui ſigno
Tua, precor, ſit indigno
Clara mihi facies.
Rubent oculi madentes;
Livet os; vacillant dentes;
Genæ diris tument plagis;
Aures dolent vulſæ, magis
Saturæ convitiis.
Hunc ô vultum dulcis Nati
Cerne Pater, & placati
Lucem vultus mox oſtende;
Et à juſtis nos defende
Criminum ſuppliciis.
Ieſu Cœtus Militantis
Caput, atque Triumphantis;
Fac per caput ſic tractatum,
Ne ſim membrum delicatum
Sub ſpinoſo Capite.
Fac ut conſors Paſſionis,
Ejus quoque doner bonis.
Quin per Crucem tecum mori
Præſta Crucis amatori,
In hoc vitæ tramite:
Sed cum portus inſtat mortis,
Sis adjutor, quæſo, fortis.
In ſuprema mortis hora,
Veni Ieſu ſine mora,
Cum ſalutis anchora.
Cum me voles hinc migrare,
Bone Ieſu, dux appare.
Eſto clemens Advocatus;
Nec ut Iudex implacatus
Mea penſes opera.

HYMNVS RHYTHMICVS

In laudem S. Crucis.

LAudes Crucis attollamus,
Nos qui crucis exultamus
Speciali gloria.
Nam per Crucem triumphamus,
Inimicum ſuperamus
Felici victoria.

Dulce

Dulce melos tangat Cœlos,
Dulce lignum, dulci dignum
Credimus melodia.
Voci vita non diſcordet,
Dum vox vitam non remordet,
Dulcis eſt ſymphonia.
Servi Crucis Crucem laudent,
Qui per Crucem ſibi gaudent
Vitæ dari munera.
Dicant omnes, & dicant ſinguli,
Ave ſalus totius ſeculi:
Arbor ſalutifera.
O quam felix, quam præclara
Fulget hæc ſalutis ara,
Rubens Agni Sanguine!
Agni ſine macula,
Qui mundavit ſecula
Ab antiquo crimine.
Hæc eſt ſcala peccatorum,
Per quam Chriſtus Rex Cœlorum,
Ad ſe traxit omnia.
Forma Crucis hoc oſtendit,
Quę terrarum comprehendit
Quatuor confinia.
Nova fulgent Sacramenta,
Sed en typis quod contenta
Crucis ſit religio.
Lignum dulces aquas fecit,
Ligno ſilex aquas jecit,
Moyſis officio.
Nulla ſalus eſt in domo,
Niſi Cruce munit homo
Superliminaria.
Neque ſenſit gladium,
Nec amiſit filium,
Quiſquis egit talia.
Ligna legens in Sarepta,
Spem ſalutis eſt adepta
Pauper muliercula.
Sine lignis fidei,
Nec Lecythus olei,
Valet nec farinula.
In Scripturis ſub figuris
Iſta latent, ſed jam patent
Crucis beneficia.
Reges credunt, hoſtes cedunt
Sola Cruce, Chriſto duce,
Vnus fugat millia.
Iſta ſuos fortiores
Semper facit & victores;
Morbos ſanat & languores,
Reprimit Dæmonia.
Dat captivis libertatem,
Vitæ confert novitatem,
Ad antiquam dignitatem
Crux reducit omnia.
O Crux lignum triumphale
Mundi vera ſalus vale!
Inter ligna nullum tale
Fronde, flore, germine.

Medicina Chriſtiana,
Serva ſanos, ægros ſana,
Quod non valet vis huma-
Tuo fit munimine. (na,
Aſſiſtentes Crucis laudi
Conſecrator Crucis audi,
Eja ſervos tuæ Crucis
Poſt hanc vitam veræ lucis
Transfer ad Palatia.
Quos tormento vis ſervire,
Fac tormenta non ſentire.
Sed cum dies inſtat iræ.
Fac nos clemens introire
Ad æterna gaudia.

HYMNVS RHYTMICVS,

repræſentans æterno Patri Vitam, Paſſionem, ac merita Chriſti.

Protector noſter aſpice Deus, & reſpice in faciem Chriſti *tui.* Pſalmo 83.

PAter ſummæ Majeſtatis,
Recordare Charitatis,
Qua das mundo Filium.
Recordare Pietatis,
Qua de Throno Deitatis
Intrat hoc Exilium.
Recordare Ieſu Chriſti,
Cur quem Parem genuiſti
Forma ſervi naſcitur?
Recordare, quod Salvator
Legi parens ut peccator,
Carne circumciditur.
Recordare, quia natus
Et in fœno reclinatus
Per tres Magos colitur.
Recordare Simeonis,
Per quem Matri Paſſionis
Gladius exponitur.
Recordare, quia Deum
Ad perdendum velut reum
Herodes perſequitur.
Recordare cruciatus,
Queis à Matre carus Natus
Et à Ioſeph quæritur.
Recordare Pater mitis
Æſtus, gelu, famis, ſitis,
Quibus ſæpe quatitur.
Recordare, quia laſſus,
Ventos, imbres, dura paſſus
Circumquaque graditur.
Recordare, quod laborans,
Docens, ſanans, nec non orans
Tædio non frangitur.

PARS II.

REcordare, cur Magiſter
Pedes ſuis, ut miniſter
Humi ſtratus abluit.
Recordare Pietatis,
Et quo zelo Charitatis
Cibum ſeſe præbuit.

Recor-

Recordare, quo mœrore,
Quo pavore, quo dolore,
Orans horto ſtringitur.
Recordare, quia poris
Reſolutis, vi tremoris
Sanguine perfunditur.
Recordare, quo tumultu,
Quibus dolis, quali vultu,
Mitis Agnus capitur.
Recordare, quia vinctus,
Et latronis inſtar cinctus
A miniſtris trahitur.
Recordare, quia tuſus,
Laceratus & illuſus
Humi dure ſternitur.
Recordare, quia Ieſus
Stans velatus, palmis cæſus
Prophetare cogitur.
Recordare, qua corona
Cuncta comprehendens dona
Sanctum caput cingitur.
Recordare, quod exutus,
Flagellatus & conſputus,
Purpura contegitur.
Recordare quam modeſte
Vadit alba cinctus veſte;
Sed à cunctis ſpernitur.
Recordare, quia gratis
Accuſatus, ab ingratis
Tandem morti traditur.
Recordare, quia juſtus
Condemnatur; & injuſtus
Barrabas dimittitur.

PARS III.

Recordare, quale pondus
Crucis portat, quia mundus
Mole culpæ premitur.
Recordare, quia Cruci
Per iniquos ira truci
Innocens affigitur.
Recordare, quia vermis,
Et non homo tam inermis,
In altum erigitur.
Recordare, quod invictus
Victor tanquam maledictus
Sic pendere cernitur.
Recordare, quali zelo,
Natus à te miſſus Cœlo
Tot indigna patitur.
Recordare, quanto luctu,
Viſo ventris ſui fructu,
Pia Mater angitur.
Recordare, quo ſermone
Mira Chriſti pro Latrone
Pietas exprimitur.
Recordare, potum fellis
Et aceti, quod tenellis
Labiis apponitur.
Recordare, quo pavore
Eli clamans in dolore,
Se relictum queritur.
Recordare, quem tremorem
Terra præfert, Sol horrorẽ,
Dum Lux Mundi moritur.

Recordare, quo livore
Manat unda cum cruore,
Dum cor Nati foditur.
Recordare, quo mucrone,
Charæ prolis in agone
Pectus Matris ſcinditur.
Recordare, per quem planctum
Corpus ejus ſacroſanctum
Cruce mox deponitur.
Recordare, quo conductu,
Quanto fletu, quali luctu
Sepulturæ traditur.
Recordare, precor, Nati.
Cur volebas tot hunc pati,
Pœnas & opprobria?
Recordare, quo Majeſtas,
Quo par Tibi ſe Poteſtas,
Quo demiſit Gloria.
O quæ traxit vis Amoris,
Vt portaret tot doloris
Innocens ſupplicia!
Vere ſummæ Pietatis,
Et immenſæ Charitatis,
Iſthæc ſunt indicia.
In hac ergo tam fœcunda
Charitate, nos emunda
Vitiorum ſordibus.
O fac Chriſti cicatrices
Charitatis dent radices
Noſtris fixas cordibus.
Amen.

AD SEPTEM EFFVSIONES

Sacratiſſimi Sanguinis Ieſu Chriſti, contra ſeptem peccata Capitalia.

I. IN CIRCVMCISIONE.

Contra Luxuriam.

AVe Ieſu, qui cruorem
Tener fundis, & laborem
Subis ab infantia.
Vt ſervemur à peccatis,
Cor, os, ſenſus puritatis
Fac ornari gratia,

II. IN AGONIA.

Contra Superbiam.

AVe Ieſu, quo ſudore
Mades orans, quo pavore
Noſtra luis vitia!
Fac non altum ſapiamus;
Sed & caſum timeamus
Iunctum cum *Superbia.*

III. IN FLAGELLATIONE.

Contra Iram.

AVe Ieſu, laniatus
Diris flagris, nil turbatus,
Stas perfuſus Sanguine.

O fac

O fac nobis Crux dulceſcat,
Vincens *Iram* mens miteſcat,
Tetro vacans crimine.

IV. IN CORONATIONE.

Contra Gulam.

AVe Ieſu, Coronatus,
Heu quam larga purpuratus
Stas cruoris copia!
Trahat ſurſum ſpiritalis
Nos voluptas, non carnalis
Ventris ad obſequia.

V. IN VESTIVM Detractione.

Contra Avaritiam.

AVe Ieſu, dum nudaris,
Refricatis cruentaris
Graviter vulneribus,
Chriſte tibi, fac, jungamur,
Nudi nudum te ſequamur
Liberis affectibus.

VI. IN CRVCIFIXIONE.

Contra Acediam.

AVe Ieſu, qui transfoſſis
Cruce membris, plenis foſſis
Sacrum fundis Sanguinem.
Ardor tui fac Amoris
Vrat nos, & vi fervoris
Arceat torpedinem.

VII. IN CORDIS Apertione.

Contra Invidiam.

AVe Ieſu, qui ſacratum
Cor das nobis, dilatatum
Fontem pandens gratiæ.
Aqua lavet, Sanguis ornet,
Et nos duplex Amor formet
Neſcios *Invidiæ.*

S. AVGVSTINVS.

Inſpice Vulnera Pendentis; Sanguinem Morientis; Pretium Redimentis; Caput habet inclinatum ad oſculandum; Cor apertum ad diligendum; Brachia extenſa ad amplectendum; totum Corpus expoſitum ad redimendum. Hæc quanta ſint cogita: Hæc in ſtatera cordis appende, ut totus tibi figatur in corde, qui totus pro te fixus fuit in Cruce.

SALVTATIONES,

Ad quinque Chriſti Vulnera.

Vna cum petitione præcipuarum Virtutum.

Ad vulnus dextri Pedis.

Pro Humilitate.

SAlve vulnus gratioſum
Chriſti fluens ſangui-
ne.
Cor da mihi fructuoſum,
Vacans omni crimine.
Simplex, *Humile*, zeloſum,
Imo gaudens ordine.
Pater. Ave.

Ad vulnus ſiniſtri Pedis.

Pro Caſtitate.

SAlve plaga peramœna,
Profluens ſolatio.
Per te fiat in me plena
Carnis caſtigatio.
Caſto tibi mens ſerena
Iungat ſe conſortio.
Pater. Ave.

Ad vulnus Dexteræ.

Pro Obedientia.

Salve, rubens ex cruore
Ieſu, plaga Dexteræ.
O fac tua cum fervore
Iuſſa quæram propere:
Geram corde, promam ore,
Præſtem promptus ope-
re.
Pater. Ave.

Ad vulnus Siniſtræ.

Pro Manſuetudine.

SAlve Levæ Vulnus Chri-
ſti
Sanguine purpureum.
Fac me quovis caſu triſti
Mitem & pacificum;
Cunctis, quos Tu redemiſti,
Lenem ac benevolum.
Pater. Ave.

Ad vulnus Cordis.

Pro Charitate.

SAlve ſciſſum cum dolore
Ieſu cor dulciſſimum.
Nobis patens ex amore,
Præſta cordis gaudium;
Det virtutum cum ſplen-
dore
Charitas incendium.
Pater. Ave.

DE SEPTEM VERBIS

à Chriſto in Cruce prolatis.

I. Verbum.

AVe Ieſu, qui mactaris,
Sed tortorum, depre-
caris
Patrem, culpæ parcere.
Prompte fac nos indulgere,
Nec vindictam exercere
Corde, verbis, opere.

II. Ver-

II. Verbum.

Ave Ieſu, qui Latroni
Pœnitenti ſummi Boni
Promiſiſti gratiam.
Tali nos contritione,
Nunc & mortis in agone
Fac mereri veniam.

III. Verbum.

Ave Ieſu, qui præſentem
Cruci Matrem, heu, dolentem
Commendas Diſcipulo.
Pari nos tuere cura;
Per te conſtet mens ſecura
Quovis in periculo.

IV. Verbum.

Ave Ieſu, qui dixiſti,
Pater quid me reliquiſti
Tantis in ſuppliciis?
Ne nos linquas ut ruamus,
Semper tecum perſiſtamus
Fortes in anguſtiis.

V. Verbum.

Ave Ieſu, qui teſtaris
Sitim, ſed, heu, qui potaris,
Tu qui paſcis omnia!
Fac æterna nos ſitire:
Mundi, Carnis faſtidire
Fugitiva gaudia.

VI. Verbum.

Ave Ieſu, conſummaſti
Iuſſa Patris, & donaſti
Tua nobis merita.
Bene fac nos inchoare,
Sed & plene conſummare
Tua beneplacita.

VII. Verbum.

Ave Ieſu, qui ſermonem
Morte claudens, & agonem,
Patri tradis animam.
O mors tua nos emundet,
Vitam bonis fac fœcundet,
Mortem det tutiſſimam.

CAP. V.

Orationes variæ de Paſſione Domini,

ORATIO PIISSIMA,

Ante imaginem Crucifixi dicenda.

Ex Precib. German. P. Caniſii.

O Ieſu Chriſte, Rex Cœli & terræ, ſuaviſſime Salvator ac Redemptor noſter; Adoro ac benedico te; quia

quia me, ac mundum univerſum per ſanctam Crucem tuam tam mirabiliter, ac care redemiſti. O quam excellentem, pretioſam, ac efficacem Hoſtiam pro nobis in Ara crucis immolaſti! O quantum laboraſti; quantopere coarctatus es, donec Sacrificium, quod cœperas, perficeres! Per Lignum Satanas nos olim ſeduxit, ac perdidit. Sed per Lignum tu rurſus inimicum viciſti; nos clementer redemiſti, & ſalutem nobis æternam acquiſiſti.

O pretioſum lignum! ô efficax ſignum! ô glorioſum, & omni veneratione dignum myſterium! ô arbor excellens, quæ fructum vitæ produxit!

Sed, heu, amantiſſime Ieſu, quo labore, qua laſſitudine grave illud pondus Crucis longa, difficili, & ardua via, ad montem uſque Calvariæ bajulaſti humeris tuis! quo dolore, & cruciatu ſanctiſſimæ manus ac pedes tui clavis perforati, ac cruci affixi ſunt! Quam crudeliter paſſus es in ea diſtendi corpus tuum, ita ut diſſolverentur juncturæ ac compages membrorum tuorum, & dinumerari poſſent omnia oſſa tua! Et quare hæc omnia, niſi ut deleres, quod adverſus nos erat, chirographum decreti, & ipſum tolleres de medio, affigens illud cruci? Vt inquam, innoxio ſanguine tuo dilueres culpas noſtras, & ſententiam damnationis in nos latam aboleres; adeoque reconciliares omnia, pacificans per ſanguinem Crucis, ſive quæ in terris ſunt, ſive quæ in cœlis. *Coloſſ.* 1.

Proinde ô dulciſſime Salvator, Ieſu Chriſte, fideliſſime Paſtor Animæ meæ, ſuſcipe me indignam creaturam, ac errabundam oviculam tuam. Pande mihi Cor ac Vulnera tua, ut in illis una cum miſeriis & iniquitatibus meis abſcondar, protegar, ac purger. Crucifige in me carnem meam cum vitiis & concupiſcentiis. Extingue omnem ſuperbiam, vanitatem, & omnes affectus pravos evelle. Spiritum quoque rectum innova in viſceribus meis. Excita in me voluntatem ſeriam ac efficacem

ad omne opus bonum, ac ſincerum tui ſolius amorem; indefeſſum cultum, & perpetuum obſequium: Vt abſit mihi gloriari, niſi in Cruce Domini mei Ieſu Chriſti; per quem mihi mundus crucifixus ſit, & ego mundo: dixiſti, cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum; Ecce trahe me poſt te; ut nihil ſit, quod in æternum me ſeparare poſſit à te, qui Crucem aſcendiſti pro me, nec ab ea deſcendiſti, niſi plene conſummaſſes opus ſalutis meæ. Amen.

Breves & nervoſæ ORATIONES

Ad Chriſtum patientem.

O Ieſu Chriſte, unice Salvator meus, ne pereat quæſo, aut fructu ſuo fruſtretur in me miſero acerbiſſima Paſſio & mors tua. Per omnem ignominiam tuam, & amariſſimam mortem tuam, & vulneratum cor tuum largire mihi gratiam, nunc & in hora mortis meæ. Amen.

II. O Crucifixe Ieſu Chriſte, Salvator mundi, omnes dolores tuos, & pretioſum Sanguinem, ac mortem tuam, & omnes miſerationes tuas pone inter ſtrictum judicium tuum & miſeram animam meam, Amen.

III. O bone Paſtor Ieſu Chriſte, qui pretioſo Sanguine tuo paſcis & purificas oves tuas. Copioſa effuſio ſanctiſſimi Sanguinis tui, & omnis paſſio tua ſit mihi, & omnibus peccatoribus in ſolatium & ſalutem. Amen.

IV. O innocens Agne Dei, qui per Crucem & mortem tuam, tollis peccata mundi. Per innocentiam tuam, per cruciatus, pœnas & anguſtias cordis tui in Cruce perpeſſas, parce mihi in die tremendi judicii tui, & miſerere vivis & mortuis. Amen.

V. O Fili obediens Deo Patri, qui calicem horrendæ paſſionis tam prompte & alacriter hauſiſti, felle quoque & aceto in ſiti tua potatus es. Per omnia duriſſima tormenta, ac vulnera, fac ut ſim manſuetus & patiens;

tiens;& Æterno Patri uſque ad mortem obediens. Amen.

VI. O Ieſu ſumme ſacerdos, qui obtuliſti Deo Patri oblationem mundam; & ad reconciliandos Deo peccatores prorſus efficacem, Per infinita merita vitæ, Paſſionis, ac mortis tuæ, fac ut mundo moriar, & tibi ſoli vivam; & demum hinc in pace dimittar. Amen.

VII. O Ieſu Nazarene, Rex Iudæorum, per victoriam ac triumphum quem contra hoſtes tuos noſtroſque in Cruce retuliſti. Serva me ab hoſtibus meis. Corpus & animam meam ab omni periculo tuere. Eccleſiæ tuæ largire pacem & concordiam; defunctis veniam & requiem: Peccatoribus pœnitentiam & indulgentiam; Omnibus gratiam & miſericordiam. Amen.

S. GREGORII

de Paſſione Domini breves precationes.

I. O Domine Ieſu Chriſte, adoro te in Cruce pendentem, coronam ſpineam in capite portantem. Deprecor te, ut tua Crux liberet me ab Angelo percutiente, Amen. *Pater. Ave.*

2. O Domine Ieſu Chriſte, adoro te in cruce vulneratum, felle & aceto potatum. Deprecor te, ut vulnera tua ſint remedium animæ meæ. *Pater. Ave.*

3. O Domine Ieſu Chriſte, rogo te per illam amaritudinem Paſſionis tuæ, quam in hora mortis ſuſtinuiſti, maxime tunc, quando anima ſanctiſſima de benedicto tuo corpore eſt egreſſa. Miſerere animæ meæ in egreſſu ſuo de corpore meo, & perduc eam in vitam æternam, Amen. *Pater. Ave.*

4. O Domine Ieſu Chriſte, adoro te in ſepulchro poſitum, myrrha & aromatibus conditum. Deprecor te, ut tua mors ſit vita mea, Amen. *Pater. Ave.*

5. O Domine Ieſu Chriſte, adoro te deſcendentem ad inferos, & tuos inde liberantem captivos. Deprecor

te, ut

te, ut illuc nunquam me patiaris introire, Amen. *Pater. Ave.*

6. O Domine Ieſu Chriſte, adoro te à morte reſurgentem, & in cœlum aſcendentem, ſedentemque ad dexteram Patris. Deprecor te, ut illuc te ſequi, & tibi præſentari merear, Amen. *Pater. Ave.*

7. O Domine Ieſu Chriſte, Paſtor bone, juſtos conſerva, peccatores juſtifica, omnibus fidelibus miſerere; & propitius eſto mihi miſero & indigno peccatori, Amen. *Pater. Ave.*

Precatio.

OBſecro te Domine Ieſu Chriſte, ut paſſio tua ſit virtus mea, qua muniar, protegar & defendar. Vulnera tua ſint mihi cibus & potus, quibus paſcar, inebrier & delecter. Aſperſio Sanguinis tui ſit omnium peccatorum meorum ablutio. Mors tua ſit mihi gloria ſempiterna. In his ſit mihi refectio, exultatio, ſanitas, ſtudium, gaudium, deſiderium corporis & animæ, nunc & in perpetuum, Amen.

Alia precatio.

DOmine Ieſu Chriſte, Fili Dei vivi, pone Paſſionem, Crucem, & Mortem tuam inter judicium tuum & animam meam, nunc & in hora mortis meæ.

Largiri mihi digneris gratiam & miſericordiam, vivis veniam, defunctis requiem, Eccleſiæ tuæ pacem, cunctiſque peccatoribus vitam & gloriam ſempiternam, Qui vivis & regnas.

ORATIONES S. Birgittæ.

De Paſſione Chriſti longe devotiſſimæ.

Oratio I.

O Ieſu Chriſte, æterna dulcedo te amantium, jubilus excedens omne gaudium & omne deſiderium, ſalus

ſalus & amator peccatorum, qui delicias tuas teſtatus es eſſe cum Filiis hominum, propter hominem homo factus in fine temporum: memento omnis præmeditationis & intimi mœroris, quem in humano corpore ſuſtinuiſti, inſtante ſaluberrimæ Paſſionis tuæ tempore in divino corde præordinato.

Memento triſtitiæ & amaritudinis, quam in anima, teipſo teſtante, habuiſti, quando id ultima cœna Diſcipulis tuis Corpus & Sanguinem tuum tradidiſti, pedes eorum laviſti, & dulciter eos conſolando imminentem Paſſionem prædixiſti.

Memento omnis timoris, anguſtiæ & doloris, quem in tuo corpore delicato ante Paſſionem crucis tuæ pertuliſti, quando poſt trinam orationem & ſanguineum ſudorem à Iuda diſcipulo tuo tradebaris, ab electa gente capiebaris, à falſis teſtibus accuſabaris, à tribus judicibus injuſte judicabaris, in electa civitate, in Paſchali tempore, in florida corporis juventute innocenter damnabaris, veſte propria exuebaris, & veſtibus alienis induebaris, colaphizabaris, oculis & facie velabaris, alapis cædebaris, ad columnam ligabaris, flagellabaris, ſpinis coronabaris, arundine in capite feriebaris, & innumerabilibus aliis calumniis lacerabaris.

Da Domine Deus mihi quæſo ob memoriam harum ante crucis tuæ Paſſionem veram ante mortem meam Contritionem, puram Confeſſionem dignam ſatisfactionem, ac omnium peccatorum meorum remiſſionem. Amen. *Pater noſter. Ave Maria.*

Oratio II.

O Ieſu mundi fabricator, quem nulla dimenſio vero termino metitur, qui terram palmo concludis, recordare amariſſimi doloris, quem ſuſtinebas, cum Iudæi ſanctiſſimas manus tuas ad crucem obtuſis clavis primo affixerunt, & ad perforandum delicatiſſimos pedes tuos,

cum non eſſes conveniens voluntati eorum, dolorem ſuper dolorem vulneribus tuis addiderunt, & ſic crudeliter te diſtraxerunt, & extenderunt in longum & latum crucis tuæ, ut diſſolverentur compages membrorum tuorum.

Deprecor te per hujuſmodi ſacratiſſimi & amariſſimi in cruce doloris memoriam, ut des mihi timorem & amorem tuum, Amen. *Pater noſter. Ave Maria.*

Oratio III.

O Ieſu cœleſtis medice, recordare languoris, livoris, & doloris, quos in alto crucis patibulo levatus, paſſus es in omnibus dilaceratis membris tuis, quorum nullum in ſuo ſtatu recte permanſerat, ita ut nullus dolor ſimilis tuo dolori inveniretur, quia à planta pedis uſque ad verticem capitis in te non fuit ſanitas, & tamen omnium dolorum immemor, Patrem pro inimicis pie exoraſti, dicens: Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt.

Per hanc miſericordiam, & ob memoriam illius doloris, concede, ut hæc memoria Paſſionis tuæ amariſſimæ ſit omnium peccatorum meorum plena remiſſio, Amen. *Pater noſter. Ave Maria.*

Oratio IV.

O Ieſu vera libertas Angelorum, paradiſus deliciarum, memento mœroris & horroris, quos ſuſtinebas, cum omnes inimici tui quaſi leones ferociſſimi te circumſteterunt & colaphizationibus, conſpuitionibus, ungulationibus, cæteriſque pœnis inauditis te moleſtaverunt.

Per has pœnas, & per omnia contumelioſa verba, duriſſimaque tormenta, quibus te Domine Ieſu Chriſte omnes inimici afflixerunt, deprecor te ut liberes me ab omnibus inimicis meis viſibilibus, & dones me ſub umbra

bra alarum tuarum ad perfectionem ſalutis æternæ pervenire, Amen. *Pater noſter. Ave Maria.*

Oratio V.

O Ieſu ſpeculum charitatis æternæ, memento illius mœroris, quem habuiſti, quando in ſpeculo ſereniſſimæ majeſtatis tuæ conſpexiſti prædeſtinationem electorum per merita tuæ Paſſionis ſalvandorum, & reprobationem malorum per ſua demerita damnandorum, & per abyſſum miſerationis tuæ, qua nobis perditis peccatoribus & deſperatis tunc condoluiſti, & quam latroni in cruce exhibuiſti, dicens: Hodie mecum eris in Paradiſo. Rogo te Ieſu facias mecum miſericordiam in hora mortis meæ, Amen. *Pater noſter. Ave Maria.*

Oratio VI.

O Rex amabilis & amice totus deſiderabilis, memento illius mœroris, quem habuiſti, quando nudus & miſerabilis in cruce pependiſti, & omnes amici & noti tui adverſus te ſteterunt, & nullum conſolantem inveniebas, niſi ſolam dilectam Genitricem tuam in amaritudine animæ ſuæ tibi fideliſſime aſtantem, quam Diſcipulo tuo commendaſti, dicens; Mulier, ecce filius tuus.

Rogo te piiſſime Ieſu per gladium doloris, qui tunc ejus animam pertranſivit, ut compatiaris mihi in omnibus tribulationibus & afflictionibus meis corporalibus & ſpiritualibus, & da mihi conſolationem in tempore tribulationis, & in hora mortis meæ, Amen. *Pater noſter. Ave Maria.*

Oratio VII.

O Ieſu fons inexhauſtæ pietatis, qui ex intimo affectu in cruce dixiſti: Sitio; ſcilicet ſalutem generis humani, accende quæſo cordium noſtrorum deſideria ad omne

omne opus perfectum, & ſitim carnalis concupiſcentiæ, æſtum mundanæ delectationis in nobis penitus refrigera & extingue. Amen. *Pater. Ave.*

Oratio VIII.

O Ieſu dulcedo cordium, ingenſque ſuavitas mentium, per amaritudinem aceti & fellis, quam pro nobis deguſtaſti, in hora mortis noſtræ concede nobis corpus & ſanguinem tuum digne percipere ad remedium & conſolationem animarum noſtrarum. Amen. *Pater. Ave.*

Oratio IX.

O Ieſu regalis virtus, jubiluſque mentalis, memento anguſtiæ & doloris quem paſſus es, quando præ mortis amaritudine & Iudæorum inſultatione cum magna voce te à Deo Patre derelictum clamaſti, dicens: Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquiſti? Per hanc anguſtiam peto à te, ut in anguſtiis noſtris non derelinquas nos Domine Deus noſter, Amen. *Pater noſter. Ave Maria.*

Oratio X.

O Ieſu, alpha & omega, vita & virtus in omni tempore, recordare, quod à ſummo capite uſque ad plantam pedis te pro nobis in aqua Paſſionis tuæ demerſiſti.

Propter latitudinem & longitudinem vulnerum tuorum, doce me, per veram charitatem cuſtodire latum mandatum tuum, nimis peccatis demerſum, Amen. *Pater. Ave.*

Oratio XI.

O Ieſu abyſſus profundiſſima miſericordiæ, rogo te propter profunditatem vulnerum tuorum, quæ

pertranſierunt medullam oſſium & viſcerum tuorum, ut me ſubmerſum in peccatis emergas, abſcondaſque me in foraminibus vulnerum tuorum à facie iræ tuæ, donec pertranſeat furor tuus Domine. Amen. *Pater noſter. Ave Maria.*

Oratio XII.

O Ieſu veritatis ſpeculum, ſignum unitatis, charitatiſque vinculum, memento multitudinis innumerabilium vulnerum tuorum, quibus à ſummo capitis uſque ad imum pedis vulneratus fuiſti, & SS. Sanguine tuo rubricatus, quam magnitudinem doloris in virginea carne tua pertuliſti pro nobis! Pie Ieſu quid ultra debuiſti facere & non feciſti?

Scribe quæſo, ô pie Ieſu, omnia vulnera tua in corde meo, pretioſiſſimo Sanguine tuo, ut in illis legam dolorem tuum & mortem, ut in gratiarum actione uſque in finem jugiter perſeverem, Amen. *Pater. Ave.*

Oratio XIII.

O Ieſu leo fortiſſime, Rex immortalis & inviĉtiſſime, memento doloris, quem paſſus es, cum omnes vires cordis & corporis tui tibi penitus defecerunt, & inclinato capite dixiſti: Conſummatum eſt.

Per hanc anguſtiam & dolorem miſerere mei in ultima conſummatione exitus mei, cum anima mea anxiata fuerit, & ſpiritus meus conturbatus. Amen. *Pater noſter. Ave Maria.*

Oratio XIV.

O Ieſu unigenite altiſſimi Patris, ſplendor & figura ſubſtantiæ ejus, memento obnixæ commendationis, qua Patri ſpiritum tuum commendaſti, dicens: In manus tuas, Domine, commendo ſpiritum meum. Et lacerato corpore, rupto corde, cum valido clamore, pate-

patefactis viſceribus miſericordiæ tuæ pro nobis redimendis, expiraſti.

Per hanc pretioſiſſimam mortem precor te Rex Sanctorum, conforta me ad reſiſtendum diabolo, mundo, carni & ſanguini, ut mundo mortuus tibi vivam, & in noviſſima hora exitus mei ſuſcipe ad te revertentem ſpiritum meum exulem & peregrinum. Amen. *Pater noſter. Ave Maria.*

Oratio XV.

O Ieſu vitis vera & fœcunda, memento ſupereffluentis & abundantis effuſionis Sanguinis tui, quem tu ſicut de botro expreſſum copioſiſſime effudiſti, quando in cruce torcular ſolus calcaſti, & lancea militari perfoſſo latere nobis ſanguinem & aquam propinaſti, ita ut nec minima gutta in te remaneret, & demum quaſi myrrhæ faſciculus in altum ſuſpenſus fuiſti, & delicata caro tua evanuit, & liquor viſcerum tuorum exaruit, & medulla oſſium tuorum emarcuit.

Per hanc amariſſimam Paſſionem, & pretioſi Sanguinis effuſionem, pie Ieſu, precor te, ſuſcipe animam meam in agone mortis meæ, Amen. *Pater noſter. Ave Maria.*

C O N C L V S I O.

O Domine Ieſu Chriſte, Fili Dei vivi, ſuſcipe hanc orationem in amore illo ſuperexcellenti, in quo omnia vulnera tui ſanctiſſimi Corporis ſuſtinuiſti, & miſerere mei famuli tui, & omnibus peccatoribus, cunctiſque fidelibus tam vivis quam defunctis da miſericordiam, gratiam, remiſſionem & vitam æternam, Amen.

Oratio de ſingulis articulis Paſſionis.

DEus, qui pro redemptione mundi voluiſti naſci, circumcidi, à Iudæis reprobari, à Iuda traditore oſculo tradi, vinculis alligari, ſicut agnus innocens ad

victimam duci, atque conſpectibus Annæ, Caiphæ, Pilati, & Herodis indecenter offerri, falſis teſtibus accuſari, flagellis & opprobriis vexari, ſputis conſpui, ſpinis coronari, colaphis cædi, arundine percuti, facie velari, veſtibus exui, cruci clavis affigi, in cruce levari, inter latrones deputari, felle & aceto potari, & lancea vulnerari. Tu Domine per has ſanctiſſimas Pœnas tuas, quas ego indignus recolo, & per ſanctam Crucem & mortem tuam, libera me à pœnis inferni: & perducere digneris, quo perduxiſti latronem tecum crucifixum. Qui cum Patre & Spiritu ſancto vivis & regnas in ſæcula ſæculorum, Amen.

Precatio devotiſſima ante Crucem Domini.

BEnigniſſime ac optime Chriſte Ieſu, en me ad te recipio, ad te, ô pie, revertor. Sed rubore ſuffundor, & vehementer pudet, cum tua iſthæc ſpecto Vulnera, cum cerno ſpineam Coronam, teque hæc omnia mea cauſſa perpeſſum cognoſco. Ego ſiquidem, ego ſum, qui iſthæc tam dira inflixi Vulnera: ego Coronam hanc ſpineam in tuum ſacrum Caput impreſſi: ego te in hanc Crucem adegi.

Sed ô quanta tua eſt Charitas? quæ tua clementia & Miſericordia? Peccavi ego,& tu plecteris,debitæque necis pœnam pro me luis. Tuus ipſe hoſtis fui, at tu per Crucem tuam me efficis filium; ſervus fui,at tu Sanguine tuo me liberum aſſeris.

O ſi ſemel conceſſeris, ut Amore tui totus flagrem, tum vero tibi, cui meipſum ac omnia mea debeo, libens hanc etiam Vitam impendam, Amen.

CAP. VI.

EXERCITIA VARIA, ad honorem Sacrorum *quinque Vulnerum*; & ſeptem *Effuſionum Sanguinis* D. N. Ieſu Chriſti.

ROSARIVM D. N. IESV CHRISTI DVPLEX: quod

Vel *ad memoriam* ſeptem effuſionum Sanguinis *Ieſu Chriſti:* Vel *ad honorem* quinque ſacrorum Vulnerum *recitari poteſt.*
Prius Roſarium habet ſeptem Decades:

Modus recitandi hic erit:

Præmiſſo ſymbolo Apoſtol. Credo:

Ad ſingulas Decades *dic ſemel* Orationem Dominicam, *& decies ſequentem* Salutationem, *Variato tantum per quamlibet decadem* myſterio Effuſionis.

AVe dulciſſime Domine Ieſu Chriſte, Gratia plenus: miſericordia tecum. Benedicta ſanctiſſima Vita, Paſſio, & mors tua; & benedictus Sanguis tuus, quem pro nobis effudiſti, *&c.*

Ad ſingulas Salutationes, poſt effudiſti: Adde,

In I *Decade*, In Circumciſione tua.
In II, In Agonia tua.
In III, In Flagellatione tua.
In IV, In ſpinea Coronatione tua.
In V, In Detractione veſtium tuarum.
In VI, In Crucifixione tua.
In VII, In Apertione Lateris tui.

In fine cujuſque Decadis, ſeu ultimæ Salutationis, ſubjunge ſequentem Aſpirationem ad Beatiſſimam V. Mariam:

Sancta Maria, Mater doloroſa, per gladium doloris, qui pertranſivit animam tuam, impetra nobis fructum San-

guinis IESV Chriſti Filii tui, nunc & in hora mortis noſtræ. *Amen.*

Aliis piis affectibus, induſtriis, & intentionibus condiri poſſet recitatio *hujus* Roſarii: *ut nempe ſingulæ Decades dirigantur, vel contra ſingula vitia Capitalia; vel ad ſeptem præcipuas Chriſti Virtutes imitandas, quas paſſim proponunt Caniſius, Coſterus, & alii: v. g. Decas.*

I, *Pro* Chriſti Humilitate.
II, *Pro* Manſuetudine.
III, *Pro* Patientia.
IV, *Pro* Obedientia.
V, *Pro* Benignitate.
VI, *Pro* Charitate.
VII, *Pro* Liberalitate.

Et in hunc quidem finem, per ſingulas Decades initio ſalutationis addi poſſet Epitheton ad hujuſmodi virtutes recolendas conveniens. v. g. Ave Humillime. 2, Manſuetiſſime. 3, Patientiſſime. 4. Obedientiſſime. 5, Benigniſſime. 6, Amantiſſime. 7, Liberaliſſime Domine IESV Chriſte, *&c. Item poteſt recitari hoc Roſarium* pro Septem donis Spiritus Sanct. *Item pro 7* Beneficiis contentis in Oratione Dominica. *Item, quia per Sanguinem Chriſti ſeptem Sacramenta ſuam habent efficaciam; offerri poterit hoc Roſarium ad Salutarem Sacramentorum uſum ſingulis ſuſcipientibus impetrandum. v. g. Decas* I *pro Baptizatis.* II *pro Confirmatis.* III *pro Pœnitentibus.* IV *pro Communicantibus.* V *pro Ordinatis.* VI *pro Conjugatis.* VII *pro Moribundis.*

POSTERIVS ROSARIVM, ad *Sacratiſſima* CHRISTI VVLNERA, *habet quinque* Decades, *ſimili modo decurrendas.*

Porro *ad ſingulas Salutationes, poſt* effudiſti, adde

In I, *Decade, De* Vulnere dextri Pedis tui.
In II, *de* Vulnere ſiniſtri pedis tui.
In III, *de* Vulnere dextræ manus tuæ.

In

In IV, *de* Vulnere ſiniſtræ manus tuæ.
In V, *de* Vulnere Cordis tui.

In fine cujuſque Decadis adde Aſpir. ad B. Virg. Sancta Maria, *&c.* ut ſup.

En facillimum & homini utiliſſimum, Deoque gratiſſimum modum recolendi quotidie Paſſionem D. N. Ieſu Chriſti, cujus Myſteria facile hac methodo revocantur in memoriam.

Septem Gratiarum Actiones,
Ad VII Effuſiones Sanguinis Ieſu Chriſti;
Contra 7 Vitia Capitalia.

I.

O Humillime Domine & Magiſter Ieſu Chriſte, verus Deus & homo. Tibi ſit æterna laus & gratiarum actio, quod in tenella ætate tua, id eſt, octavo die mortalis vitæ tuæ pretioſum & innoxium ſanguinem tuum pro nobis effundere; & ut verus Abrahæ filius doloroſe circumcidi volueris.

Per hanc ſanctiſſimam Effuſionem Sanguinis tui, ſupplico pro gratia Humilitatis adverſus omnem Superbiam, & vanitatem ſæculi. *Pater noſter. Ave Maria.*

II.

O Benevole Pelicane Ieſu Chriſte, verus Deus & homo, Tibi ſit æterna laus, & gratiarum actio, quod in horto ex ingenti cordis anguſtia Sanguineum ſudorem profuderis; eumque cum reſignatione promptiſſima pro nobis moriendi, Patri tuo obtuleris.

Per hanc ſanctiſſimam Effuſionem Sanguinis peto gratiam Liberalitatis, adverſus omnem cupiditatem & avaritiam. *Pater noſter. Ave.*

III.

O Sponſe caſtiſſime Ieſu Chriſte, verus Deus & homo. Tibi ſit æterna laus & gratiarum actio; quod in

prætorio Pilati, te atrociter alligari, & Virgineam carnem tuam crudeliter nimis flagellari ac lacerari paſſus es.

Per hanc ſanctiſſimam Effuſionem Sanguinis rogo te pro gratia Caſtitatis, adverſus omnem Luxuriam & libidinem. *Pater noſter. Ave Maria.*

I V.

O Agne manſuetiſſime, Ieſu Chriſte, verus Deus ac homo. Tibi ſit æterna laus ac gratiarum actio, quod ſpinis acutiſſimis ſanctum caput tuum coronari, ac dura arundine deſuper percuti paſſus es.

Per hanc ſanctiſſimam Effuſionem Sanguinis oro te pro gratia Manſuetudinis adverſus omnem Iram, & vindictæ cupiditatem. *Pater noſter. Ave Maria.*

V.

O Dulciſſime & abſtinentiſſime Hoſpes Ieſu Chriſte, verus Deus ac homo. Tibi ſit æterna laus ac gratiarum actio, pro expoliatione veſtium tuarum, quæ tum ante, tum poſt bajulationem Crucis, non ſine peracerba vulnerum tuorum renovatione ac dilatatione facta eſt.

Per hanc ſanctiſſimam Effuſionem Sanguinis obſecro te pro gratia ſobrietatis & Abſtinentiæ, contra omnem Gulam, & crapulam. *Pater noſter. Ave Maria.*

V I.

O Bone & fideliſſime Samaritane Ieſu Chriſte, verus Deus ac homo: Tibi ſit æterna laus ac gratiarum actio, quod ardentiſſimo amore noſtri, ſanctiſſimas manus ac pedes tuos Ligno Crucis affigi, & pro redemptione noſtra dire perfodi paſſus es.

Per hanc ſanctiſſimam Effuſionem Sanguinis enixe peto gratiam fraternæ Charitatis contra omnem Invidiam & ſimultatem. *Pater. Ave.*

VII. O Ze-

VII.

O Zeloſiſſime ſumme Sacerdos Ieſu Chriſte, verus Deus ac homo: Tibi ſit æterna laus ac gratiarum ꞇ ctio; quod Sacrum latus tuum lancea perforari, aperi- ꞇi, ac vulnerari paſſus es.

Per hanc ſacratiſſimam Effuſionem Sanguinis poſtulo ſupplex à te gratiam ſancti Fervoris ac Zeli, contra om- ıem Acediam, & torporem, in tui ſervitio, omnique pietatis exercitio. *Pater noſter. Ave Maria.*

COMMENDATIO

Sui ipſius in Quinque Vulnera Salvatoris.

I.

BEnigniſſime Ieſu, dulciſſimo Vulneri Pedis tui dex- tri toto cordis affectu offero, quæcunque mihi pro- ſpera & jucunda in hac vita contingere, pio Providentiæ tuæ conſilio diſponis, illaque ſic tuæ divinæ voluntati una mecum unio, ut ab ea nulla prorſus tentatione ſepa- rari aut avelli velim in æternum. *Pater. Ave.*

II.

BEnigniſſime Ieſu, in dulciſſimo Vulnere benedicti Pedis tui ſiniſtri recondo omnes tribulationes, ad- verſitates, anguſtias, & amaritudines, quas Divina Pro- videntia tua totius vitæ meæ decurſu mihi vel immittet, vel evenire permittet; eaſque unio & conjungo amariſ- ſimis doloribus tuis, hoc unum deſiderans, ut momenta- neum & leve tribulationis meæ, æternum gloriæ pon- dus mihi operetur in Cœlis. *Pater. Ave.*

III.

BEnigniſſime Ieſu, in dulciſſimo Vulnere benedictæ Manus tuæ dextræ deinceps repono omnia opera

mea, quæcunque per gratiam tuam facturus ſum; eaque ſic dico ac conſecro honori ac gloriæ tuæ, ut eorum meritum per vanam gloriam corrumpi plane nolim: ſed ut merces integra & copioſa mihi repoſita maneat in Cœlis. *Pater. Ave.*

I V.

BEnigniſſime Ieſu, in dulciſſimum Vulnus ſiniſtræ Manus tuæ immergo omnia vitia, & delicta mea, unice flagitans, ut ea roſeo Sanguine tuo, quem pro ſalute noſtra ex eo profudiſti, ſic aboleas & extinguas, ne coram divino tribunali tuo, me accuſent, & à te juſto judice contra me ſententiam damnationis expoſtulent. Amen. *Pater. Ave.*

V.

BEnigniſſime Ieſu, in amoroſum transfixi cordis tui vulnus reſigno cor meum, cum omnibus ſuis deſideriis, & affectibus; ut illud divino amore tuo ſic imbuas, & trahas, ne poſthac unquam amplius vel minimum recedat à mandatis tuis. Amen. *Pater. Ave.*

EXERCITIVM

Aliud ad Quinque Vulnera.

I.

MItiſſime Ieſu, per ſalutiferum Vulnus dextri Pedis tui, ignoſce mihi, quidquid unquam pravis cogitationibus contra te deliqui: ejuſque infinitis meritis compenſa, quicquid boni cogitare neglexi: ut poſthac te ſolum ſummum bonum meum deſiderem, quæram; & inveniam quem diligit anima mea. Amen. *Pater. Ave.*

I I.

DVlciſſime Ieſu, per benedictum Vulnus ſiniſtri Pedis tui, ignoſce mihi quæſo, quicquid ſenſuum, tam

am internorum, quam externorum abuſu, contra Divi-
ıum beneplacitum tuum perperam geſſi; & ſic poſthac
ræno timoris tui eos coërce, ut quaſi mundo, & omni-
ɔus creaturis mortuus, nihil ſentiam, nihil concupiſcam,
iiſi te ſolum Deum meum pro me Crucifixum. Amen.
Pater. Ave.

III.

DVlciſſime Ieſu, per ſacrum Vulnus dextræ Manus tuæ, humillime ſupplico, ignoſce omnibus malis & vitioſis actibus meis, ſimul etiam ex illius merito, in integrum reſtitue, quidquid culpabili negligentia, in quocunque obligationis genere, per omiſſionem peccavi: & ac, ut per gratiam tuam deinceps, talenta abs te mihi concredita fructuoſius impendam. Amen. *Pater. Ave.*

IV.

DVlciſſime Ieſu, per Vulnus ſiniſtræ Manus tuæ, ignoſce iracundiæ meæ ac ſubitis impatientiæ iræque notibus, in quos ſæpe minima data occaſione nimis præceps & imprudens erumpo; atque ex ejuſdem Vulneris cœleſti Panario, veræ in omnibus adverſis patientiæ renedium mihi ſubminiſtra, ut promiſſam manſuetis poſſidere merear terram viventium. Amen. *Pater. Ave.*

V.

DVlciſſime Ieſu, per ſacrum vulnus perforati Cordis tui, clementer ignoſce, quicquid cor meum voluntate perverſa, aut intentione prava unquam deliquit; & n diviniſſimum Cor tuum ſic inſere fragile cor meum, ut nihil ſentiat, nihil ambiat, nihil concupiſcat, niſi ſecundum cor tuum; & in ejus directione jugiter conquieſcens, in omni bono uſque ad finem vitæ firmiter perſeveret. Amen. *Pater. Ave.*

OBLA-

OBLATIO

Dominicæ Paſſionis, & quinque Vulnerum Salvatoris ad Deum Patrem.

CLementiſſime Pater, æterne Deus, pro meis pariter & totius mundi peccatis, offero tibi, unice dilectum Filium tuum, in Cruce pendentem. Offero tibi ſacratiſſima Vulnera ejus, quæ noſtri cauſſa ſuſcepit. Offero tibi quoque Paſſionem, dolores, anguſtias, preſſuras, ſanguinem & mortem ejus; in flammatiſſima illa charitate, qua pro nobis in Ara Crucis obtulit ſemetipſum; me una cum illo, divino ſervitio tuo mancipans, & in ſempiternum, ad laudem & gloriam tuæ Divinæ majeſtatis obligans, & addicens. Amen.

I.

CLementiſſime Pater, Vulnus & Sanguinem, labores & dolores Dextræ Vnigeniti Filii tui, contra omnem inobedientiam & rebellionem meam offero tibi; impenſiſſime orans, ut ex eo mihi perfectiſſimæ obedientiæ ſpiritum infundas, quo nutum beneplaciti tui, tam prompte exequar, quam cito umbra corporis ſui motum ſequi conſuevit, ut tuam deinceps in omnibus voluntatem amem, quæram, atque perficiam. Amen. *Pater. Ave.*

I I.

CLementiſſime Pater, ſacrum Vulnus, & dolorem Siniſtræ Vnigeniti tui, & ejus profundiſſimam humilitatem offero tibi, contra ſuperbiam, & vanam gloriam, omniaque exinde pullulantia peccata mea, devote obſecrans, ut, hujus vulneris virtute, omnes vanitates animique tumorem in me funditus evellas ac deſtruas, quo vilitatem meam intime cognoſcens, in vera cordis humilitate, per contemptum & ignominiam, tibi valeam ſervire cum gaudio. Amen. *Pater. Ave.*

I I I.

CLementiſſime Pater, Vulnus & Sanguinem; cruciatus ac tormenta dextri Pedis Vnigeniti tui, ejuſque perfectiſſimam patientiam offero tibi, contra puſillanimitatem & impatientiam meam; orans, ut hoc vulnere generoſæ conſtantiæ, invictæque tolerantiæ, des mihi virtutem & gratiam, qua de manu tua quælibet adverſa, & hujus vitæ moleſtias, calamitates & incommoda cum gratiarum actione ſuſcipiam; æquanimiter ſuſtineam; fortiter vincam: & inter quoſcunque caſus & eventus, in tuæ providentiæ brachia me, & omnia mea plena fiducia & reſignatione conjiciam. Amen. *Pater. Ave.*

I V.

CLementiſſime Pater, ſacrum Vulnus ſiniſtri Pedis, Vnigeniti Filii tui, ejuſque piiſſimam miſericordiam offero tibi contra omnem duritiam, inclementiam, & invidiam meam; orans, ut ex hoc Vulnere, tanquam ditiſſimo virtutum omnium ærario, dones mihi affectum miſericordiæ, pietatis, compaſſionis, ac manſuetudinis, cum primis erga eos, qui me forſan offenderunt, & læſerunt; ut eos charitatis viſceribus, in neceſſitate complectar; & in omnibus prompte ſuccurram; eorum quoque defectus ac infirmitates in ſpiritu lenitatis ſupportem. Amen. *Pater. Ave.*

V.

CLementiſſime Pater, roſeum benedicti Cordis & Lateris Vnigeniti Filii tui Vulnus, & ferventiſſimam ejus charitatem, qua te pariter & humanum genus proſecutus eſt; Offero tibi contra omnem Acediam, teporem, ac ſomnolentiam meam in ſervitio tuo commiſſam; rogans obnixiſſime, ut ex hoc abundantiſſimo gratiæ

gratiæ Fonte talem mihi cultus ac honoris tui zelum infundas, quo te ex toto corde diligam, & in omnibus operibus meis Nomen tuum intime ſanctificem ac benedicam; te ſolum cogitem, te ſolum deſiderem, tibi ſoli placere cupiam, ac diſplicere timeam, omnemque vitam meam gloriæ tuæ libens ac gaudens impendam. Amen. *Pater. Ave.*

SVſcipe clementiſſime Pater, hanc oblationem meam in ſacroſancta Ieſu Chriſti Filii tui Vulnera, noſtræ ſalutis diviniſſima remedia, amoris tui monumenta: eamque mihi ex illis largire gratiam, ut ſub illorum præſidio ac munimine vivens ac moriens, tuto ac ſecure deliteſcam; donec eadem, una cum Beatis omnibus, in gloria majeſtatis tuæ jugiter contemplari, & ob ea te laudare merear. Amen. *Pater. Ave.*

Devotæ ſalutationes Vulnerum Salvatoris.

I.

SAlve ſuper omnia benedictum Vulnus dextræ Manus Crucifixi Domini mei Ieſu Chriſti, pro mea & omnium hominum ſalute, roſeo ſtillans cruore; Protege me Dómine, & ſalvum fac dextera tua; ut percutiat inimicum infernalem, nequando dicat: Prævalui adverſus eum, quem tu Sanguine tuo redemiſti. Deducat me mirabiliter dextera tua; ut omnes cogitationes, actus & ſermones mei ſemper rectà tendant & dirigantur ad te, utpote ſcopum & finem meum. Da mihi geſtare ſemper ardentem lampadem, oleo charitatis inſtructam, ut dignus habear, qui tecum ad cœleſtes nuptias intromittar: ut cum ſeculum judicaturus adveneris, ad dexteram tuam conſtitutus, audire merear cum Electis tuis: Venite benedicti Patris mei, percipite Regnum vobis paratum à conſtitutione mundi. Amen. *Pater. Ave.*

II.

II.

SAlve beatificum Vulnus ſiniſtræ Manus Salvatoris mei Domini Ieſu Chriſti, pretioſiſſimo Sanguine purpuratum; O Domine, manu tua forti & brachio excelſo, ad nihilum redige quidquid ſiniſtrum, perverſum, & iniquum moliuntur adverſum me, qui cogitant mihi mala. Comprime vires hoſtium, qui quærunt animam meam. Tuere me, & adeſto mihi, in omnibus tribulationibus, & adverſitatibus meis, & à cunctis malis præteritis, præſentibus, & futuris clementiſſime libera. Eripe me de manu perſequentium me; & ab his qui oderunt me gratis. Dic animæ meæ, ſalus tua ego ſum: Pereant qui me perdere feſtinant; ut de manu inimicorum meorum liberatus, in ſanctitate & juſtitia ſerviam tibi omnibus diebus vitæ meæ. Amen. *Pater. Ave.*

III.

SAlve gratioſum Vulnus dextri Pedis Domini mei Ieſu Chriſti; immaculati Agni, qui tollit peccata mundi, conſperſum ſanguine. Perfice Domine Pedes meos tanquam cervorum, ut indefeſſo curſu per viam mandatorum tuorum incedam: eaque ſemper exquiram, quæ tuæ divinæ placita ſunt voluntati. Dirige greſſus meos in lege tua, & in operibus mandatorum tuorum, ut de virtute in virtutem pergam, donec videam Deum Deorum in Sion. Lucerna pedibus meis ſit verbum tuum, & lumen ſemitis meis, ut etiam proximis lucis exempla præbeam, quo tu Deus meus ante omnia & in omnibus glorificeris nunc & in æternum. Amen. *Pater. Ave.*

IV.

SAlve venerabile, ſiniſtri Pedis, Domini mei Ieſu Chriſti, undique purpureo madefactum ſanguine, vulnus: Evelle Domine Pedes meos à laqueo, quem ſtatuerunt

runt mihi inimici mei. Cuſtodi animam meam à lapſu, ne fiam hoſtibus meis in prædam. Non veniat mihi pes ſuperbiæ; Nec exaltatum ſit cor meum; aut elati oculi mei: ne in mirabilibus ambulem ſuper me: ſed in ſimplicitate cordis mei, coram te incedam omni tempore. Deduc me Domine per ſemitas juſtitiæ; & vias tuas edoce me, ut ſciam quid acceptum ſit coram te omni tempore, & opere compleam univerſa, quæ præcepiſti mihi. Amen. *Pater. Ave.*

V.

SAlve ſaluberrimum Cordis & lateris Domini mei Ieſu Chriſti, militis inflictum crudeli cuſpide Vulnus, copioſo ſanguine & aqua, in noſtrorum ablutionem peccatorum, redundans; Vulnera, quæſo, amoris tui jaculo, cor meum, ut te in omnibus & ſuper omnia colat, revereatur, honoret, & propter te ſolum, proximum quemque Chriſtianæ fraternitatis amore proſequatur. Munda cor meum, puriſſimo ſanguine & aqua ſalutari, ut ab omni labe peccati emundatus, te Deum Salvatorem meum, quem, qui mundo ſunt corde, ſoli videbunt, in omnem æternitatem merear contemplari. Amen. *Pater. Ave.*

AD CHRISTVM,

pro impetranda ſacratiſſimorum ejus Vulnerum devotione.

I.

O Dulciſſime Sanctarum animarum Sponſe Ieſu, accende quæſo cor meum igne Divini amoris tui, & ſalutiferorum vulnerum tuorum, ut diligam te, ex intimo corde; viſita me miſericorditer, & mentem meam gratia tua inebria, quia te fontem ſuavitatis, ardenter expetunt intima mea. O ignis qui ſuaviter ardes, ſecretè luces, potenter incendis, occupa totam mentis

mentis meæ latitudinem; aſſidua ſacratiſſimorum Vulnerum tuorum memoria: ut te pro me paſſum, & vulneratum, ſolum eſuriam, & ſitiam; ad te ſuſpirem, atque anhelem; tuamque mellifluam faciem æſtuanter videre concupiſcam. Amen. *Pater. Ave.*

II.

TRansfige, amabilis Ieſu, medullas animæ meæ, ſuaviter penetrante dilectionis tuæ ſagitta, ut ſaucietur & langueat anima mea intimo tui & Vulnerum tuorum amore; & exinde penitus in dilectionem tui reſoluta, colliqueſcat: in te tota tranſeat: tibique inſeparabiliter adhæreat. Amen. *Pater. Ave.*

III.

SEpara Domine mentem meam, ab omnibus, quæ ſub cœlo ſunt, ut tibi ſoli tuiſque vulneribus, pro mea ſalute ſuſceptis, libere intendat: tu ſolus eam, ut verus poſſeſſor, legitimuſque Dominus inhabites. Deſcendat in eam ſuaviſſimæ paſſionis ac mortis tuæ memoria cum inenarrabili charitatis tuæ fragrantia, quæ puras ac cœleſtes in me exſuſcitet aſpirationes, ac deſideria, ut, ſicut cervus ad fontes aquarum, ita ad te deſideret anima mea. Amen. *Pater. Ave.*

IV.

DA Domine Ieſu, ut flamma devotionis auguſtiſſimorum quinque Vulnerum tuorum efficaciſſime ſuccenſus, ex toto corde meo redamem te: ſicut tu me dilexiſti, diligam te, ô unica ſalus animæ meæ; diligam te quantum poſſum, quia prior dilexiſti me, ut etiam poneres animam tuam pro me, ut per mortem & Vulnera tua vivam in te. Amen. *Pater. Ave.*

V.

O Amabiliſſime, ô delicioſiſſime animarum Sponſe, Ieſu, pro me in Cruce ſacris quinque luculentioribus plagis; veluti tot amoris characteribus inſignite; deſcribe in tabula cordis mei, & indelebiliter imprime dulcem amorem Vulnerum tuorum, nulla unquam oblivione delendum, ut tui deſiderio ſemper æſtuans, igne dilectionis tuæ inardeſcam, & ab Oceano divinæ Benignitatis tuæ penitus abſorbear, uſque dum majeſtatis tuæ & ſacratiſſimorum Vulnerum tuorum gloriam in Cœlo perenniter contemplaturus adſumar. Amen. *Pater. Ave.*

ALIA OBLATIO

Sacrorum Vulnerum Domini, pro expiatione peccatorum.

I.

ADoro te miſericordiſſime Ieſu, tibique gratias ago pro cunctis injuriis, perſecutionibus, laboribus & fatigationibus tuis, meæ ſalutis cauſſa ſuſceptis; quæ omnia tibi in ſalvificum Vulnus dextri Pedis tui depono, ut tu ea Cœleſti Patri offeras pro peccatis meis in unione Divinæ charitatis tuæ, qua hæc & multo plura noſtræ ſalutis cauſſa libentiſſime ſuſtinuiſti. Amen. *Pater. Ave.*

II.

ADoro te piiſſime Ieſu, tibique gratias ago pro cunctis opprobriis, deriſionibus, contemptibus, variiſque ludibriis, ſalutis noſtræ cauſſa perpeſſis; quæ omnia tibi in ſalvificum Vulnus ſiniſtri Pedis tui offero, ut tu eadem offeras cœleſti Patri tuo pro peccatis meis, in unione ardentiſſimæ Charitatis, qua hæc omnia libens pro noſtra ſalute ſuſtinuiſti. Amen. *Pater. Ave.*

III.

ADoro te clementiſſime Ieſu, tibique gratias ago, pro univerſis doloribus, pœnis, cruciatibus, vulneribus, & livoribus tuis mei amoris ergo ſuſceptis: quæ tibi in ſacrum vulnus dextræ Manus tuæ ſupplex offero; ut tu eadem offeras cœleſti Patri tuo, pro peccatis meis in unione divinæ charitatis tuæ, qua hæc omnia pro nobis redimendis ſuſtinuiſti. Amen. *Pater. Ave.*

IV.

ADoro te manſuetiſſime Ieſu, tibique gratias ago pro cunctis, ſinguliſque precioſiſſimi Sanguinis tui guttis, mei cauſſa, in crudeliſſima paſſione tua effuſis, quas omnes in vulnus ſiniſtræ Manus offero, ut tu eaſdem offeras cœleſti Patri tuo, pro peccatis meis in unione ferventiſſimæ charitatis, qua eundem Sanguinem tuum cauſſa noſtræ ſalutis effudiſti. Amen. *Pater. Ave.*

V.

ADoro te patientiſſime Ieſu, tibique gratias ago pro cunctis gemitibus, ſuſpiriis, & preſſuris cordis tui: pro ſudore quoque & lacrymis, propter nos effuſis. denique pro amariſſima morte, quam mei cauſſa ſubiiſti, quæ omnia & ſingula offero tibi in ſacratiſſimum Vulnus benedicti Cordis & Lateris tui, ut tu eadem offeras Cœleſti Patri tuo, pro peccatis meis, in unione immenſæ charitatis tuæ, qua hæc omnia ſalutis humanæ cauſſa pertuliſti. Amen. *Pater. Ave.*

ORATIONES
Pro avertendis omnibus malis & noxis totius Eccleſiæ,

Per merita & virtutem Vulnerum Chriſti.

I.

DEus qui non mortem ſed pœnitentiam deſideras peccatorum, populum tuum ad ſacratiſſima vulnera tua,

contrito corde confugientem, propitius reſpice, ut dum illa devote honorat; bella, famem, peſtilentiam, & quæcunque alia iracundiæ tuæ flagella ab eo clementer amoveas.

I I.

DEus qui contritorum non ſpernis gemitum & mœrentium non deſpicis affectum, adeſto precibus noſtris, quas in tribulatione noſtra ad ſacra Vulnera tua effundimus, eaſque clementer ſuſcipiens, tribue, ut quicquid contra nos diabolicæ & humanæ moliuntur inſidiæ, elidatur, atque in nihilum redigatur; ut nullis tentationibus læſi; ſed de omni tribulatione atque anguſtia erepti, tibi Deo noſtro in Eccleſia gratias referamus.

I I.I.

DImitte Domine peccata noſtra, & è ſacris Vulneribus tuis nobis miſericordiam tribue quam precamur, ut humilitatem noſtram attendas, tribulationes adſpicias, adverſitates repellas; affectumque petitionis noſtræ largiens, ſupplices tuos clementer exaudias; & ſcuto Vulnerum tuorum protectos, ab omni malo cuſtodias.

I V.

PIentiſſime Deus, qui iniquitatum ad te converſorum non recordaris, ſed eorum gemitus clementer exaudis, reſpice tot templa, tot altaria, tot pia loca, ſacro Nomini tuo olim dedicata, nunc hæreticorum abominationibus prophanata; reminiſcere hæreditatis tuæ, auguſtiſſimorum Vulnerum tuorum ſuſceptione, & nobiliſſimi Sanguinis tui effuſione, acquiſitæ; & Vineam tuam, quam ferus aper exterminare conatur, ferventer viſita, & illius cultores, adverſus devaſtantium rabiem tua virtute corrobora; victores effice, & in ea bene operantes tui tandem fac Regni poſſeſſores.

V. *Deus*

V.

DEus qui conteris bella, & impugnatores in te ſperantium, potentia tuæ defenſionis expugnas; auxiliare fidelibus tuis, inviĉtiſſimorum Vulnerum tuorum defenſionem invocantibus, ut omnium inimicorum ſuorum feritate depreſſa, & omni eorum hoſtilitate diſſipata, inceſſabili te gratiarum actione laudemus. Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

CAP. VII.

De cultu & honore SS. Nominis IESV.

MIra ſunt melliflui hujus Nominis præconia, magna privilegia: ut merito quiſquis vere Chriſtianus eſſe vult, ſummo illud amore & honore complecti debeat. In hoc Nomine oramus quicquid volumus, & impetramus. Quidquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis, *Ioan.* 16. Sed Melliflui Nominis Elogia ex Mellifluo Doctore audiamus.

IESVS, *inquit*, eſt mel in ore; in aure melos; in corde jubilus; ſed eſt & medicina. Triſtatur aliquis noſtrum? Veniat in cor Ieſus, & inde ſaliat in os. Et ecce, ad exortum hujus Nominis lumen, nubilum omne diffugit, redit ſerenum:

Labitur quis in crimen, currit inſuper ad laqueum mortis deſperando? Nonne, ſi invocet Nomen Vitæ, confeſtim reſpirabit ad vitam?

Cui aliquando ſtetit ante faciem ſalutaris Nominis, duritia, ut aſſolet cordis, ignaviæ, torpor, languor acediæ? cui fons forte ſiccatus lacrymarum, invocato Ieſu, non continuo erupit uberior?

Nihil ita iræ impetum cohibet, ſuperbiæ tumorem ſedat, ſanat livoris vulnus, extinguit libidinis flammã, ſitim temperat avaritiæ, ac totius indecoris fugat pruriginem.

Siquidem cum nomino Ieſum, hominem mihi propono mitem, & humilem corde, benignum, ſobrium, caſtum, miſericordem, & omni denique honeſtate ac ſanctitate conſpicuum, eundemque ipſum Deum omnipotentem, qui ſuo me & exemplo ſanet, & roboret adjutorio.

Hæc omnia mihi ſonant, dum inſonuerit Ieſus. Sumo igitur mihi exempla de Homine, & auxilium à Potente: illa tanquam pigmentarias ſpecies; hoc tanquam unde acuam eas, & facio confectionem, cui ſimilem medicorum facere poteſt nemo.

Hoc tibi electuarium habes, ô anima mea, reconditum in vaſculo vocabuli hujus, quod eſt Ieſus. Salutiferum certe, & quod nulli unquam peſti tuæ inveniatur inefficax.

Semper tibi in ſinu ſit, ſemper in manu, quo tui omnes in Ieſum, & ſenſus dirigantur & actus, *&c.* Serm. 15 in Cant.

MODVS FACILIS ET SVAVIS

Semper orandi & ſimul honorandi ſanctiſſimum nomen IESV.

Q*Via jubemur à Chriſto*, ſemper orare, & nunquam deficere: *ab Apoſtolo autem*, omnia, quæcunque facimus, ſive in verbo, ſive in opere; omnia, *inquam*, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti facere; *Ecce compendioſum & facilem* Semper orandi *modum; & una* Ieſum *honorandi. Selectas, inquam, & ignitas adſpirationes è Regio Propheta hic habes, quibus non tantum ad omnem actionem facile mens elevari poſſit in Deum; ſed & inſtrui quibuſdam, quaſi regulis & mediis, ad operum perfectionem utilibus.*

ASPI-

ASPIRATIO HORARIA

Ad laudem ſanctiſſimi Nominis IESV.

IN *Nomine* tuo Domine ſalvum me fac, & virtute tua judica me.

Et propter gloriam *Nominis* tui Domine libera nos, & propitius eſto peccatis noſtris propter Nomen tuum.

Sperent in te, qui noverunt *Nomen* tuum; quoniam non dereliquiſti quærentes te Domine.

Voluntarie ſacrificabo tibi, & confitebor *Nomini* tuo Domine, quoniam bonum eſt.

Sit Nomen Domini benedictum ex hoc nunc & uſque in ſæculum.

Manè dum ſurgis.

ILlumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus: Prævalui adverſus eum.

Ego dormivi & ſoporatus ſum, & exurrexi, quia Dominus ſuſcepit me.

Si memor fui tui ſuper ſtratum meum, in matutinis Domine meditabor in te, quia fuiſti adjutor meus.

Vtinam hodie dirigantur viæ meæ ad cuſtodiendas juſtificationes tuas!

Servus tuus ſum ego, da mihi intellectum, ut ſciam teſtimonia tua.

Egrediens domo.

IN via teſtimoniorum tuorum delectatus ſum, ſicut in omnibus divitiis.

Eſto mihi in *Deum* protectorem, & in locum munitum, ut ſalvum me facias.

Si ambulem in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.

Vias tuas Domine demonſtra mihi, & ſemitas tuas edoce me.
Servavi mandata tua & teſtimonia tua, quia omnes viæ meæ in conſpectu tuo.

Regrediens domum.

IVdica me Domine, quoniam ego in innocentia mea ingreſſus ſum, & in Domino ſperans non infirmabor.
Eſto mihi in Deum protectorem, & in domum refugii, ut ſalvum me facias.
Si dicebam: Motus eſt pes meus, miſericordia tua Domine adjuvabat me.
Viam iniquitatis amove à me,& de lege tua miſerere mei.
Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam, propter Nomen tuum Domine vivificabis me in æquitate tua.

Ingrediens Templum.

IN multitudine miſericordiæ tuæ introibo in Domum tuam, adorabo ad Templum ſanctum tuum in timore tuo.
Exaudi Domine vocem deprecationis meæ, dum oro ad Te, dum extollo manus meas ad Templum ſanctum tuum.
Sic benedicam te in vita mea, & in Nomine tuo levabo manus meas.
Vt videam voluptatem Domini & viſitem Templum ejus.
Sicut Cervus deſiderat ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus.

Ante Orationem.

INtret in conſpectu tuo oratio mea, inclina aurem tuam ad precem meam.

Exaudi

Exaudi Deus orationem meam, & ne deſpexeris deprecationem meam, intende mihi, & exaudi me.

Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ ſuæ, ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum, donec miſereatur noſtri.

Vocem meam audi ſecundum miſericordiam tuam Domine, & ſecundum judicium tuum vivifica me.

Suſcipe me ſecundum eloquium tuum & vivam, & non confundas me ab exſpectatione mea.

Poſt Orationem.

INtret poſtulatio mea in conſpectu tuo, ſecundum eloquium tuum eripe me.

Exaudi me Domine, quoniam benigna eſt miſericordia tua, ſecundum multitudinem miſerationum tuarum reſpice in me.

Secundum miſericordiam tuam memento mei tu, propter bonitatem tuam Domine.

Vnam petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.

Suſtinuit anima mea in verbo ejus, ſperavit anima mea in Domino.

Ante lectionem Horarum.

IN conſpectu Angelorum pſallam tibi, adorabo ad Templum ſanctum tuum, & confitebor Nomini tuo.

Exaltabo te Deus meus Rex, & benedicam Nomini tuo in ſæculum, & in ſæculum ſæculi.

Sic pſalmum dicam Nomini tuo in ſæculum ſæculi, ut reddam vota mea de die in diem.

Vt audiam vocem laudis tuæ, ut enarrem univerſa mirabilia tua.

Secundum Nomen tuum Deus, ſic & laus tua, juſtitia plena eſt dextera tua.

Poſt Horas.

IVbilate *Deo* omnis terra, pſalmum dicite Nomini ejus, date gloriam laudi ejus.

Exaudi Domine vocem meam, qua clamavi ad te, miſerere mei & exaudi me.

Septies in die laudem dixi tibi, ſuper judicia juſtitiæ tuæ.

Voluntaria oris mei beneplacita fac Domine, & judicia tua doce me.

Sit nomen Domini benedictum ex hoc, nunc & uſque in ſæculum.

Ante Miſſam.

INtroibo in domum tuam in holocauſtis, reddam tibi vota mea, quæ diſtinxerunt labia mea.

Et introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat juventutem meam.

Sacerdotes tui induantur juſtitiam, & ſancti tui exultent.

Voluntarie ſacrificabo tibi, & confitebor Nomini tuo Domine, quoniam bonum eſt.

Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea, & labiis exultationis laudabit os meum.

Poſt Miſſam.

ILluſtra faciem tuam ſuper ſervum tuum, ſalvum me fac in miſericordia tua Domine, non confundar quoniam invocavi te.

Expandi manus meas ad te, anima mea, ſicut terra ſine aqua tibi.

Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea!

Vt liberentur dilecti tui, ſalvum fac dextera tua & exaudi me.

Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies.

Orans pro aliis.

ILluminare his qui in tenebris, & in umbra mortis ſedent, ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis.

Exurge Domine, adjuva nos & libera nos propter Nomen tuum.

Salvum fac populum tuum Domine, & benedic hæreditati tuæ & rege eos, & extolle illos uſque in æternum.

Vt ponant in Deo ſpem ſuam & non obliviſcantur operum Dei, & mandata ejus exquirant.

Salvos fac ſervos tuos Deus meus, ſperantes in te.

Ad Lectionem, ſeu Studia.

INtellectum da mihi Domine, & ſcrutabor legem tuam, & cuſtodiam illam in toto corde meo.

Eripe me de inimicis meis Domine, ad te confugi, doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.

Servus tuus ſum ego, da mihi intellectum, ut ſciam teſtimonia tua.

Viam juſtificationum tuarum inſtrue me, & exercebor in mirabilibus tuis.

Sanctum & terribile Nomen ejus, initium ſapientiæ timor Domini.

Ante Congreſſum, ſeu Converſationem.

IVdica me Deus, & diſcerne cauſſam meam de gente non ſancta, ab homine iniquo & doloſo erue me.

Et erue me de manu filiorum alienorum, quorum os locutum eſt vanitatem, & dextera eorum, dextera iniquitatis.

Suſcipe ſervum tuum in bonum, non calumnientur me ſuperbi.

Vide quoniam mandata tua dilexi Domine, in miſericordia tua vivifica me.

Sal-

Salvum me fac Domine, quoniam defecit ſanctus, quoniam diminutæ ſunt veritates à filiis hominum.

Ad Prandium vel Cœnam.

IN te ſperant oculi omnium, & tu das illis eſcam in tempore opportuno.
Edent pauperes & ſaturabuntur, & laudabunt Dominum qui requirunt eum; vivent corda eorum in ſæculum ſæculi.
Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea.
Vt educas panem de terra, & vinum lætificet cor hominis.
Superbo oculo & inſatiabili corde, cum hoc non edebam.

Pro memoria paſſionis Dominicæ.

IN manus tuas commendo ſpiritum meum, redemiſti me Domine Deus veritatis.
Exurge Domine, judica cauſſam tuam, memor eſto improperiorum tuorum, quæ ab inſipiente ſunt tota die.
Suſcepimus Deus miſericordiam tuam in medio templi tui.
Viſitaſti terram, & inebriaſti eam, multiplicaſti locupletare eam.
Salvaſti enim nos de affligentibus nos, & odientes nos confudiſti.

In Adverſitate.

IN te Domine ſperavi, non confundar in æternum, in juſtitia tua libera me.
Educ de tribulatione animam meam, & in miſericordia tua diſperde inimicos meos.
Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificent animam meam.

Vt

Vt quid Domine receſſiſti longe, deſpicis in opportunitatibus, in tribulatione?

Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me, & ſuper iram inimicorum meorum extendiſti manum tuam, & ſalvum me fecit dextera tua.

In tentatione.

INtende animæ meæ, & libera eam, propter inimicos meos eripe me.

Effunde frameam, & conclude adverſus eos, qui perſequuntur me, dic animæ meæ, ſalus tua ego ſum.

Si conſiſtant adverſum me caſtra, non timebit cor meum.

Vſquequo exaltabitur inimicus meus ſuper me? reſpice & exaudi me Domine Deus meus.

Sub umbra alarum tuarum protege me, à facie impiorum qui me afflixerunt.

Ad quodvis Negotium.

INclina Domine aurem tuam & exaudi me, quoniam inops & pauper ſum ego.

Ego autem in te ſperavi, dixi: Deus meus es tu, in manibus tuis ſortes meæ.

Secundum miſericordiam tuam vivifica me, & cuſtodiam teſtimonia oris tui.

Viam juſtificationum tuarum inſtrue me, & exercebor in mirabilibus tuis.

Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ ſuæ, ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum, donec miſereatur noſtri.

Veſperi dum incumbis.

ILlumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus: prævalui adverſus eum.

Eſto

Eſto mihi in Deum protectorem, & in domum refugii, ut ſalvum me facias.

Si dedero ſomnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem.

Vivet anima mea & laudabit te, & judicia tua adjuvabunt me.

Sub umbra alarum tuarum protege me à facie impiorum, qui me afflixerunt.

Actus Amoris & Contritionis.

IN toto corde meo diligo te Domine fortitudo mea, Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus.

Ego iniquitatem meam cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper.

Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies.

Vtinam dirigantur viæ meæ ad cuſtodiendas juſtificationes tuas.

Secundum miſericordiam tuam vivifica me, & cuſtodiam teſtimonia oris tui.

ASPIRATIO

Horaria ad IESVM *pro felici morte.*

ILlumina oculos meos ne unquam obdormiam in morte: ne quándo dicat inimicus meus, prævalui adverſus eum.

Eſto mihi in Deum protectorem, & in domum refugii, ut ſalvum me facias.

Sitivit anima mea ad fontem vivum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei?

Vnam petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.

Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam; propter

pter Nomen tuum Domine vivificabis me in æquitate tua.

HYMNVS

Suaviſſimus ad Chriſtum IESVM: Alias, IVBILVS Amantis Animæ,

S. Bernardo adſcribi ſolitus.

DECAS I.

IEſu dulcis memoria
Dans vera cordis gaudia:
Sed ſuper mel & omnia
Ejus dulcis præſentia.
Nil canitur ſuavius,
Auditur nil jucundius,
Nil cogitatur dulcius,
Quam Ieſus Dei Filius.
Ieſu ſpes pœnitentibus,
Quam pius es petentibus,
Quam bonus te quærentibus!
Sed quid invenientibus?
Ieſu dulcedo cordium,
Fons vivus, lumen mentium,
Excedens omne gaudium,
Et omne deſiderium.
Nec lingua valet dicere,
Nec littera deſcribere;
Expertus poteſt credere,
Quid ſit Ieſum diligere.
Ieſum quæram in lectulo,
Clauſo cordis cubiculo;
Privatim, & in publico
Quæram amore ſedulo.
Cum Maria diluculo
Ieſum quæram in tumulo,
Clamore cordis querulo,
Mente quæram, non oculo.
Tumbam perfundam fletibus,
Locum replens gemitibus:
Ieſu provolvar pedibus,
Strictis hærens amplexibus.
Tua premam veſtigia,
Anhelans ad obſequia,
Nec deſinent ſuſpiria,
Quam tui detur copia.
Ieſu Rex admirabilis,
Et triumphator nobilis,
Dulcedo ineffabilis,
Totus deſiderabilis.

Pater noſter. Ave Maria.

DECAS II.

MAne nobiſcum Domine,
Et nos illuſtra lumine:
Pulſa mentis caligine,
Mœſtos reple dulcedine.
Quando cor noſtrum viſitas,
Tunc lucet ei veritas,
Mundi vileſcit vanitas,
Et intus fervet charitas.
Amor Ieſu dulciſſimus,
Et vere ſuaviſſimus,
Plus millies gratiſſimus,
Quam dicere ſufficimus.
Hoc probat ejus Paſſio,
Hoc Sanguinis effuſio:
Per quam nobis redemptio
Datur, & Dei viſio.
Ieſum omnes agnoſcite,
Amorem ejus poſcite,
Ieſum ardenter quærite,
Quærendo inardeſcite.
Sic amantem diligite,
Amoris vicem reddite;
In hunc odorem currite,
Et vota votis reddite.
Ieſus auctor clementiæ,
Totius ſpes lætitiæ,
Amoris fons & gratiæ,
Veræ cordis deliciæ.
Ieſu mi bone ſentiam
Amoris tui copiam,
Da mihi per præſentiam
Tuam videre gloriam.
Cum digne loqui nequeam
De te, tamen ne ſileam:
Amor facit ut audeam,
Cum de te ſolum gaudeam.
Tua Ieſu dilectio,
Grata mentis refectio,
Replens ſine faſtidio,
Dans famem deſiderio.
Pater noſter. Ave Maria.

DECAS III.

QVi te guſtant eſuriunt:
Qui bibunt, adhuc ſitiunt:
Deſiderare neſciunt
Niſi Ieſum, quem diligunt.
Quem tuus amor ebriat,
Novit, quid Ieſus ſapiat!
Quam felix eſt, quem ſatiat!
Non eſt ultra, quod cupiat.
Ieſu, decus angelicum,
In aure, dulce canticum:
In ore, mel mirificum:
In corde, nectar cœlicum.
Deſidero te millies
Mi Ieſu, quando venies?
Me lætum quando facies;
Vt me teipſo ſaties?
Tuus Amor continuus
Mihi languor aſſiduus,
Tu totus es mellifluus:
Fructus

Fructus vitæ perpetuus.
Ieſu, ſumma benignitas,
Mihi cordis jucunditas;
Incomprehenſa bonitas,
Tua me ſtringat charitas.
Bonum mihi diligere
Ieſum, nil ultra quærere,
Mihi prorſus deficere,
Vt illi queam vivere.
O Ieſu mi dulciſſime,
Spes ſuſpirantis animæ,
Te piæ quærunt lacrymæ,
Te clamor mentis intimæ.
Quocunque loco fuero,
Mecum Ieſum deſidero.
Quam lætus, cum invenero!
Quam felix, cum tenuero!
Tunc amplexus, tunc oſcula,
Quæ vincunt mellis pocula;
O quam beata copula,
Sed heu, quam parva morula!

Pater noſter. Ave Maria.

DECAS IV.

IAm quod quæſivi, video:
Quod concupivi, teneo:
Amore Ieſu langueo,
Et corde totus ardeo.
Ieſus cum ſit diligitur,
Hic amor non extinguitur:
Non tepeſcit, nec moritur,
Plus creſcit, & accenditur.
Hic amor ardet jugiter,
Dulceſcit mirabiliter;
Sapit delectabiliter,
Delectat & feliciter.
Hic amor miſſus cœlitus
Hæret mihi medullitus;
Mentem incendit penitus,
Hoc delectatur ſpiritus.
O beatum incendium,
O ardens deſiderium!
O dulce refrigerium,
Amare Dei Filium!
Ieſu, flos Matris Virginis,
Amor miræ dulcedinis,
Tibi laus, honor Numinis,
Regnum beatitudinis.
Veni, veni Rex optime,
Deus immenſæ gloriæ;
Affulge menti clarius;
Iam expectatus longius.
Ieſu ſole ſerenior,
Et balſamo ſuavior,
Omni dulcore dulcior,
Cæteris amabilior.
Cujus guſtus ſic afficit;
Cujus odor ſic reficit,
In quo mens mea deficit,
Solus amanti ſufficit.
Sis precor meum gaudium,
Qui es futurus præmium,
Tu ſolus mea gloria,
Spes, decus, & victoria.

Pater noſter. Ave Maria, gratia plena.

DECAS V.

TV mentis delectatio,
Amoris conſummatio:
Tu mea gloriatio,
Ieſu mundi ſalvatio.
Mi dilecte revertere,
Conſors paternæ dexteræ:
Hoſtem viciſti proſpere,
Iam cœli regno fruere.
Sequar quocunque ieris:
Mihi tolli non poteris,
Cum meum cor abſtuleris
Ieſu laus noſtri generis.
Cœli cives occurrite,
Portas veſtras attollite;
Triumphatori dicite,
Ave Ieſu Rex inclyte.
Rex virtutum, Rex gloriæ,
Rex inſignis victoriæ,
Ieſu largitor veniæ,
Honor cœleſtis patriæ.
Tu fons miſericordiæ,
Tu veræ lumen patriæ:
Pelle nubem triſtitiæ,
Dans nobis lucem gloriæ.
Te cœli chorus prædicat,
Et tuas laudes replicat:
Ieſus orbem lætificat,
Et nos Deo pacificat.
In pace Ieſus imperat,
Quæ omnẽ ſenſum ſuperat:
Hanc mea mens deſiderat,
Et ea frui properat.
Ieſus ad Patrem rediit,
Cœleſte regnum ſubiit:
Cor meum à me tranſiit,
Poſt Ieſum ſimul abiit.
Quem proſequamur laudibus,
Votis, hymnis, & precibus:
Vt nos donet cœleſtibus
Secum perfrui ſedibus. Amen.

Pater noſter. Ave Maria.

ASPIRATIONES

XXXIII, *in honorem totidem Annorum* D. N. I. C. *juxta præcipuos ejus* Titulos & Attributa *ex S. Script.* concinnatæ.

IESVS *Verus Deus.*

O *Ieſu* Verus Deus de Deo vero. Eſto mihi in Deum protectorem, & in domum refugii, ut ſalvum me facias.

O *Ieſu* Verbum Patris æterni, qui noviſſime locutus eſt nobis in Filio ſuo. Vtinam audiam quid loquatur in me Dominus.

O *Ieſu*

O *Ieſu* Sapientia Patris. Da mihi quærere & ſapere quæ ſurſum ſunt; ut guſtem quam ſuavis ſit Dominus.

IESVS *Verus Homo.*

O *Ieſu* primogenitus in multis fratribus. Fac nos tibi cohæredes in Domo Patris noſtri.

O *Ieſu* Verbum Caro factum; qui cum eſſes in forma Dei, exinaniſti temetipſum, formam ſervi accipiens. Non ſit mihi grave humiliari pro te.

O *Ieſu* Filius hominis, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. Fac ut ego divinæ fiam conſors naturæ per gratiam.

IESVS *Creator.*

O *Ieſu* Creator meus, cor mundum crea in me, & ſpiritum rectum innova in viſceribus meis.

O *Ieſu* plaſmator meus; Memento quod ſicut lutum feceris me. Vtinam ſim vas in honorem, & non in contumeliam in domo tua.

O *Ieſu* auctor vitæ meæ. Tibi vivet anima mea: nam mihi vivere Chriſtus eſt; & mori lucrum.

IESVS *Dominus noſter.*

O *Ieſu* Dominus & Deus meus. Servus tuus ſum ego: poſſide me, & nemo præter te.

O *Ieſu* Rex meus: Rege me, & nihil mihi deerit in loco paſcuæ, ubi me collocaſti.

O *Ieſu* Pater meus. Ego vero non ſum dignus vocari filius tuus, attamen ne projicias me à facie tua.

IESVS *Doctor.*

O *Ieſu* qui veniſti nobis à Deo Magiſter. Bonitatem, & diſciplinam, & ſcientiam doce me.

O *Ieſu* præceptor, qui cœpiſti facere & docere. Doce

me facere voluntatem tuam ; ut diſcam à te , quia mitis es & humilis corde.

O *Ieſu* Lux mundi , via , veritas , & vita , Illumina oculos meos ; & deduc me in ſemitam mandatorum tuorum, quia ipſum volui.

IESVS *Paſtor.*

O *Ieſu* Paſtor bone , qui poſuiſti animam tuam pro ovibus tuis. Propter nomen tuum deduces me , & enutries me.

O *Ieſu* Panis vitæ. Ecce anima mea ſuſtinet te , ne dimitte jejunam, ut non deficiat in via.

O *Ieſu* Fons vitæ. Sitivit anima mea ad te ; Fac ut hauriat aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.

IESVS *Advocatus.*

O *Ieſu* Advocate noſter apud Deum Patrem. Fac avertat iram ſuam à nobis.

O *Ieſu* Mediator Dei & hominum. Sanguis tuus clamet pro nobis non vindictam, ſed veniam.

O *Ieſu* Salvator ſalva nos , qui veniſti quærere , & ſalvum facere quod perierat.

IESVS *Sponſus.*

O *Ieſu* Sponſe ſanguinum , deſponſa me tibi in miſericordia & miſerationibus.

O *Ieſu* Amator , ſpecioſe præ filiis hominum. Trahe me poſt te in funiculis charitatis tuæ.

O *Ieſu* zelotes animarum,cujus delitiæ ſunt eſſe cum filiis hominum. Amem te, & nihil, niſi propter te.

IESVS *Medicus.*

O *Ieſu* Medice , qui languores noſtros tuo livore ſanaſti. Sana animam meam quia peccavi tibi.

O *Ieſu*

O *Ieſu* Agnus innocens ad occiſionem ductus, tolle peccata mundi, mei inprimis peccatoris.
O *Ieſu* Samaritane, infunde vinum Contritionis, & oleum miſericordiæ vulneribus meis.

IESVS *Iudex.*

O *Ieſu* qui venturus es judicare vivos & mortuos. Ne intres in judicium cum ſervo tuo.
O *Ieſu* Iudex miſericors, qui non veniſti perdere quenquam. Parce mihi & reſponde pro me.
O *Ieſu* Iudex tremendæ majeſtatis, ſtatue me inter oves & Electos tuos; ut ab auditione mala non timeam.

IESVS *Glorificator.*

O *Ieſu* pars hæreditatis meæ, & portio mea, in terra viventium, Hæreditatem meam reſtitue mihi.
O *Ieſu* gloria, corona, & merces noſtra magna nimis. Admitte me in bona Domini, quæ præparaſti diligentibus te.
O *Ieſu* vita, ſalus, & reſurrectio noſtra. Cupio diſſolvi, & eſſe tecum. In æternum nihil me ſeparabit à te. Tibi adhærere mihi bonum eſt. Quid enim mihi eſt in Cœlo, & à te quid volui ſuper terram?

Oratio ad Ieſum.

O Bone IESV, ô piiſſime Ieſu, ô dulciſſime Ieſu, ô Ieſu fili MARIÆ Virginis, plene miſericordia & pietate. O dulcis Ieſu, ſecundum magnam miſericordiam tuam miſerere mei.

O clementiſſime Ieſu, deprecor te per illum Sanguinem pretioſum, quem pro peccatoribus effundere voluiſti, ut abluas omnes iniquitates meas: & in me reſpicias miſerum & indignum, humiliter veniam petentem, & hoc nomen ſanctum Ieſu invocantem.

O nomen Ieſu, nomen dulce: nomen Ieſu, nomen delectabile: nomen Ieſu, nomen confortans. Quid enim Ieſus eſt, niſi Salvator? Ergo Ieſu propter nomen ſanctum tuum eſto mihi Ieſus, & ſalva me: ne permittas me damnari, quem de nihilo creaſti.

O bone Ieſu, ne perdat me iniquitas mea, quem fecit omnipotens bonitas tua. O dulcis Ieſu, recognoſce quod tuum eſt, & abſterge quod alienum eſt.

O benigniſſime Ieſu, miſerere mei, dum tempus eſt miſerendi, ne damnes me in tempore judicandi. Quæ utilitas in ſanguine meo, dum deſcendero in æternam corruptionem? Non mortui laudabunt te Domine Ieſu, neque omnes qui deſcendunt in infernum. O amantiſſime Ieſu, ô deſideratiſſime Ieſu, ô mitiſſime Ieſu.

O Ieſu, Ieſu, Ieſu, admitte me intrare in numerum Electorum tuorum. O Ieſu ſalus in te credentium. O Ieſu ſolatium ad Te confugientium. O Ieſu dulcis remiſſio omnium peccatorum.

O Ieſu Fili Mariæ Virginis, infunde in me gratiam, ſapientiam, charitatem, caſtitatem, humilitatem, ut poſſim te perfecte diligere, te laudare, te perfrui, tibi ſervire & in te gloriari; & omnes, qui invocant nomen tuum, quod eſt Ieſus. Amen.

Oratio.

DEus qui glorioſiſſimum nomen Ieſu Chriſti Filii tui Domini noſtri feciſti fidelibus tuis ſummo ſuavitatis affectu amabile, & malignis ſpiritibus tremendum atque terribile: concede propitius, ut omnes qui hoc nomen Ieſu devote venerantur in terris, ſanctæ conſolationis dulcedinem in præſenti percipiant; & in futuro gaudium exultationis & interminabilis beatitudinis obtineant in cœlis. Per eundem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

Aſſpi-

Aſpiratio ante quodvis opus.

O Chriſte Ieſu, in unione charitatis illius, qua opus noſtræ Redemptionis operatus es in medio terræ; offero tibi hoc opus N. & omnes actiones meas, ad majorem Nominis tui gloriam, meam & proximorum ſalutem.

FINIS SECT. VI.



Vniverſum ſtratum ejus verſasti in infirmitate ejus.

ELECTÆ & DILECTÆ
ÆTERNI PATRIS FILIÆ,
VERBI INCARNATI GENITRICI,
SPIRITVS SANCTI SPONSÆ,
TOTIVS SS. TRIADOS SANCTVARIO;
ANGELORVM DOMINÆ;
HOMINVM TVTRICI;
PECCATORVM ADVOCATÆ;
AFFLICTORVM OMNIVM ASYLO;
COELI TERRÆQVE REGINÆ.

Quæ gratia plena, & inter mulieres benedicta;
Infelicis Evæ mutans NOMEN;
aut verius mutuans OMEN;
Vere facta eſt MATER VIVENTIVM,
Quæ quaſi AVRORA Conſurgens,
Sedentibus in tenebris, & umbra mortis,
SOLEM IVSTITIÆ reduxit in Orbem.

Quæ terribilis ut Caſtrorum ACIES
ORDINATA,
Hæreſes & Poteſtates tenebrarum
profligat.

Quæ ipſius Mater facta IVDICIS,
(Quid autem IVDEX MATRI neget ſuæ?)
Facilem reis offert ſpem, opemque veniæ.

Quæ morienti in CRVCE FILIO,
Materno, ſed conſtanter, adſiſtens Corde;
Eheu! acerbo nimium doloris gladio
Materna ſibi ſenſit transverberari viſcera.

Sed hoc uno tunc, (quid enim ſic loqui vetat?)
Felix & læta;
Quod inter ſuprema DILECTI Morientis
Oracula,
Dilectum DISCIPVLVM juſſa ſuſcipere
in Filium;
Pro uno, & in uno multos accipiens Filios;
Omnibus una nobis fieret in MATREM.

SECTIO

SECTIO VII.

De cultu & Veneratione B. Virg. MARIÆ. Item de Cura & præparatione bene beatéque moriendi.

Cultum Virginis MARIÆ; *& curam beatæ* MORTIS Sectioni *& Diei ſeptimæ, id eſt* SABBATO *reſervavimus. Nam per ſex dies, id eſt ſpatium vitæ noſtræ, tendimus ad* Sabbatiſmum*, ſeu requiem vitæ æternæ.* Sabbatum *enim legis, ejus quietis, quam poſt hanc vitam fideles exſpectant, typus erat,* Heb. 4. *Vnde ſicut poſt laborem ſex dierum, ſeptimo die vacabant Iudæi; ita nos confecti hujus vitæ laboribus, per mortem feriabimur, ac* Sabbatum *agemus feſtivum ac ſolemne.* Ecce beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodo jam dicit Spiritus, ut requieſcant à laboribus ſuis. *Apoc.* 14.

Porro diem SABBATI Deiparæ Virginis *honori peculiariter dicavit* Eccleſia; *& piorum uſus obtinuit, ſingularibus pietatis officiis, eo die* Virginem Matrem *venerari; ut per eam, in cujus tabernaculo requievit* Dominus, *ad beatam requiem tanto felicius perveniant.*

Non eſt ergo cur mireris, pie Lector*, ſi Matrem* VITÆ *&* MORTEM *hic una proponi videris. Sic omnino decuit; ut Mater miſericordiæ, Vita & Spes noſtra, quæ* VITÆ *nobis Auctorem protulit, morituris adverſus* MORTEM *Patrona commendaretur. Mortis quidem debitum per* primam Parentem *contraximus, ſed per* Alteram, (*verius* Matrem viventium) *fructum vitæ participavimus. Vnde merito ipſa tanquam Vitæ & Mortis Patrona toto orbe colitur. Et quidem jam paſſim pia multorum conſuetudine receptum eſt, ut pro felici morte quotidie* Litanias, *vulgo* Lauretanas, *pro ſe invicem recitent.*

Hac quoque mente PAVLVS PAPA V. *Salutationis Angelicæ frequentem uſum* Indulgentiis centum dierum *ad horas* ſingu-

ſingulas Chriſti fidelibus commendavit : In cujus Salutationis appendice *ſingulariter beatæ Matris opem & interceſſionem* IN HORA MORTIS NOSTRÆ, *poſcimus. Nec deerit illa ſane fideli præſidio clientibus ſuis in morte, quæ & morienti in Cruce Filio ſuo adſtitit; & hinc quaſi ſingularis patrocinii erga moribundos* Privilegium *conſequi meruit.*

Vnde clarum eſt, hoc potiſſimum nomine cultum Virginis Deiparæ commendari, quod clientibus ſuis in Mortis agone fidelis ſemper Patrona & Mater adſiſtat. O quot illa faucibus inferni eripuit! quot gratiæ Filii ſui, cœloque reſtituit. Exempla plurima occurrunt paſſim in Hiſtoriis, & Scriptoribus ſanctiſſimæ Virginis magnalia tractantibus. Inde tu pete, & ad beatam quoque mortem per Matris Vitæ opem enitere. Eoque pia mente inclama frequenter :

Maria Mater gratiæ ;
Mater miſericordiæ ;
Tu nos ab hoſte protege ;
Et hora mortis ſuſcipe.

CAP. I.

Colloquium inter CHRISTVM & HOMINEM de modo bene beatéque moriendi.

§. 1. *Excitatio ad Curam bonæ Mortis.*

OMnis caro fœnum, & omnis gloria ejus, quaſi flos agri. Exſiccatum eſt fœnum, & cecidit flos.

CHRISTVS. Ecce Homo, quid eſt vita tua ſuper terram? Fœnum hodie virens, cras areſcens : ventus & umbra celeriter fugiens ; fumus & vapor ad modicum parens : Audite hæc omnes gentes, auribus percipite, qui habitatis orbem: quique terrigenæ & Filii hominum, ſimul in unum dives & pauper : juvenes & virgines, ſenes cum junioribus, audiant verba oris mei. Omnes enim vos una & immutabilis ſententia mortis conſtringit : Statutum eſt omnibus hominibus ſemel mori : & poſt hoc

hoc Iudicium. Omnes vos, & citius, quam putatis, manifeſtare oportet ante tribunal meum, ut recipiat unuſquiſque, prout geſſit in corpore ſuo, ſive bonum, ſive malum. Talem autem unumquemque judico, qualem invenio, dum eum per ſatellitem meum, id eſt, mortem, cito ad tribunal meum.

Lætare ergo juvenis in adoleſcentia tua, & in bono ſit cor tuum in diebus juventutis tuæ, & ambula in viis cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum. Sed ſcito, quod pro his omnibus adducet te Deus in judicium. Quin ſi ſapis, mature diſpone domui tuæ, quin morieris, & non vives. Nec eſt cur viribus aut ætati fidas. Nonne vides juvenes quoque robuſtos & vegetos, imo pauperes & infantes, quotidie mori, levi etiam ſæpe ex cauſſa, vel caſu? Vas fictile, aut vitreum, ſive recens, ſive vetuſtum, æque fragile eſt; ſi ceciderit in terram, frangitur. Fruſtra canos exſpectas, quos major pars hominum non attingit.

Homo. O Deus meus, tu creaſti hominem ad imaginem tuam; gloria & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum; & ſic ſubito in pulverem reduces me, & dum adhuc ordior, ſuccides me? Memorare Domine quæ mea ſubſtantia: nunquid enim vane conſtituiſti omnes filios hominum? Ecce morimur omnes, & quaſi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur.

Christus. Quis eſt homo qui vivit, & non videbit mortem, eruet animam ſuam de manu inferi? Sed eſto, longitudine dierum repleam eum; quid tandem erit? Si annis multis vixerit homo, & in his omnibus lætatus fuerit, nonne meminiſſe debet tenebroſi temporis, & dierum multorum, qui cum venerint, vanitatis arguentur præterita? Tranſierunt enim omnia illa tanquam umbra, & tanquam navis, quæ pertranſit aquam; cujus, cum præterierit, non eſt invenire veſtigium. O felices, qui memi-

meminerunt, ſe eſſe tanquam exules & peregrinos ſuper terram; vel etiam ſicut Oeconomos, & diſpenſatores ſe in hoc mundo conſtitutos ſuper bona Domini ſui, qui venturus ſit hora, qua minime putatur, ut ponat rationem cum ſervis ſuis.

Sed heu miſeri, qui, tanquam ego peregre profectus ſim, & ſero rediturus; ſic luxuriantur in bonis meis, immemores temporis illius, quo citabo eos, ut reddant rationem villicationis ſuæ. Itane homines in honore à me conditi non intelligunt; comparantur jumentis inſipientibus, & ſimiles illis fiunt? quaſi ſit unus utrorumque interitus, & quaſi homo nihil amplius habeat jumento; cum ego creaverim eos ad imaginem & ſimilitudinem meam, & addictos æternæ morti, ſanguine meo redemerim, ut mecum cœli hæredes fierent. Vt quid ergo tanquam cæci in mortem currunt, & in æternum pereunt homines empti à me pretio tam magno, propter quos ego veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant?

O quam pauci, qui hæc ſerio recogitent corde; & qui in his meditari, ducant ſapientiam! Quam multi hominum, quaſi percuſſerint fœdus cum morte, & cum inferno fecerint pactum, dicunt, flagellum mortis inundans cum tranſierit, non veniet ſuper nos. Sic nempe avertunt faciem ſuam, ne videant in finem: non eſt timor Dei, nec cura mortis ante oculos eorum. Ideo ducunt in bonis dies ſuos, & in momento ad inferos deſcendunt.

HOMO. Quid faciam tibi, ô cuſtos hominum? Manus tuæ fecerunt me, & plaſmaverunt me totum in circuitu, & ſic repente præcipitas me? Parce mihi, Domine, nihil enim ſunt dies mei. Quæ utilitas in ſanguine meo, ſi deſcendero in corruptionem? Nunquid confitebitur tibi pulvis, aut annuntiabit veritatem tuam? Nunquid narrabit aliquis in ſepulcro miſericordiam tuam? & veri-

veritatem tuam in perditione? Non eſt in morte qui memor ſit tui, in inferno autem quis confitebitur tibi? Nunquid bonum tibi videtur, ſi opprimas me opus manuum tuarum? Siccine dies mei velociores erunt curſore, fugient & non videbunt bonum? Itane velocius tranſiount quam à texente tela ſucciditur, ut conſummentur abſque ulla ſpe? Remitte mihi, ut refrigerer priuſquam abeam; & amplius non ero.

§. 2. *Ars bene moriendi neceſſaria ſuper omnia.*

CHRISTUS. Ego mortem non feci, ſed invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum: quia ejus opera, per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, in quo omnes peccaverunt. taque ſtatutum eſt omnibus hominibus ſemel mori. Sed hoc unicum tibi ſolatium relictum eſt, quod ſicut in Adam omnes moriuntur, ita in me omnes vivificabuntur. Sed vide, ſi hoc beneficio meo frui cupis, ut non lædaris à morte ſecunda; quia mors peccatorum peſſima. Sed heu, quid eſt hoc, quod vita, cujus ſpatium tam breve eſt, & quæ tota ne quidem ad neceſſaria, & inprimis ad debitam præparationem mortis ſufficere poteſt, in ſupervacua & inania majori ex parte à plurimis mortalium impenditur!

Nonne, ſi haberes ſolus omnes annos, dies, horas, & omne tempus, quo ſtetit, & ſtabit mundus; ſimulque omnem ſapientiam, & providentiam, induſtriam; ſed & omnes artes, opes, amicitias, favores: & quidquid opis aut commodi in terris unquam haberi poteſt, nonne illud omne merito ad hoc convertere deberes; ut felix obtingeret tibi illud ultimum momentum, quod de tota æternitate tua ſtatuet; à quo in perpetuum vel miſer, vel beatus futurus es?

HOMO. Cum me converto ad univerſa opera, quæ faciunt manus hominum, & ad labores, in quibus fruſtra ſudant,

ſudant, video in omnibus vanitatem & afflictionem animi, & nihil permanere ſub ſole. Et idcirco tæduit me vitæ meæ videntem mala univerſa eſſe ſub ſole, & cuncta vanitatem, & afflictionem ſpiritus: adeo quod in multa ſapientia, multa ſit indignatio: & qui addit ſcientiam, addit & laborem. O vanitas vanitatum & omnia vanitas!

CHRISTVS. Vt quid igitur ita ſollicitus es & occuparis erga plurima? Quid juvat altum ſapere? Quid ſcrutari ſubtilia, magis quam utilia? Quid ambulas in magnis & mirabilibus ſuper te? Ecce unum eſt neceſſarium, *Scire Mori.* Hæc vere eſt *Ars* artium, & *Scientia* ſcientiarum, Qui hanc novit, parum ei oberit, ſi neſciat cætera. Qui vero hanc neſcit, parum ei proderit, alia omnia noviſſe. Nonne cetera omnia terram, & brevem vitam ſpectant: hæc Cœlum, & immenſam Æternitatem?

Itaque quoad vivis, diſce *Mori:* idque tanto magis, quia hujus Artis non licet niſi unum experimentum capere: quod ſi male ſucceſſerit, poſtea non licebit errorem corrigere. In aliis quidem artibus, ſi quid per ignorantiam, vel incuriam prima vice peccatum eſt, ſecunda facile corrigitur: Hic ſemel tantum erratur: & deinceps ſera & inutilis pœnitentia eſt. Tunc enim clauſa erit janua miſericordiæ meæ: nec in æternum ſupererit ſpes indulgentiæ. Vbicunque ceciderit lignum, ſive ad Auſtrum, ſive ad Aquilonem, ibi erit. Sapientiſſimus ille eſt, qui frequenter cogitat finem ſuum; & talis nunc eſſe nititur in vita, qualis cupit inveniri in morte. Quis ſapiens, & cuſtodiet hæc?

Vere enim hæc magna ſapientia eſt, ſeipſum inſpicere; *Noſſe* ſeipſum; ſcire inquam, quid ſit *Homo*, habens corpus ex humo, & ſpiritum de cœlo; & quod illud per mortem revertatur in terram, de qua ſumptum eſt: hic vero redeat ad Deum qui dedit illum, ut recipiat prout geſſit in corpore, ſive bonum, ſive malum.

Hæc

Hæc meditare, in his eſto; inſta in illis, mi homo. Memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis, nihil æque tibi proderit ad temperantiam omnium rerum, quam frequens meditatio mortis. Quomodo enim exaltabis cor tuum, aut unde ſuperbies, qui pulvis & cinis es, & mox in pulverem reverteris? Num lubebit in deliciis fovere & nutrire carnem tuam, quæ brevi hæreditabit ſerpentes, & beſtias, & vermes? Quomodo divitiis, honoribus & vanitatibus ſæculi appones cor tuum, à quibus te forſan hodie, vel hac nocte, licet imparatum & invitum, ſeparabit amara mors? Et tunc, quæ paraſti, cujus erunt? O quam facile contemnit omnia, qui ſemper cogitat ſe moriturum! Vtinam homines ſaperent, & intelligerent, & noviſſima providerent!

Homo. Agnoſco Domine, quia breves dies hominis ſunt, & numerus menſium ejus apud te eſt: conſtituiſti terminos ejus, qui præteriri non poterunt. Scio quia morti trades me, ubi conſtituta eſt domus omni viventi. Et quis ſum ego, ut reſpondeam tibi, & verbis meis tecum contendam? Iuſtus es Domine, ſi diſputem tecum: ſed, ſi non iraſcaris ſuper orationem ſervi tui, unum rogabo te, Domine: Notum fac mihi finem meum, & numerum dierum meorum, quis eſt, ut ſciam quid deſit mihi: quot ſunt dies ſervi tui, quibus adhuc militabo ſuper terram, donec veniat immutatio mea?

§. 3. *Matura præparatio ad Mortem.*

Christvs. Non eſt tuum, mi homo, ſcire tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate: Tuum eſt *Vigilare*, attendere, & omni hora paratum eſſe. Latet enim ultima dies, ut obſerventur omnes, quia nulla inter omnes eſt, quæ tibi ultima eſſe non poſſit. Tuum ergo eſt redimere tempus, & laborare dum dies

eſt; veniet enim nox, in qua nemo poteſt operari. Tuum eſt ſatagere, ut per bona opera certam vocationem tuam facias. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis: nimis inſipiens eſt, qui illos elabi ſinit, & alios ſibi promittit: interim circa inania, voluptates, & curas hujus ſæculi diſtinetur. Sed cur vis ſcire, quod tibi non expedit? Hoc ſcito, & habe pro certo, ſingulare bonitatis & miſericordiæ meæ argumentum eſſe, quod voluerim mortis horam hominibus incertam eſſe. Si enim ſciretur, ô quam multi hinc noxiæ ſecuritatis & ſomnolentiæ occaſionem caperent, & multo ſegnius ſalutis ſuæ curam agerent, eamque in extremam ætatem, & in mortis tempus rejicerent! Nonne id modo paſſim fit, cum nec diem, nec horam, nec momentum habeant à morte ſecurum? Heu, neſcit homo finem ſuum, & tamen finis curam negligit! Vnde ſicut piſces capiuntur hamo, & aves laqueo, ſic capiuntur homines in tempore malo, cum eis extemplo ſupervenerit.

Tu vero, ô homo, memento Creatoris tui in diebus juventutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis tuæ: ſciens quia bonum eſt homini, ſi portaverit jugum Domini ab adoleſcentia ſua: timenti enim Deum bene erit in extremis; & in diebus defunctionis ſuæ benedicetur.

Vide ergo quomodo caute ambules, non quaſi inſipiens, ſed ut ſapiens. Quæ vero major inſipientia, quam, cum à brevi hujus vitæ momento tota pendeat æternitas, & in hora mortis de omni æternitate ſententia ferenda ſit, ut in perpetuum vel pœnæ, vel gloriæ deputeris; hujus tamen rei periculo tam parum providere? Omnia alia ſollicite & diligenter curare, id unum, quod ſolum & præ cæteris omnibus curæ eſſe debebat, negligere?

Quid neceſſe eſt homini majora ſe quærere, cum ignoret, quid conducat ſibi in vita ſua, numero dierum peregrinationis ſuæ, & tempore, quod velut umbra præterit?

O filii

O filii hominum uſquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Veruntamen in imagine pertranſit homo: Sed & fruſtra conturbatur. Anni ejus ſicut aranea meditabuntur. Sicut enim illa multo labore texit telam ſuam: ſed eviſcerat ſeſe; & quid niſi viles muſcas venatur? ita annos vitæ ſuæ conſumunt homines; Sed quo tandem fructu?

Homo. Ecce menſurabiles poſuiſti dies meos, & ſubſtantia mea tanquam nihilum ante te. Quoniam mille anni ante oculos tuos tanquam dies heſterna quæ præteriit. Parce mihi Domine, nihil enim ſunt dies mei. Memento, quoniam ego advena ſum apud te, & peregrinus ſicut omnes Patres mei.

Christus. Propterea hortor ego vos, tanquam advenas & peregrinos abſtinere vos à carnalibus deſideriis, & curis hujus ſeculi, quæ militant adverſus animam. Ecce peregrinus non hæret in via; non deflectit ab itinere, ut carpat flores, & quærat delicias, ut nugetur & otietur: quin potius deſiderio patriæ & ſuorum in itinere cœpto continuo pergit & properat. Si vero ſubinde quieſcit, aut reficit corpus, id neceſſitatis potius eſt, quam voluptatis, ut denuo reſumptis viribus alacrius pergat & ambulet.

Tu fac ſimiliter, & redime tempus à rebus iſtis vanis ac tranſitoriis, in quibus nil niſi vanitas & afflictio ſpiritus: & rei ſuper omnia ſeriæ ac neceſſariæ, id eſt, curæ bonæ Mortis, & beatæ Æternitatis illud impende. Neſcis enim quam diu ſubſiſtas, & ſi poſt modicum tollat te factor tuus. Ergo, quodcunque poteſt manus tua, inſtanter operare, quia venit nox in qua nemo poteſt operari. nec enim opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud inferos, quo tu properas. Nunc age, quod actum eſſe voles, cum amplius agere non poteris; & non egiſſe, cum poteras, vehementer dolebis.

Homo. O Domine qui dives es in miſericordia; an-

guſtiæ mihi ſunt undique,ne derelinquas me. Operi manuum tuarum porrige dexteram, & extrahe me de luto fæcis, ut non infigar: nam ecce, de profundis clamo ad te: Vitam quidem meam quotidie corrigere diſpono. Semper autem de die in diem differo: & dum hoc in futuro facere propono, fit ut illud *futurum* ſemper ſit futurum; imo forte nunquam futurum. Domine Ieſu, quam diu ponam conſilia in anima mea? quæ utilitas in Sanguine meo,ſi deſcendero in corruptionem. Illumina oculos meos, ut nunquam eos à conſpectu mortis avertam; ut inſtantia pericula videam, nec unquam obdormiam in mortem, ne quando dicat inimicus meus, prævalui adverſus eum.

CHRISTVS. O ſi noſſes, quantopere hominis jam morituri mentem cruciet memoria temporis olim tam inutiliter perditi! O ſi quoque damnatorum in ſuis tormentis anguſtias, querimonias & ejulatus, ſed, heu, inanes,videre poſſes, quid putas conſilii caperes? Ecce, hoc unum illi deplorant maxime, quod cum tam horrendos cruciatus brevi & facili labore redimere potuiſſent; attamen mortis immemores, hæſerint in rebus inanibus, & interim tempus comparandi oleum in vaſis ſuis, occaſionem bonorum operum, & dies ſalutis neglexerint. Duxerunt illi quoque, velut multi hodie, in bonis dies ſuos; at quam breves,ac paucos! & in puncto ad inferos deſcenderunt,ubi jam miſeri torquentur ſine fine. O felicem te, ſi ſapias damno alieno!

Aſpice divitem Epulonem illic non jam amplius in delitiis ſplendide epulantem,ſed miſere in pœnis ejulantem. Quis veſtrûm ſortem divitis olim non optaſſet potius quam pauperis Lazari; cum iſte in delitiis, hic vero in fame & anguſtia viveret? Sed ecce, jam omnes Lazarum feliciſſimum prædicant, Epulonem miſerrimum: Hic quidem, dum alter eorum recipit bona in vita ſua; alter autem mala, diſcrimen non agnoſcis; quin miraris etiam & con-

& conturbaris; ſed tace, donec intres in ſanctuarium Dei, & intelligas in noviſſimis eorum.

Homo. O quam bonus Iſraël Deus, his qui recto ſunt corde! Sed & juſtus es Domine, & rectum judicium tuum. Cur vero diſſimulem? (ſcrutaris enim cor & renes meos.) Sæpe moti ſunt pedes mei, pœne effuſi ſunt greſſus mei, dum zelavi ſuper iniquos, pacem peccatorum videns; quia non eſt reſpectus morti eorum. Nunc vero miſericordiam & judicium cantabo tibi Domine, quia in tempore ſuo tu reddis unicuique ſecundum opera ſua.

Christus. Sed quomodo, cum tam ſit diſpar amborum exitus, & tibi etiam nunc detur optio inter ſortem utriuſque, quomodo, inquam, qui cupis eſſe felix cum Lazaro, Vitam nunc eligis Epulonis? cur laute & molliter nutris carnem tuam; & ſæpius viles beſtias impenſius curas, quam homines famelicos & inopes?

Sed heus, ſi ego miſero iſti, ex ſingulari gratia, reditum in vitam concederem, putas rediret ad ſolitas delicias? iterum indueretur purpura & byſſo, aut epularetur quotidie ſplendide? Lazarum jacentem ad fores domus ſuæ negligeret? Vere dico tibi, in cinere & cilicio potius pœnitentiam ageret; nullum temporis punctum ſine fruge & ſeria ſalutis cura elabi ſineret; imo quidquid unquam in toto mundo cruciatuum & laborum excogitari poſſet, id omne ſolus ſubire mallet, ne rediret ad locum iſtum tormentorum: ubi jam tot centenis annis æſtuanti linguæ ſuæ vel unam aquæ guttulam optat, & per infinitas annorum myriades optabit, ſed nunquam obtinebit.

Quis hominum hæc audiens non timeret, & timendo reſipiſceret? Quis poterit habitare de vobis cum illo igne devorante; quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis? Vere hoc ſtupendum ſuper omnia ſtupenda, credere æterna iſta ſupplicia peccatoribus parata, &

nihilominus adeo ſecure vivere in peccatis; & tam audacter in eo ſtatu morari, in quo mori non auderes: in morte totius æternitatis exſpectare ſententiam, nec tamen maturius de bona morte ſollicitum eſſe. Quis ita faſcinavit oculos veſtros, ne videant in finem? Nam quotuſquiſque veſtrum talis modo eſſe curat, qualis inveniri in morte optat, cum citabitur ad ſupremum tribunal meum? & tamen neſcis, an id cras, vel hodie, an hac ipſa hora futurum ſit.

O quot parabolis, quot minis & monitis ego docui vos, *Vigilare*, attendere, paratos eſſe! Quid vero tot exempla hominum omnis ætatis, ſexus, conditionis indies paſſim ante oculos veſtros morientium? quid tot ſubiti caſus, tot febres, & morborum genera? quid clamant hæc omnia, niſi, *Vigila*; Eſto paratus, Diſpone domui tuæ, quia morieris? Memento accidere tibi poſſe, quod cuiquam potuit. Hodie, hodie ſi vocem Domini audieris, noli obdurare cor tuum. Derelinquat impius vias ſuas, & vir iniquus cogitationes ſuas, & revertatur ad me, & miſerebor ejus: quia nunc tempus miſerendi, ne forte mox ſit puniendi.

HOMO. Iuſtus es Domine, ſed parce mihi, ſi ut minus ſapiens loquar ad Dominum meum, cum ſim pulvis & cinis. Numquid voluntatis tuæ eſt mors impii? Nonne tu dixiſti: *Nolo mortem peccatoris.* &, *Impietas impii non nocebit ei, in quacunque die converſus fuerit ab impietate ſua.* Et iterum: *Omne quod venerit ad me, non ejiciam foras?* Quid ſi ergo vel ſero, & ſub veſperam, circa undecimam horam venero, an me rejicies? Quid ſi vel jamjam moriturus pœnitentiam egero de peccatis meis, cor contritum & humiliatum an deſpicies?

CHRISTVS. Quid hoc audio? & tu quaſi unus de inſipientibus loqueris; & declinas cor tuum in verba malitiæ, ad excuſandas dilationes in peccatis? Tunc peccare vis, quamdiu vivis, & pœnitere primum jam mori-

moriturus? Hocne eſt pœnitere, ſi deſinas peccare, cum amplius non potes; cum peccandi vires deficiunt? cum te peccata potius deſerunt, quam tu illa? Quæ iſta emendatio, vitam mutare velle in melius, cum jam vivere deſinendum eſt? Ah nimium falleris! Ego quidem pœnitenti promiſi veniam, ſed differenti in craſtinum vitam non promiſi.

Vt autem probe ſcias & caveas tibi; hæc eſt vera Pœnitentia, quæ mei cauſſa, ſeu ex amore mei deplorat, & deſerit peccata; adeo quidem, ut è centum moribundis, qui eouſque pœnitentiam differunt, vix unus aut alter vere pœniteat. Illa enim naſcitur non ex amore mei, ſed ex amore ſui. Dolent quippe, non quod me offenderint, ſed quod damnationem jam imminentem timeant; quam ſi una cum morte poſſent evadere, non timerent ad vomitum, & priſtina peccata redire. Quomodo ergo dicetur vere in morte pœnitere, qui vult, nec timet, quam diu vivit, peccare?

Nolo ego quidem mortem peccatoris; nolo te, aut quemvis peccatorem deſperare, quamdiu vivit. At ego te periculi admoneo, & volo te ſecuriora eligere. Nam plurimi tunc pereunt, pauciſſimi vere pœnitent. Et quomodo tu præſumere audes inter tam paucos te quoque futurum. O ſi videre poſſes, quam multa homini, præſertim peccatori, circa mortem occurrant, quæ difficilem reddunt veram pœnitentiam! Hinc enim ægrum vis morbi premit; illinc angit conſcientia,& peccatorum enormitas, quam tunc primum longe manifeſtius, quam unquam antea conſpicit. Hinc temporis præteriti tam inutiliter, in rebus inanibus conſumpti recordatio pungit ac lacerat conſcientiam: illinc tremor futuri, & jam inſtantis, quo de omnibus dictis, factis; cogitatis reddenda erit ratio, cruciat. Hinc diaboli peccata exaggerantis, & ad deſperationem impellentis inſidiæ, illinc metus Iudicis, & horror inferni, ſic obruunt miſe-

rum, ut nil niſi ſæva præſumat perturbata conſcientia; nil niſi juſta judicia mea, cum deſperatione veniæ cogitare valeat. Aſpicit enim peccata ſua, abſque reſpectu miſericordiæ meæ, quam illi tunc quoque extenuare, aut prorſus abſcondere nititur malignus ſpiritus.

Quid putas tunc ſpei, vel animi reliquum erit miſero homini? Videt jam relinquenda omnia, quæ in vita ſuavia & cara fuerunt, & nihil amplius ſolatii vel auxilii ab iis ſperari poſſe. Peccatorum memoria terret; hora reddendæ rationis inſtat. Immutabilis ſententiæ horror exanimat. Fugere ſeu latere impoſſibile; comparere nimis intolerabile. Si ad vitam præteritam reflectat oculos, totum ejus curriculum quaſi momentum temporis apparet: Si ad futurum; id eſt, ad æternitatis infinitum ſpatium reſpicit, heu, quis dolor tam modicò momento, & rebus tam inanibus, beatitudinis æternæ jacturam feciſſe! Hæc omnia ita hominem perturbant, ut vix ſalutari alicui cogitationi locus ſit reliquus. Vnde fit, ut ſæpe etiam præveniat judicium meum, damnans ſeipſum, eo quod non cognoverit tempus viſitationis ſuæ, & ſic deſperans abeat in viam Cain, dicens: Major eſt iniquitas mea, quam ut veniam merear.

HOMO. Anxiatus eſt Domine ſuper me ſpiritus meus, in me turbatum eſt cor meum, ſed & conturbata ſunt omnia oſſa mea, à turbine ſermonis tui. O quam horrendum erit incidere in manus Dei viventis! Quis poterit ſuſtinere vocem tonitrui tui magni in die illa tremenda? Nec enim cogitare licet, quod ſolum ad terrendum me verba componis inania. Quis vero ſtatum morientis melius novit quam tu? O Bone *Ieſu* da mihi, ut præoccupem faciem tuam in confeſſione, & diem extremum matura pœnitentia præveniam, ne tribulatio & anguſtia illius horæ inveniat me.

CHRISTVS. Ideo jam hortor te ne differas. Quin dicis, *Nunc cœpi?* En audis hodie vocem meam, ne obdures

dures cor tuum, nec differas in craſtinum; qui neſcis an cras ſubſiſtas; multo minus differ in horam mortis: ſed nec etiam in tempus morbi: Nam illud nimis ineptum eſt, ut congrue te morti præpares. Tunc enim & animi & corporis vires languent: doloribus, & aliis, quas morbi pariunt, moleſtiis animus ita ſæpe obruitur, ut quæ ad bene moriendum pertinent, vix leviter cogitare, nedum ſerio ponderare ſufficiat.

Quam ſæpe vidiſti ægros delirio correptos, & uſu rationis prorſus deſtitutos, nihil potuiſſe diſponere eorum quæ vel ad præſens ſæculum, vel ad futurum ſpectarent? Experientia quoque teſte ſcis, ſi quis dentium, oculorum, calculi, vel alio dolore acuto crucietur, etiamſi alias bonus & pius ſit, quam difficile tunc ei ſit, animum rebus piis & cœleſtibus intendere. Nimirum illuc rapitur tota intentio mentis, ubi eſt vis doloris. Et quid putas in morte fiet?

Hæc fideliter, & amore tui prolixius inculco tibi, mi homo, ut non differas de die in diem negotium ſalutis tuæ; nec curam bonæ mortis, in horam mortis rejicias. Cur periculum eligis ubi offertur ſecuritas? Cur vis rei tam incertæ & dubiæ cauſſam, qua nulla gravior & periculoſior, id eſt, animæ, & æternitatis tuæ committere, qui alias omnibus in rebus certiora quæque & magis ſecura tam ſollicite perquiris? Ecce nunc offero tibi gratiam meam; ſi reſpuis, forte alias juſte negabitur. Nonne hac animadverſione merito percutitur peccator, ut moriens oblivifcatur ſui, qui vivens oblitus eſt mei? Nam quomodo audes me tibi in morte propitium polliceri, quem ſic contempſeris in vita?

Intelligite hæc inſipientes in populo, & ſtulti aliquando ſapite. O ſi cognoviſſes & tu & quidem in hac die, quæ ad pacem & ſalutem tibi! O ſi modo tempus miſericordiæ & gratiæ meæ non in vacuum reciperes! Aderit enim, & forte in die qua ignoras, & hora qua non ſperas,

 aderit,

aderit, inquam, tempus juſtitiæ meæ; tunc quidem ſi bene egeris, recipies; ſi autem male, quid mirum, ſi reddam tibi ſecundum opera tua? Sed tunc fruſtra rogabis inducias uſque mane, fruſtra clamabis cum illo ſceleſto ad Dominum, à quo miſericordiam non es conſequuturus. Nam quoties vocavi ego te, & renuiſti? deſpexiſti omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſti? Nonne merito ego quoque in interitu tuo ridebo, & ſubſannabo, cum id quod timebas, advenerit? Cum irruerit repentina calamitas, & interitus, quaſi tempeſtas ingruerit, quando venerit ſuper te tribulatio & anguſtia?

In vita quidem ſerviviſti mundo, carni, & voluptatibus, in die anguſtiæ tum demum recurres ad me? Nonne impudentiæ eſt, ad eum in neceſſitate confugere, quem in proſperitate contempſiſti? Quid ſi nunc dicatur tibi: Vbi ſunt jam dii tui, in quibus habebas fiduciam? ſurgant & opitulentur tibi, & in neceſſitate te protegant. Nonne æger facilem, & officioſum in morbo medicum, experiri ſolet, quem ſanus obſequiis, & muneribus ſibi devincire ſtuduit? at ſi contumeliis & injuriis eum affecerit, quid putas exſpectabit ab illo? An non vides quotidie, cum judicium exſpectatur de rebus etiam minimis, litigantes quietem nullam capere; ſed nunc Advocatos adire, nunc Procuratores, nunc Iudices, nunc iſtorum cognatos, amicos, vel affines, & eorum emendicare opem & favorem? Et homo, cujus cauſſa graviſſima, id eſt, de vita vel morte æterna pendet coram ſummo Iudice, quaſi ſecurus agit, & de præſidiis cauſſæ ſuæ parum curat! Vide; quid fatuas illas virgines excluſerit Regno cœlorum: dormitarunt, tardarunt, oleum quærere neglexerunt, aut ſerius à prudentibus petierunt; & ſic audiverunt: Neſcio vos: at quæ maturius paratæ erant, intraverunt cum Sponſo ad nuptias. Cur & tu ô homo, non vigilas, cur non tempeſtive ſollicitas
pro

pro patrocinio apud Electos meos, qui & ipſi ſedebunt mecum judicantes tribus Iſraël? Cur præcipue non concilias tibi dilectiſſimam Matrem meam, quæ potens eſt apud me patrocinio ſuo? (Non enim æquum eſt, ut quidquam denegem Matri meæ,) ut ſic invenias gratiam in oculis meis? Intelligite hæc qui obliviſcimini Deum, ne quando rapiat, & non ſit, qui eripiat. Qui habet aures audiendi, audiat, nec projiciat hoſce ſermones meos retrorſum, ne ſecundum duritiam ſuam & impœnitens cor theſaurizet ſibi iram in die iræ, & juſti judicii mei. Vtinam homines ſaperent, & intelligerent, & noviſſima providerent!

HOMO. Heu cæcitas & duritia cordis mei, qui hæc frequenter audio, & tamen adhuc languide me gero in tam arduo & periculoſo negotio. Vtinam Domine, vivus ſermo tuus, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingat intima mea uſque ad diviſionem animæ & ſpiritus. Vtinam operetur in me, ſicut operatus eſt in Sanctis & Electis tuis, quorum mors pretioſa fuit in conſpectu tuo. Vnde inebriantur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potas eos. O beati qui habitant in domo tua Domine: & in ſæcula ſæculorum laudabunt te. O beati mortui, qui in Domino moriuntur! Vtinam moriatur anima mea morte juſtorum, & fiant noviſſima mea horum ſimilia!

Quæ hoc §. dicta ſunt de periculo pœnitentiæ in finem vitæ dilatæ, ſi cui duriora videntur; is legat S. Auguſt. *Hom.* 41. *inter* 50. Item *lib. de Pœnit. c.* 17. *& alios paſſim de* IV *Noviſſimis tractantes.*

§. 4. *Bona vita, optima ad bonam Mortem via.*

CHRISTVS. Sed cur illi beati? nonne quia tranſierunt per ignem & aquam, & educti ſunt in refrigerium? ubi neque mors, neque clamor, aut ullus dolor erit ultra. Iam enim requieſcunt à laboribus ſuis, & opera eorum, quæ egerunt in vita, ſequuntur illos? Merito

Merito tu quidem ſortem illorum optas. Sed quanto ſanius erit votum tuum, ſi cures & tu vivere more juſtorum, ut ſic demum eorum morte defungi poſſis? Si, inquam, & tu contendas intrare per anguſtam portam: Si & tu vim inferas regno cœlorum; nam ecce violenti rapiunt illud.

Optabat nimirum & impius ille Propheta ſibi extrema juſtorum; Sed non ita & principia. Mortem ſpiritualium optant ſibi etiam carnales, quorum tamen vitam abhorrent, ſcientes pretioſam eſſe mortem ſanctorum in conſpectu meo: cum è contra mors peccatorum peſſima ſit. Sed nonne ſtultum & ridiculum votum eſt, optare mortem Lazari, & vitam Epulonis? Velle bene mori, & male vivere? nunquid colligunt de ſpinis uvas, aut de tribulis ficus? Non ſic itur de deliciis ad delicias; ut hic ventrem, & illic mentem impleas. Vis autem bonam & felicem mortem? Ecce optima ad bonam mortem via eſt; ante mortem vitiis & cupiditatibus mori. Imo hæc erit ſola & vera vita, carni ac mundo mori, & Deo vivere. Ita ergo nunc conſueſce mori, quouſque vivis; ſic fiet, ut ſecurius mortem, cum venerit exſpectes.

Et hujus quidem myſticæ mortis imaginem, ſeu formam aliquam, ab ipſa morte corporis accipere potes. Nam hæc, quamprimum invadit hominem, mox uſum ſenſuum, & appetitum omnium voluptatum tollit, oculos claudit, aures obſtruit: ori perpetuum ſilentium indicit; à charis & notis ſeparat, omnia deſideria mundi hujus extinguit: Hæc vero & ſimilia, tu ipſe ſponte tua facere potes, & multo quidem ſublimius atque excellentius, tibique multo utilius, quam ſi tantum juris & violentiæ in te morti relinquas.

HOMO. Sed quam mihi mortem loqueris Domine, dum me ſpontanee, & ſpiritualiter mori jubes?

CHRISTUS. Adhuc tu ſine intellectu es; nec capis;

pis; quod ſi ſecundum carnem vixeris morieris; Si autem Spiritu facta carnis mortificaveris, vives? Caſtiga corpus tuum, & in ſervitutem redige; mortifica membra tua, quæ ſunt ſuper terram. Exue veterem hominem cum actibus ſuis, & novum indue; prohibe linguam tuam à malo: averte oculos tuos, ne videant vanitatem, *&c.* Noli diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt; fuge amicos, & ſocios, ſi una cum illis me amicum habere non poſſis. nimis enim noxia amicitia eſt, quæ me conſortem non patitur: Diſſimula injurias, contumeliis ne redde vicem: ad opprobria tace, tanquam non habens in ore tuo redargutiones. Sine te tractari arbitrio ſuperioris, inſtar mortui, qui nemini repugnat. ſalutari morte perde animam tuam in hoc mundo, & in vitam æternam cuſtodies eam.

Si feceris hæc, æſtimaberis tanquam mortuus ſuper terram: ſed vita tua abſcondita mecum erit in *Deo.* Non apparebis magnus & glorioſus coram mundo, ſed omnis gloria tua erit ab intus, id eſt, in teſtimonio conſcientiæ tuæ. Incedes tanquam triſtis, ſemper autem gaudens; poſſidebis tanquam non poſſidens; utêris hoc mundo, tanquam non utens. Hoc eſt mori, antequam moriaris. Vt paucis dicam:

Ante omnia fuge peccatum; & non erit cur malam mortem timeas; ſtimulus enim mortis peccatum: lædere aut pungere non poteſt, ubi peccatum non eſt: mala certe mors putanda non eſt, ubi bona vita præceſſit. Exerce ergo te ad pietatem & juſtitiam, ſic nunquam te mala nec improviſa mors obruet, quia pia & inculpata vita, eſt continua præparatio mortis. Vnde juſtus, ſi morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.

Sed heu, quam crudelis eſt mors, in eos, qui vixerunt mundo, & concupiſcentiis ejus! quam gravi eos tandem aculeo ferit, qui ſapientes ſunt ut faciant mala; bene autem facere neſcierunt! Qui nunc ducunt in bonis dies ſuos,

tunc

tunc vident, quantus extrema gaudii luctus occupet: tunc enim vinum, quod ingrediebatur antea blande, mordet ut coluber, & velut regulus venena diffundit.

HOMO. Quis mihi tribuat, ut mundo, & carni moriar, & vivam tibi, qui pro me mortuus es: & ita ſemper paratus ſim mori: ut vivam ego, jam non ego; ſed tu vivas in me ô *Ieſu?* Agnoſco enim, quia nemo ſecurius & felicius mori poterit, quam qui melius & ſanctius vixerit. Attamen neſcio, quomodo nihilominus terrores mortis circumdederunt me, ut horream, & fugiam, quod tamen ſcio me non poſſe effugere. Sed quid hoc mirum, quando ſanctiſſimos etiam viros video non fuiſſe immunes à timore mortis?

Et quid dicam de te ipſo, Domine? nonne mortem exhorruiſſe viſus es, cum præ anguſtia cordis tui, in horto factus eſt ſudor tuus tanquam guttæ ſanguinis decurrentis in terram? & cum diceres, Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem; & calicem illum transferri à te rogares?

§. 5. *Antidota adverſus fugam & horrorem mortis.*

CHRISTVS. Infirmitates nempe veſtras ego ſuſceperam in me, ut agnoſceres, quanta paterer ego pro vobis; & quam vere languores veſtros ego portarem. Quamvis non tam mortem horrui, quam peccatum, quod morte delendum, verſabatur ante oculos meos. Eatenus tamen admiſi timorem mortis, ut tu jam minus timeres mori: utpote, cui ex merito mortis meæ, mors eſt finis peccati, & introitus ad vitam.

Sed nunc vide cur multi veſtrûm mortem timeant: nam variæ ſolent eſſe cauſæ; ſi autem bene diſcutias, nulla rationabilis & idonea. Hoc potius agnoſces, non mortem, quæ nihil veri in ſe mali habet, ſed potius malam vitam, ſuper omne malum timendam eſſe, eo quod hanc ſequan-

ſequantur æterna mala. Quamvis diverſum videre ſit in filiis hujus ſæculi, qui in vitiis ſuis vivunt ſecure, & tamen mortem velut ſummum malum vehementer horrent. Hoc nimirum habent inſipientes, qui in tenebris ambulant, ut timeant, ubi non eſt timor, & ubi eſt, quaſi ſecuri ambulent; ut, inquam, inania pericula timeant, vera contemnant. Quid enim eſt mors, quam ita timent homines, niſi ſeparatio animæ à corpore? At mors, quam non timent, eſt ſeparatio animæ à Deo; & ea quidem tanto magis timenda, quo pejus eſt animam quam corpus perire.

Sed dic, mi homo, quid eſt in morte, quod times aut fugis? Nonne melior eſt dies mortis, die nativitatis? Crede mihi,aut potius,expertus ipſe fatêre: Quia homo natus de muliere brevi vivens tempore, repletur multis miſeriis: qui quaſi flos egreditur & conteritur, & fugit velut umbra, & nunquam in eodem ſtatu permanet. Quam diu vivit, in medio laqueorum perambulat, in mundo, inquam, qui totus in maligno poſitus eſt; ubi nihil niſi concupiſcentia oculorum, concupiſcentia carnis, & ſuperbia vitæ. Hinc ſentit in membris ſuis aliam legem repugnantem legi mentis ſuæ. O gravis & moleſta lucta, ſed rara & difficilis victoria!

Hæc omnia certe adeo ſemper amicis meis gravia & moleſta viſa ſunt, ut mors illis in deſiderio, vita in patientia eſſet. Hinc iſti eorum planctus & gemitus: Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt. Tædet animam meam vitæ meæ. Infelix ego homo; quis me liberabit de corpore mortis hujus? *&c.*

Deinde hominis vita nihil aliud eſt, quam via, carcer, exilium,& tamen in his moram optat,qui mortem fugit. Quid eſt hoc, laſſari in via, & eam nolle finiri? horrido & ſquallenti carcere concludi, & inde educi nolle? Quis peregre conſtitutus, maxime ſi inter hoſtes & multa pericula verſetur, non optat citius in patriam regredi? quis

quis ſe felicem non æſtimat, ſi mox ab exilio liberetur? Ejus eſt nolle mori, qui mavult eſſe miſer, quam fœlix, qui patriam præ exilio, qui lucem præ tenebris, cœlum præ terra æſtimare neſcit.

HOMO. Vere Domine, vita noſtra non eſt niſi militia,ſeu tentatio & continua lucta ſuper terram. Heu mihi,quia incolatus meus inter tot pericula,laqueos,& inſidias mundi,carnis, & ſatanæ prolongatur. Quid homini eſt diu vivere, niſi diu vexari, vel ſenſu, vel metu malorum? nam foris pugnæ,intus timores. Dies peregrinationis noſtræ pauci & mali; & tamen, quæ cæcitas noſtra eſt,optamus diu vivere;mortem horremus,& differri cupimus, quod evadere non poſſumus: cum tamen mors nobis ſit, aut eſſe debeat finis miſeriæ, terminus culpæ, janua vitæ, aditus Patriæ, & amplexus tuæ præſentiæ.

Miſeri ſumus quam diu vivimus; ſed eo miſeriores, quod creſcente ætate vix, aut raro meliores ſimus; vel quod miſeriam noſtram non agnoſcimus; imo etiam diligimus. Aperi quæſo oculos meos, ut videam ubi ſim, nimirum in exilio, *&c.* & quo aſpirem, nempe ad Patriam: nec ultra mori timeam; ſed potius cupiam diſſolvi, & tibi conjungi. Nuſquam enim mihi bene eſt, nec erit ſine te. O quando educes me de carcere hoc? quando liberabor de corpore mortis hujus? *&c.*

CHRISTVS. Sed multi quoque mortem fugiunt, quia florent in ſæculo, opibus, honoribus, & voluptatibus affluunt, & beatum dicunt populum, cui hæc ſunt. Heu quam amara eſt mors homini habenti pacem in ſubſtantiis ſuis; cujus viæ directæ ſunt in omnibus, & adhuc valenti accipere cibum! Sed ô ſtulti & tardi corde, ô modicæ fidei homines! terræ bona deſerere durum eſt vobis, qui exſpectatis cœlum & ſummum bonum, ſtatumque omnium bonorum aggregatione perfectum? Ecce oculus non vidit, nec auris audivit,nec in cor hominis adſcendit, quæ ego præparavi diligentibus me: imo ego ipſe

ipſe eorum honor & gloria, & hæreditas, & voluptas,& merces ero magna nimis.

Homo. Credo videre bona Domini in terra viventium, ubi inebriabimur ab ubertate domus tuæ; & dies una melior erit ſuper millia. Sed heu, cur ita languida eſt fides mea, ut præ fruſto terræ non magis cœlum ambiam? Cur non deſiderat anima mea ad te Deus, ſicut deſiderat cervus ad fontes aquarum? aut ſicut mercenarius præſtolatur finem operis ſui? Quando tu ipſe Domine portio mea es in regione vivorum. Tu pars hæreditatis meæ,& calicis mei. Tu qui reſtitues hæreditatem meam mihi? Domine adauge fidem, excita cor & deſiderium meum.

Christus. Vide ergo, quia per mortem longe majora recipis, quam deſeris. Certe fidelibus meis mors non eſt jactura, ſed lucrum. Nam pro vita brevi ac caduca & undique plena miſeriis, recipiunt beatam & immortalem, ubi nullus dolor erit amplius. Pro caducis mundi bonis, lucrantur bona Domini in terra viventium. Pro vanis voluptatibus carnis, torrente voluptatis æternæ potantur.

Quid ergo te retinet in ſæculo? An parentes, cognatos, amicos, & familiares deſerere durum eſt? Sed vide, quo pergas moriens: Ad patriam utique cœleſtem, ubi magnus te charorum numerus exſpectat Angelorum, Apoſtolorum, Martyrum, Virginum, & omnium Electorum meorum, quorum converſatio & aſpectus longe jucundior tibi erit, quam ulla amicitia in terris unquam fuerit. Et ad eorum conſortium non magis anhelas? Obliviſcere ergo domum Patris tui; Egredere de terra & cognatione tua; quia portio tua in terra viventium: in terram melle & lacte manantem introduci non vis, & mecum eſſe in Paradiſo?

Quid times exire? Electi mei lætati ſunt, cum reſponſum mortis acciperent, & quod velox eſſet depoſitio tabernaculi eorum. Ecce Vas electionis, quomodo cu-

pit diſſolvi, & eſſe mecum, & mortem in lucro ponit.

Homo. Quidni cuperet diſſolvi Paulus? Bonum certamen certaverat; fidem ſervaverat; curſum conſummaverat; de reliquo ſciebat repoſitam ſibi coronam juſtitiæ, quam tu redderes illi juſtus Iudex: Imo certus erat, quod nihil illum ſepararet à te. Ego autem, quia peccator ſum, diſſolvi non cupio, ſed formido; ſciens quia mors peccatorum peſſima. Quomodo non peſſima, ubi non ſubvenit vita? Formido exire, & in ipſo portus ingreſſu contremiſco, dum vereor non prope aſſiſtere, qui excipiat exeuntem. Quomodo enim ſecurus exibo, ſi non tu Domine cuſtodias introitum & exitum meum? Heu ero ludibrio & prædæ Latronum intercipientium me, non aſſiſtente qui redimat, neque qui ſalvum faciat. Beati omnino mortui, qui moriuntur in Domino: Sed heu, Domine, neſcit homo, amore an odio dignus ſit, & quæ illum ſors à morte maneat; & quomodo non timeat & fugiat mortem, cujus exitus tam incertus eſt?

Christus. Non ideo mori timeas, ſed male vivere. Quorſum eſt fugere, quod effugere non potes, & ita vivere, unde grave periculum incurras? Atqui hoc ego volui, ut cum timore & tremore operareris ſalutem tuam, ut contenderes intrare per anguſtam portam, & ires per vitam, arctam illam quidem, ſed quæ ducit ad vitam. Nihil eſt quod magis minuat timorem mortis, quam vitam agere in continuo timore Dei, & præſentis vitæ gaudia ſpe futurorum ſpernere. Caſtiga ergo & tu cum Paulo corpus tuum, & in ſervitutem redige. Ecce mundus ipſi crucifixus erat, & ipſe mundo: & quomodo non libens moreretur? Crede mihi, non invitus moritur, qui jam pridem vitiis,& mundo mortuus eſt. Nam quid illi adimere poteſt mors, qui nihil amat in mundo; ſed theſaurum ſuum habet in cœlo?

Quin audi quod magis mireris, talibus ne quidem repenti-

pentina & ſubita mors timenda eſt, quam alias ita horrent homines; & cur? an quia mala? minime, ſed quia plerumque imparatos, & vitiis ac rebus terrenis nimis implicatos deprehendit; nam quos paratos invenit, his adeo non eſt mala; ut potius ſit facilis & expeditus ex malis hujus vitæ ad æterna bona, & requiem perpetuam tranſitus.

O quam libenter & ſecure moritur, quem nullius rei affectus tenet in mundo! quam prompte ingreditur viam univerſæ carnis, qui carnis in ſe deſideria calcare ſtuduit? Tali homini mors non erit gravis, & ingrata, ſed potius inſtar placidi ſomni, quo poſt labores & laſſitudinem feſſa membra recreantur. Vnde & amici mei dicuntur mori in Domino, quia cum ego ipſis fuerim hactenus ſcopus & finis vivendi,ad quem omnis eorum actio & intentio tendebat,in morte demum finem ſuum & metam, id eſt, me ipſum attingunt, & ita in pace in idipſum dormiunt & requieſcunt; ubi jam non erit amplius luctus, neque clamor, nec ullus dolor, quoniam priora tranſierunt. Et hinc merito mors eorum, pacis nomen habet.

Cum enim vita hominis ſit militia ſuper terram; & gravis vobis ſit colluctatio adverſus principes tenebrarum, utique Electi mei moriuntur in pace, quia in morte omnia eorum bella & certamina quieſcunt, idque quia ſtrenue militarunt ſub vexillo meo, & ſequentes me Ducem, qui mortem veſtram moriendo deſtruxi, & vitam reſurgendo reparavi; atque ideo pace & præmio victoriæ æternum potiuntur. At non ſic impii, non ſic, qui hactenus habuerunt pacem in divitiis & vitiis ſuis,poſtea turbabuntur timore horribili, & cum æternis inferorum pœnis luctari debebunt.

HOMO. O ſi & mihi dicere liceat: Nunc dimittis ſervum tuum in pace, quia viderunt oculi mei; imo audierunt & aures meæ ſalutare verbum tuum. Nam cur mori deinceps timeam, qui ſic ad Patrem meum vado?

Cur non libens deſeram luteam hanc ac ruinoſam domum, cum ſciam, quia, ſi terreſtris domus noſtra hujus habitationis diſſolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cœlis? O quando liberabor de corpore mortis hujus? O quando veniam & apparebo ante faciem Dei? *&c.*

§. 6. Diſpenſatio Teſtamenti, & rerum temporalium mature facienda.

CHRISTUS. Sed ut tranquillius & ſecurius mori poſſis, mature diſpone domui tuæ, dum adhuc ſana mens eſt in corpore ſano. Huc ſpectat, ut tempeſtive teſtamentum condas; aliena reſtituas, liquidas rationes procures, *&c.* Periculoſe hæc in horam mortis differuntur, non ſine gravi ſæpius jactura, tum animæ, tum rei familiaris.

Circa mortem enim aut vis & moleſtiæ morbi, aut ſpes fallax vitæ longioris, aut ſubita privatio judicii & ſenſuum, aut alia incommoda minus te idoneum reddent. O quam multi hic errant (& quis dubitat, hoc Dæmonis ſtratagema eſſe?) qui vel ex negligentia, vel ex inani perſuaſione, (quaſi aliquid funeſti ominis habeat matura diſpoſitio teſtamenti) rem hanc differunt in horam mortis; & tunc primum rebus terrenis diſponendis animam apponunt, cum terra jam linquenda erat, & cœli ſalutiſque potior cura eſſe debebat. Sic enim ſollicitudo intempeſtiva mentem avocat à Deo: diſtrahit à cura ſalutis & animæ, & involvit curis ſæculi; adeoque tempus vitæ reſiduum, ſed breve, & nimis pretioſum, ſolique beatæ mortis ſtudio tribuendum miſere perdit.

Porro in condendo teſtamento, hoc potiſſimum cura, ut ſit æquum, pium, & perſpicuum, ut concordiæ ſit, non litium ſeminarium. Et inprimis ſic diſpone de bonis tibi à me conceſſis, ut oſtendas te diſpenſatorem eorum à me conſtitutum eſſe, non dominum. Sane, ſi negligas me,

me, à quo habes omnia, nimis iniquus & ingratus es. Si tibi ipſi nequam es, & parcus in animam tuam,cui bonus eris? optimum ſic diſpenſare bona temporalia, ut non amittas, imo ut per ea lucreris æterna.

§. 7. *Eleëmoſynæ tempeſtivæ ante mortem commendatio.*

HOMO. Nudus egreſſus ſum de ventre matris meæ, & nudus revertar illuc,nihil intuli in hunc mundum, haud dubium,quod nec auferre quid poſſum. Quid ergo proderit mihi, in hora mortis poſſidere aurum & argentum,aut totum mundum,& animæ detrimentum facere? Vtinam redemptio animæ meæ, ſint divitiæ meæ. Sed tu Domine bonorum meorum non eges, quin tuum eſt argentum, tuum eſt aurum, tua eſt terra & plenitudo ejus; & quid homo dabit Deo, qui dat & habet omnia?

CHRISTVS. Ideo pauperes ſemper habetis vobiſcum. Ego vero, quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi factum reputo. Manus pauperum meum eſt gazophylacium; quod illic recondis, invenies. Viri autem divitiarum dormient ſomnum ſuum & nihil invenient in manibus ſuis. Ante mortem itaque benefac amico tuo, & ſecundum vires tuas exporrigens da pauperi. Amicos autem tibi de mammona iniquitatis fac pauperes, ut cum defeceris, recipiant te in æterna tabernacula.

Sed ô cæca & ſtulta avaritia mortalium! Theſaurizant, & ignorant cui congregent ea, habituri hæredem poſt ſe, quem ignorant, utrum ſapiens, an ſtultus futurus ſit; & ille dominabitur in laboribus eorum, quibus ipſi deſudarunt: an eſt quidquam tam vanum? Et tamen laborare non ceſſant; nec ſatiantur oculi eorum divitiis: nec recogitant dicentes; cui laboro,& fraudo animam meam bonis? Et ecce venit extraneus, & devorat quidquid avare congeſtum eſt, & negatum neceſſitatibus pauperum; idque juſto judicio meo, ut avari iſti, qui ſic amarunt divitias, fructum non capiant ex eis, ſed habeant

 tan-

tantum afflictionem & curam ſuperfluam, ut addant, & congregent, & tandem relinquant alienis divitias ſuas.

Homo. Sed quid ſi tales largas diſponant eleëmoſynas poſt mortem, dotent Eccleſias; & illuſtria monumenta relinquant? *&c.*

Christus. Quid hoc eſt, niſi pleno ſtomacho, cum amplius ingerere non licet, ſuperflua cum faſtidio rejicere? Non eſt magnum, dare, quod tecum auferre, aut quo diutius frui non poſſis; quodque velis, nolis, relinquendum eſt. Gratam quidem habeo omnem eleëmoſynam; eo tamen diſcrimine, ut unus ſæpe nummus viventis & ſani gratior mihi ſit, quam centum morientis. Nec enim tam cenſum, quam affectum ego pondero; is vero quanto major in viventibus, quam morientibus? quos fere relinquendi neceſſitas potius, quam pia voluntas liberales facit. Vide ergo, ne fallat aut ſeducat te vulgaris error hominum, quod malunt alienis quam propriis manibus dare.

O quam multos novi ego, qui pauperes, quos quotidie vident ante oculos ſuos, negligunt; imo duros & inhumanos ſe in eos oſtendunt: & tamen Teſtamenta condunt, in quibus de alendis pauperibus poſt vitam ſuam, imo poſt plura ſæcula futuris ſolliciti videri volunt. Sed an putas illos ſincera intentione duci, & tangi cura pauperum? opera charitatis & miſericordiæ illis ex amore mei cordi eſſe? Dico tibi; (nóvi enim quid ſit in homine) qui ita avare bonis ſuis incubant, ut in vita ſua immites & parci ſint erga pauperes, ſed in morte primum liberales, & benefici: ne tunc quidem darent, ſi ipſi diutius frui bonis ſuis poſſent. Sed ecce, quia aliud ſecum tunc auferre nequeunt, qui inglorii & ſordidi vixerunt in ſæculo (quod avaris proprium eſt) ſaltem famæ & nomini ſuo à morte conſultum cupiunt.

O miſeri, quis ita faſcinavit oculos veſtros, ut non videant vanitatem hanc, qua major nequit inveniri ſub ſole?

ſole? Oculis quidem hominum belle illuditis: ſed an meos quoque falletis, qui lucidiores ſole contemplantur intima cordis veſtri? Vos qui habetis ſubſtantiam hujus mundi, ſi videritis fratres veſtros neceſſitatem habere, & clauſeritis viſcera veſtra ab iis, quomodo charitas Dei manet in vobis?

Si, inquam, non movent Vos pauperes, quorum miſeriam, famem, nuditatem ipſi cernitis oculis veſtris, quis vos credat moveri inopia pauperum, quos nunquam viſuri eſtis? An non ipſa præſentia objecti efficacius movet ſenſus & oculos, quam ſola imaginatio? An forte oculis & manibus alienis plus fiditis quam veſtris? O quam bene conſultum eſſet cauſæ pauperum, ſi dives quiſque ſuæ potius ætatis pauperes, quam poſteritatis paſceret!

Homo. Sed nonne Domine monuiſti nos alias, de eo quod ſupereſt, dare eleëmoſynam? Quid ſi ergo profuſior ſim in pauperes in vita: & ipſe demum egeam? Certe nec hoc prudentis fuerit. Dabo ergo tunc cum mihi ſufficiet & ſupererit; hoc autem primum in morte conſtabit.

Christus. Qui paſcit volatilia Cœli; & dat jumentis eſcam ipſorum, & pullis corvorum invocantibus eum, putas is deſeret te, ſi amore ejus paſcas me in membris meis. Modicæ fidei, quare dubitas? Nimirum hæc eſt prudentia carnis, & filiorum hujus ſæculi; at pii qui norunt fidere Deo, liberales ſunt erga pauperes, & nihilominus ſecuri de ſufficientia propria. Nonne dixi, *Date & dabitur vobis?* &, *Qui dat pauperi, non indigebit. Fœneratur Domino, qui miſeretur pauperis, & viciſſitudinem ſuam reddet ei. Qui parce ſeminat, parce & metet. Qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. Qui autem adminiſtrat ſemen ſeminanti, & panem ad manducandum præſtabit, & multiplicabit ſemen veſtrum?* &c. Quid ergo trepidas, tales habens repromiſſiones? Si negotium tibi eſſet, cum Iu-

dæo vel Publicano; & haberes chirographum ab eo,crederes ei: & ecce promiſſa mea confirmo tibi chirographo meo, id eſt, Scriptura mea; & adhuc diffidis? Sed eſto, liceat ſuas cuique neceſſitates attendere in erogandis eleëmoſynis. Non damno ego rationabilem providentiam: nec jubeo ſemel omnia profundere. Quotuſquiſque vero eſt, qui regula rectæ rationis, & non potius inſtinctu carnis metitur neceſſaria ſtatus & vitæ? Hinc plurimi liberales,immo prodigi in ſeipſos,& res vanas,ac ſupervacuas; at parci in pauperes & inopes inveniuntur.

Tu vero,quomodo potueris,ita eſto miſericors,ſi multum tibi fuerit, abundanter tribue; ſi exiguum,& hoc libenter impartiri ſtude.

Quæcunque vero aliis pro te facienda committere vis, per te ipſum perficere ſtude.Nam ſi moriens in æternum iveris ſupplicium (*verba pii & religioſi viri Ioan. Lanſpergii*) teſtamenti tui apparatus, pompa funeralis, eleëmoſynæ ac ſacrificia poſt mortem quid conferent damnato? Hæc potius, dum vivis,mihi ſacrifica; ut non ſolum à peccatis libereris,ſed etiam in gratia mea creſcendo ad damnationem non pervenias, ſed à peccatis me præſervante liber in bonis operibus ad finem uſque perſeveres.

Age ergo nunc,chariſſime,quidquid agere potes; noli confidere ſuper amicos, & proximos, nec in futurum tuam differas ſalutem,quia citius obliviſcentur tui homines,quam æſtimas. Melius eſt nunc tempeſtive providere, & aliquid boni præmittere,quam ſuper aliorum auxilio ſperare. Si non es pro te ipſo ſollicitus modo, quis erit pro te ſollicitus in futuro? *Thomas de Kempis lib.* 1.

Nunc itaque ſanus etiamnum ac vegetus eleëmoſynis redime peccata tua. Ambulanti in tenebris plus lucet fax una quæ præfertur, quam plures,quæ ſequuntur. Da tua,dum tua ſunt;nam poſt mortem,tua alterius erunt,& alieni arbitrii, nec tam fideliter diſpenſabuntur, quam tu futurum putas.

Rema-

Remanent in ſæculo, cuncta quæ ſæculi ſunt, ſola miſericordia defunctorum comes eſt. Si eam neglexeris modo, comitabuntur te forte peccata tua; & eo ducent te, unde ſubſequentes eleëmoſynæ aut alia remedia te educere non poterunt. At eleëmoſyna tempeſtiva ab omni peccato & à *Morte* liberat, & non patitur animam ire in tenebras; ſed facit invenire miſericordiam & vitam æternam. Vere beatus, qui intelligit ſuper egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. Vnde confidenter, ſed & vere ajebat ille ſervus meus: Numquam legi mala morte obiiſſe, qui libenter opera miſericordiæ exercuit. *Hieron.*

HOMO. Veriſſima ſunt omnia, quæ loquutus es Domine, nec habeo quod reſpondeam: quamvis avarus & conquiſitor hujus ſæculi, ægre hæc audiat, & triſtis abeat, dicens in corde ſuo; Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum capere? ſicut dives ille, quem de via perfectionis interrogantem juſſiſti vendere, quæ habebat, & dare pauperibus, & ſequi te.

CHRISTVS. Adeo difficile eſt divitem eſſe, & intrare in regnum cœlorum. Væ divitibus, qui hic habent conſolationem ſuam; ſed duri in proximos ſuos. Vere nihil iniquius quam amare pecuniam. Hi enim & animam ſuam venalem habent. Beatus eſſe vis? noli abire poſt aurum, & opes; nec ſpera in theſauris pecuniæ. Rari tales ſunt in terris. Sed tu eſto unus inter paucos: Tu, inquam, theſauriza tibi theſauros in cœlo, ubi ſecurus ſis à furibus & tineis. Eſto, theſaurizent alii in terra; & vocent nomina ſua in terris ſuis; tibi ſat erit, ſi nomen tuum ſcriptum ſit in cœlis. Qui voluerunt ex bonis ſibi conceſſis facere ſibi nomen, juxta nomen magnorum, qui ſunt in terra; & extollere carnem & ſanguinem; periit memoria eorum cum ſonitu. Non ſic viri miſericordiæ, quorum juſtitiæ oblivionem non acceperunt: eorum enim nomen in bene-

dictione eſt: & eleëmoſynas eorum narrabit omnis Eccleſia Sanctorum.

Homo. Inclina cor meum Deus in teſtimonia tua, & non in avaritiam. Averte oculos meos, ne videant vanitatem. Imo da, ut videam & agnoſcam vanitatem hanc qua nihil vanius: nempe, abundare ad modicum,& æternum egere: laudem quærere momentaneam,& confuſionem lucrari perpetuam.

Pro doctrina hujus Puncti, de Eleëmoſynis tempeſtivis vide Chryſoſt. *hom.* 60. *ad pop.* & 18. *in Ep. ad Rom. Sed inprimis* Baſil. *hom.* 2. *in divites avaros. Item* Comm. *in c.* 14. *Eccli. v.* 13.

§. 8. *Reconciliatio cum inimicis ante mortem neceſſaria.*

Christus. Porro eximium opus miſericordiæ eſt, & ad bonam mortem ſumme neceſſarium, non tantum liberaliter donare egenis;ſed etiam libenter condonare inimicis. Si enim homo homini reſervet iram, quomodo à Deo quæret medelam? Tune tam rigide illatam tibi à fratre injuriam appendes, qui infinities majorem ſæpe intuliſti mihi?

Quid ſi brevi citavero te ad tribunal meum, ut ſcruter in lucernis actus tuos; quomodo ſuſtinebis? an poteris unum reſpondere pro mille? Miſericordiam itaque, quam tunc requires à me, hanc nunc oſtende proximo tuo, eadem enim menſura remetietur tibi. Quomodo vero audes clementem me ſperare judicem, qui tam immitis & implacabilis es erga conſervum tuum?

Expende diligenter utrumque debitum,& quo tu obnoxius es mihi, & quo proximus tuus tibi.

O quantum hic diſcrimen! ſi hoc expenderis ſerio, utique facies illi, quod tibi velles à me fieri. Relinque ergo proximo nocenti te, & tunc deprecanti tibi ſolventur peccata tua. Iudicium autem ſine miſericordia ei, qui non facit miſericordiam.

Homo. Fateor Domine in multis te indies offendimus

dimus omnes, ſed parce mihi Domine, & non intres in judicium cum ſervo tuo, quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens. Si enim iniquitates obſervaveris Domine, quis ſuſtinebit? Dimitte mihi debita mea; ego libens amore tui ex animo dimitto omnibus debitoribus meis. Sic enim mori docuiſti me tu ipſe moriens in Cruce, quando pro inimicis & tortoribus tuis Patrem oraſti, & pro nobis omnibus, cum adhuc inimici eſſemus, mori voluiſti.

§. 9. *Repetita exhortatio ad curam bene moriendi.*

CHRISTUS. En habes, mi homo, doctrinam pie beateque moriendi. Fac ergo apprehendas diſciplinam iſtam in tempore; ne ſi quando iraſcatur Dominus, pereas de via juſta. Nihil ſic tua refert, quam ut ſcias bene mori; futurus ſcilicet ex hoc, vel miſer, vel beatus in omnem æternitatem, prout mori te contigerit. Ad hoc autem, ut bene mori poſſis, nihil æque neceſſarium, ac bene vivere: ad utrumque vero, ego vitam & mortem meam impendi tibi. Triginta enim tribus, & amplius annis in terris viſus & cum hominibus converſatus ſum, exemplum tibi relinquens, ut ſequaris veſtigia mea. Sanguinem ego ſudavi præ timore & anguſtia mortis; ut non eſſet cur tu mortem timeres. Mortem denique ipſam ſuſtinui, ut debito mortis æternæ, quo tu tenebaris, liber eſſes. Vide homo, quantum laboraverit pro te Deus tuus. Certe nec in omni mundi fabrica tantum fatigationis adſumpſit. Illa enim dixit, & facta ſunt, mandavit & creata ſunt. At vero hic & in *dictis* ſuſtinui contradictores; & in *factis* obſervatores; & in *tormentis* illuſores; & in *morte* exprobratores, & hæc omnia propter te. Ecce quomodo dilexi te. Vide ergo qualiter te vivere, quomodo mori oporteat, ut non pereat in te tantum pretium redemptionis tuæ, & fruſtrentur omnes labores mei.

HOMO.

HOMO. Dignus plane eſt morte, qui tibi Domine Ieſu recuſat vivere: Valde omnino mihi amandus es, per quem ſum, & vivo, nunc & æternum. Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuiſti mihi? Nonne ſi conferrentur in me omnes vitæ filiorum Adam: & omnes dies ſæculi, & labores omnium hominum, qui fuerunt, ſunt, aut erunt, nihil eſſet ad comparationem eorum, quæ feciſti pro me. Sicut exaltantur cœli à terra, ſic exaltata eſt vita tua, à vita noſtra; & tamen illa poſita eſt pro vita noſtra. Cum ergo tibi Domine, donavero quicquid ſum, quicquid poſſum, nonne iſtud eſt ſicut ſtella ad ſolem, gutta ad fluvium, lapis ad montem, granum ad acervum; ſed quæ proportio finiti ad infinitum? Non habeo niſi minuta duo, Corpus & Animam; vel potius unum minutum, Voluntatem meam: & non dabo illam ad voluntatem illius, qui tantus tantillum tot tantiſque beneficiis prævenit, qui toto ſe totum me comparavit?

Inclina ergo tibi Ieſu, modicum id, quod me dignatus es eſſe, atque de mea miſera vita, ſuſcipe obſecro reſiduum annorum meorum. Pro his vero, quos vivendo perdidi, quia perdite vixi, cor contritum & humiliatum, ô Domine, non deſpicias. Dies mei ſicut umbra declinaverunt, & præterierunt ſinè fructu: impoſſibile eſt, ut revocem eos. Placeat ut recogitem tibi eos in amaritudine animæ meæ. Demum vero ad hoc tantum, precor, da mihi beate mori, ut miſericordias Domini in æternum cantare valeam.

CHRISTVS. Ego calamum quaſſatum non contero, & linum fumigans non extinguo. Tantum eſto fidelis uſque ad mortem. Non enim delector in perditione morientium. Revela Domino viam tuam, & ſpera in eum, & ipſe faciet: ſine quo nec capillus de capite tuo peribit.

§. 10. *Re-*

§. 10. *Reſignatio ſui omnimoda in Deum.*

HOMO. Conſcius ego, Domine; tantæ charitatis tuæ, in pace in idipſum dormiam & requieſcam, nec amore vitæ, nec timore mortis anxius. In manibus tuis ſortes meæ. Iacto ſuper te, Domine, omnem curam meam, quoniam tu ſollicitus es mei; & omnes capilli capitis mei numerati ſunt coram te. Conſtituiſti mihi terminos, qui præteriri non poterunt.

Dominus es; quod bonum fuerit in oculis tuis, fac, & quis ſum ego, ut dicam tibi, cur ita facias? Nunquid lutum dicet figulo, quid facis? aut figmentum contradicet fictori ſuo? nunquid enim nos in manu tua, ſicut lutum in manu figuli? Itaque voluntas tua, mea erit. Si vis me vivere, paratum cor meum Deus, ſed auge gratiam, ut fidelius tibi ſerviam: Si jubes mori, paratum cor meum, fac tantum in pace recipi ſpiritum meum. Tu mihi ô Chriſte, Vivere es, & Mori lucrum. Si quidem vivere diutius dabitur, vivam tibi ſeu gloriæ & honori tuo. Si mori me volueris, mors mihi in lucro erit: conſequar enim & comprehendam te, quem hactenus quærit & diligit anima mea. Itaque ſi ambulem in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Suſcipe me ſecundum eloquium tuum, (dixiſti enim, Nolo mortem peccatoris) & vivam; & non confundas me ab exſpectatione mea. Hanc unam vero gratiam peto, & exſpecto à te Domine, ut quandocunque me mori vis, ſeu hodie, ſeu cras; in medio annorum, ſeu in ſenectute bona, des ſaltem in gratia tua mori. Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte; ne quando dicat inimicus meus, Prævalui adverſus eum. In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum: redemiſti me Domine Deus veritatis. Tuus ſum Domine, ſeu vivens, ſeu moriens. Fiat in me voluntas tua: ſed ne permittas in æternum me ſeparari à te, ô Deus meus & omnia.

Ecce habes, pie Lector, Doctrinam bene moriendi: *Seu quaſi remotam Præparationem ad mortem; Sed cum primis neceſſariam ei, qui vult bene mori. Propinqua præparatio conſiſtit in actibus & exercitiis vivæ* Fidei, Spei, Charitatis, *&c. Et in pio uſu* Sacramentorum, *id eſt*, Pœnitentiæ, Euchariſtiæ *&* Extremæ Vnctionis. *De his vide Exercitium in* Oratione Dominica, *aliaque ſecunda parte hujus Sectionis.*

Cap. II.

MEDITATIO

In Orationem Dominicam,

Accommodata ad Cultum & Venerationem Beatiſſ. Virg. Deiparæ.

Pater noſter qui es in cœlis.

O Ieſu Verbum & Filius Vnigenitus Æterni Patris, qui cum eſſes in forma Dei, & in ſinu Patris, non rapinam arbitratus es te æqualem Deo, temetipſum exinaniſti, de cœlo in terram veniens, & illibatæ Virginis uterum ingrediens, Filius hominis, & frater noſter fieri dignatus es; immo ſervi formam accepiſti, ſicque in terris viſus, cum hominibus converſatus, & ſalutem noſtram operatus es in medio terræ. Et demum conſummato Redemptionis opere, reverſus es ad eum qui miſit te; ut nos quoque in cœlum reciperes, hæredes quidem Dei, tuos autem cohæredes.

Itaque per Matrem tuam, ô Ieſu, acceſſum habeamus ad te, qui per ipſam datus es nobis. Excuſet apud te, integritas ejus culpam noſtræ corruptionis: & humilitas ejus tibi tam grata noſtræ veniam impetret vanitati; & ſuperbiæ copioſa charitas ejus noſtrorum cooperiat multitudinem peccatorum: & fœcunditas ejus glorioſa fœcunditatem nobis conferat meritorum. Inprimis vero rogamus per ipſam, ut

Sancti-

Sanctificetur nomen tuum.

Magnus enim es Domine,& laudabilis nimis: ſed non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris. Ergo ſuccurrat inopiæ & indignitati noſtræ Virgo Deipara, Mater, inquam, tua. Nam ſi à laudato laudari, ea demum vera laus eſt, quis hominum, imo quis Angelorum ad ſanctificandum Nomen tuum tam erit idoneus, ac ſanctiſſima Mater tua?

Et ecce, Magnificat anima ejus Dominum, quia feciſti ei, & per eam nobis magna, qui potens es, & ſanctum Nomen tuum; ut beatam modo dicant eam omnes generationes. Hæc laus & gloria Matris redundet in Filium. Et dum Matris tam admirabilis nomen & magnalia omnis celebrat Eccleſia; Nomini tuo, ô Ieſu, detur gloria, ut flumina ad locum, unde exeunt, revertantur; & iterum fluant uberius.

Adveniat regnum tuum.

O Ieſu Fili David, qui natus es Rex Iudæorum de Maria Virgine, Cœli Regina, ut nos Regno extorres reduceres, & Rex eſſes ſuper nos, regnaturus in domo Iacob, cujus Regni non erit finis. Quando enim placuit regiæ clementiæ tuæ viſitare plebem ſuam, à qua diu elongata fuerat; hæc ſola Virgo digna inventa fuit, in cujus virginali aula, tu Rex Regum à regalibus ædibus veniens, thronum tibi, & primam manſionem inter filios hominum eligeres. Illud itaque Regnum nobis adveniat, cujus ut nos cohæredes efficeres, ingreſſus in uterum Virginis, & exinaniſti temetipſum formam ſervi accipiens; in qua contumelias, injurias, flagella,& mortem denique Crucis pati voluiſti, & ita intrare in gloriam tuam. O Rex gloriæ, deſtrue regnum peccati & Satanæ; & regna in nobis modo per gratiam; ut demum nos tecum regnemus in gloria.

Fiat voluntas tua.

Fac nos, ô Domine, prompte & alacriter tuæ obedire voluntati; idque exemplo Matris tuæ, quæ ad inſolitum Angeli conſpectum,& affatum turbata quidem eſt; mox tamen voluntati tuæ ſe promptiſſime ſubmiſit, dicens; *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Immo & tuo ipſius exemplo,qui etſi verus Deus,tamen paruiſti Matri, nec non Patri Nutritio tuo; *Et eras ſubditus illis.* Nonne Deo ſubjecta erit anima mea, imo etiam homini propter Deum, quando & Matri Dei, & ipſi Deo, nihil prius fuit quam parere.

Panem noſtrum quotidianum.

Tum Corpori, tum Animæ neceſſaria de manibus tuis exſpectamus. Scis enim, ô Pater, quia his omnibus indigemus. Sed & Mater tua noſtri ſollicita pro filiis ſupplicat. Nam uti quondam in nuptiis inopiam Sponſi & Sponſæ non diſſimulat; ita & noſtri quoque curam gerit, tibique penuriam miſerorum ſuggerit. Audi ô pie Ieſu intercedentem pro nobis. Tune qui miſertus ſuper turbas, tot millia ſæpius ſatiaſti, nobis per Matrem rogantibus Panem negabis?

Sed ecce PANEM, quem inprimis deſidero, illa ipſa Mater tua coxit in utero ſuo. Memento Domine, quia caro es de carne ejus, in Bethleem, id eſt, in Domo Panis, genitus; & per eam in præſepio, velut pabulum jumentorum repoſitus. Et an ut jumentum factus ego ſum ante te. Quis det mihi frequenter & competenter edere de fructu illo ventris, quem terra illa benedicta, quæ omnino inculta nec foſſa, nec ſeminata, de ſolo rore cœli germinavit, Panem Angelorum, alimoniam vitæ æternæ. Paſce me pro neceſſitate corporis, ſed inprimis animæ, qui das eſcam omni carni, & pullis corvorum invocantibus te. Aperis manum tuam, & imples omne animal benedictione.

Et

Et dimitte nobis debita.

Nam grandi debito tibi nos obſtrictos fatemur,& pluſquam decem millia talentorum tibi debemus. Heu bone Ieſu, ſolvendo non ſumus. Sed apud te Domine,miſericordia. Et ecce Advocatam pro nobis apud te Matrem tuam. Nemo enim ad hoc tam idoneus, ut hæc Mater amantiſſima, Mediatrix noſtra, per quam primum ſuſcepimus miſericordiam tuam Deus. Hæc eſt illa,in qua inæſtimabile opus miſericordiæ quod prædeſtinaſti ô Deus, ante ſecula in redemptionem noſtram, primum à te mundi Artifice fabricatum eſt. Hæc eſt illa, in cujus utero ſalus mundi initiata eſt. Ibi ruptus eſt paries inimicitiarum, quem inter Cœlum & terram Protoplaſtorum inobedientia conſtruxerat. Ibi confœderata ſunt terrenis cœleſtia, & obviaverunt ſibi in oſculo pacis Miſericordia & Veritas,quando in unam eandemque perſonam concurrerunt divinitas & humanitas. Itaque qui mediante Matre tua dignatus es fieri particeps infirmitatis & miſeriæ noſtræ, ipſa quoque intercedente participes nos fac pietatis ac miſericordiæ tuæ. Audi dulciſſimam Matrem tuam ô Ieſu, nec enim decet, ut confundas faciem ejus, aut quidquam deneges Matri tuæ. Audi & ſalva nos Ieſu, pro quibus Virgo Mater te orat.

Et ne nos inducas in tentationem.

Timemus enim, ne ſicut ſerpens Hevam ſeduxit aſtutia ſua,ita corrumpantur ſenſus noſtri. Verum id nos ſolatur, quod divina ſapientia jam olim,id eſt,mox poſt inflictam plagam, ſaluti noſtræ proſpiciens, inter ſerpentem & ſemen mulieris inimicitias poſuerit; ipſa vero caput ſerpentis,per ſemen,ſeu fructum ventris tui contriverit. Nam ut culpam,quæ ſuggeſtione ſerpentis irrepſit in mundum, expiares, de Virgine immaculata, in qua nihil ſuum malignus tentator invenit, naſci voluiſti.

Per hanc itaque rogamus, ô Ieſu, contere Satanam ſub pedibus noſtris: Elide omnes tentationum vires, & verſutias, ne quando dominentur nobis inimici noſtri. Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte peccati; ne quando dicat inimicus meus, Prævalui adverſus eum.

Sed libera nos à malo.

Quodcunque tandem illud ſit, quod animæ detrimentum, vel ſaluti diſcrimen adferre poſſit. Nam ut à corporis malis & incommodis omnino vivamus immunes; vix id audemus petere, aut ſperare: cum id ne quidem chariſſimæ pariter & innocentiſſimæ Matri tuæ conceſſum ſit. Nimirum peracerbus ille doloris gladius transfigere debuit animam ejus: Crucis tuæ & ipſa Mater tua conſors eſſe debuit. Et quis noſtrûm hic eſſe volet eximius?

Ergo malum, quodcunque nobis evenire voles, fac ne noceat animæ. Sic potius nos & noſtra rege, ut omnia nobis cooperentur in bonum. Vnde, ſicut jam moriturus, Matris geſſiſti curam, eam dilecto commendans Diſcipulo; ſic nos Matri, & per ipſam tibi commendatos fove, ac protege ſub umbra alarum tuarum; ut non accedat ad nos *malum*; & flagellum non appropinquet tabernaculo noſtro. Amen.

MEDITATIO

In Salutationem Angelicam.

POſt Orationem Dominicam, *frequentior uſus* Salutationis Angelicæ *jam paſſim inter pios fideles obtinuit; quam recte & merito, oſtenſum eſt ſæpius: & res ipſa convincit. Eſto, ringantur invidi; cavillentur Mariomaſtiges, & impii; nobis non poteſt non vehementer probari mos* Virginem *ſalutandi & orandi* formula, *quæ Cœlo allata eſt per Dei Nuncium; immo, quæ Deum*

Deum habet auctorem; nam inſtructum à Deo veniſſe Legatum hunc, quis dubitet?

Sic ergo etiam hodie merito recteque honorabitur Virgo, quam Deus olim ita voluit honorare. Sed age, paucis monſtremus uſum & ſcopum Salutat. Angel. *Nam ſuccincta verbis, ſed prægnans myſteriis, majorem ſui, toties repetita, dabit guſtum, ſi ruminetur paulo diligentius.*

Nihil quidem tam dignum ac conveniens Homini Chriſtiano, quam Redemptionis *ſuæ pia ac frequens* memoria: *At cum primum & præcipuum illius myſterium ſit* Incarnatio Filii Dei; *hanc ipſam vero miſſa cælitus ad* Virginem *legatione perficere ſtatuerit Divina Sapientia; quis neget, decens eſſe, & gratum Deo pietatis officium, illa ipſa* Verba, *quibus tantum Myſterium, (per tot jam ſecula exſpectatum, tot tantiſque ſuſpiriis deſideratum) ab Angelo nunciari voluit, crebro revolvere: adeoque* Salutationem, *quâ Legatus è Cœlo miſſus, primum compellavit Virginem tanto deſtinatam Operi, in delitiis habere? præſertim cum id fiat, ut Salutando* Virginem *à Deo ſic prædilectam, & electam ex omnibus in Matrem,* beneficium *præcipue* Redemptionis *noſtræ, &* Dominicæ Incarnationis *opus grata mente recolamus.*

Porro *dum pie ſalutamus* Virginem, *quid ni ſalutationis ab ea exſpectemus vicem?* Nimirum *ſalutantibus viciſſim referet ſalutis optationem, aut potius opem. Quomodo enim Mater in devotos Clientes, Filii ſui futuros cohæredes, tam benevola, materna ſuper eos continere poterit viſcera, præſertim quando gratam tanti Myſterii, in ipſa olim peracti, memoriam ingerimus? tunc, ſane, ad fructus & beneficia ejus in nobis promovenda ſupplici prece Filium compellare gaudebit.*

Quid enim gratius clementiſſimæ Matri, quam ſi id nobis obtineat, propter quod facta eſt Dei Mater; ſeu, cujus cauſſâ factus eſt in ipſa Deus homo? Fruſtra autem & ipſa Dei Mater, & Deus homo; ſi homo non fieret divinæ conſors naturæ, ſeu compos ſalutis. Hoc ut avertat Deus, rogemus per Matrem, ſalutantes eam ex animo,

Ave Maria.

SAlve & gaude ô beatiſſima, puriſſima, & digniſſima Virgo Maria! ô præclara Stella Maris, quæ clarius ceteris fulges ſideribus in tenebris hujus ſeculi: quæ tam honorifice ſalutaris ab Archangelo cœlitus ad te miſſo; & ab Eliſabeth cognata tua, Spiritu inſtructa divino: & nunc quoque ab omni congregatione fidelium tui Amoris & Honoris deſiderio: Ecce laudo ac ſaluto te, & gratulor tibi, ô ſanctiſſima Virgo & Mater: Et in te laudo Deum Patrem, qui Filium ſuum unicum, fecit & tuum; unaque noſtrum omnium Fratrem. Laudo Deum Filium, qui te ſibi elegit in Matrem, ut per te ſe nobis exhiberet Salvatorem. Laudo Deum Spiritum S. qui hoc opus ineffabile, in utero tuo, virtute ſua mirabili conſummavit.

Gratia plena.

IRa & maledictio in omnes Filios Adæ. Tu autem inveniſti gratiam apud Deum: imo gratia plena es; omni vacua vitio, & cunctis virtutibus, ac donis gratiæ referta. Quid mirum, ſi gratia plena, quando plenitudo divinitatis in te habitavit corporaliter? cum ipſe Fons gratiæ & ſalutis auctor, tibi ſoli ſeſe penitus infudit; & per te velut rivum ſeu canalem in omnes effundi voluit? Cæteris quidem Sanctis minore menſura data eſt gratia: tibi ipſa ſe infudit plenitudo gratiæ. Etenim nonnullos quoque plenos gratia legimus; ſed tu *plena*, valde differenter & præcellenter ab illis. Nam ubi vaſa majora & minora implentur; omnia quidem plena; Sed ibi tamen major abundantia liquoris, ubi major capacitas vaſis. At quanta hæc fuerit in te, ut caperes Deum, quem totus non capit orbis? ut, inquam, eſſes Dei Mater, Cœlorum Regina, Angelorum Domina, Hominum Mediatrix & Advocata?

Ad

Ad quid vero *plena*, niſi ut in nos quoque redundes? Vtinam deriventur aquæ tuæ foras: fluant in nos aromata illa, chariſmata ſcilicet gratiarum, ut de plenitudine tanta nos omnes accipiamus.

Sit pietatis tuæ, ô Virgo beata, ipſam, qua plena es, gratiam diffundere, ut redundante benignitatis tuæ vena, accipiant rei veniam, medelam ægri, puſilli corde robur, afflicti conſolationem, periclitantes opem & liberationem: Vtinam vel guttulam ego merear de plenitudine tanta, ad rigandum ſiccum & aridum cor meum.

Dominus tecum.

O Dives & beata poſſeſſio, cujus Dominus Deus ejus! Quid ibi non ſit boni, ubi adeſt Dominus, fons ipſe totius bonitatis? Vtique cum Dei ſint omnia; poſſidenti Deum nihil deeſſe poteſt. Vere tecum Dominus, qui cum juſtis omnibus: tecum vero multo excellentius, per ſpecialem gratiam, & peculiarem providentiam; tecum in animo, tecum in utero. Virtus Altiſſimi (Dei Patris) obumbravit tibi. Spiritus S. ſupervenit in te. Verbum caro factum prodiit ex te. Dominus tecum; & in te, uti Rex in Solio, ſponſus in Thalamo, Amicus intimus in amico; imo multo intimius, & arctius. Fac ô Domina, ut mecum ſit Dominus, per gratiam, qui tecum fuit per arctiſſimam amoris unionem, & corporis præſentiam: Omnia haud dubie aderunt bona, quem penes erit Dominus, nec ulla timebo mala, ſi mecum fuerit Dominus.

Benedicta tu in mulieribus.

VTique benedicta in mulieribus, quæ ſola placuiſti ſummo Regi ex tot millibus. Merito benedicta quæ tot votis & ſuſpiriis expetita: tot ſeculis expectata, tot vaticiniis prænunciata. Vere benedicta in mulieribus, quæ à communi maledictione, & conditione

mulierum eximia; ita ut nec ſterilis maneas, nec virginitatem perdas, nec cum dolore parturias.

Cæterum dura neceſſitas, & grave jugum ſuper omnes alias filias Evæ; ſi fœcundæ, fœdantur & cruciantur. *Gen.* 3. ſi ſteriles, maledicuntur. *Exod.* 23. Tu ſimul & fœcunda, & munda; & cruciatus expers, maledictionem Evæ convertiſti in benedictionem.

Maledicta olim terra in opere Prævaricatoris; quæ etiam exercitata ſpinas & tribulos germinat heredibus maledictionis. At nunc benedicta terra in opere Redemptoris, quæ remiſſionem peccatorum, fructumque vitæ parturit univerſis; & filiis Adæ ſententiam originalis maledicti diſſolvit.

O Benedicta, utpote Mater Filii, in quo benedicentur omnes Gentes; & hinc beatam te quoque dicunt omnes generationes, quia fecit tibi magna qui potens eſt. Concipis enim, ſed ſine concupiſcentia: gravida es, ſed non gravata. Paris, ſed ſine triſtitia. Neſcis virum, & gignis Filium. O qualem Filium! Illius ſis vera Mater, cujus Deus eſt verus Pater; Deum paris, & de Deo concipis; Virgo fœcunda; caſta puerpera; Mater intacta: Quid ni ergo Benedicta tu in mulieribus?

Et benedictus Fructus ventris tui Ieſus.

BEnedictus, inquam, quia auctor gratiæ, & fons omnis benedictionis, in quo benedictæ ſunt omnes Gentes. Hunc in te benedicimus & laudamus, ô Virgo benedicta, quem etiam ſolum ſuper omnia laudat & magnificat anima tua, quia magna & mirabilia hæc, quæ miramur & veneramur in te, fecit tibi, qui potens eſt ſuper omnia, Benedictus Deus in ſecula.

Eva fructum mortis comedit; & nos quoque peremit: Tu fructum vitæ mundo protuliſti, & ecce reviximus. O beatus venter, qui talem nobis fructũ portavit & peperit.

Læ-

Lætaris & epularis hodie, ô ſancta Parens, ſed in ſpecie altera de fructu ventris tui. Eja Mater, ſaturare gloria Filii tui; ſed dimitte reliquias tuas parvulis tuis. Tu jam ad menſam Domina; nos ſub menſa catelli. Sicut oculi ancillæ in manibus Dominæ ſuæ, ita animæ noſtræ famelicæ de te præſtolantur alimoniam vitæ. Per te fructum vitæ communicavimus in menſa præſentium myſteriorum; per te eundem Fructum vitæ communicemus in menſa perennium gaudiorum, Ieſum benedictum Fructum ventris tui. Amen.

De uſu & Elogiis *Salutationis Angelicæ.* Vide in VIATORE noſtro *Chriſtiano* ſuaviſſima verba *Thomæ de Kempis* Par. 2, pag. 154.

Hæc nos paulo, quam ferebat inſtitutum, prolixius, in gratiam eorum, quibus non ſapit toties repetitum, AVE MARIA.

PAVLVS V. Pontifex conceſſit recitantibus AVE MARIA ad horæ pulſum, centum dies indulgentiarum.

CAP. III.

LITANIÆ

De B. MARIA Virgine,

ex Scriptura Sacra;

Pleraque ſenſu allegor. & accommod.

KYRIE ELEISON. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.
Chriſte audi nos.
Pater de cœlis DEVS, miſerere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miſerere nobis.
Spiritus S. Deus, miſerere nobis.
S. Trinitas unus Deus, miſerere nobis.

S. Maria,	
S. Dei Genitrix,	
S. Virgo Virginum,	
S. Maria Mater Viventium,	*Gen.* 3.
S. Maria ab æterno ordinata,	*Prov.* 8.
S. Maria gloria Ieruſalem,	*Iudith.* 15.
S. Maria Patribus promiſſa,	*Iſa.* 7.
S. Maria myſticis miraculis præſignata,	*Exo.* 3, *&c.*
S. Maria Oraculis propheticis prænunciata,	*Iſa.* 7.
S. Maria caput Serpentis conterens,	*Gen.* 3.
S. Maria ex ſtirpe David progenita,	*Matt.* 1.
S. Maria ſtella Iacob,	*Num.* 24.
S. Maria tabernaculum Dei cum hominibus,	*Apoc.* 21.
S. Maria Lilium inter Spinas,	*Cant.* 2.
S. Maria rubus ardens incombuſtus,	*Exod.* 3.
S. Maria vellus Gedeonis,	*Iud.* 6.
S. Maria thronus Salomonis,	2 *Reg.* 1.
S. Maria mulier fortis,	*Prov.* 31.
S. Maria univerſas filias ſupergreſſa,	*Ibid.*
S. Maria ſpeculum ſine macula,	*Sap.* 7.
S. Maria ſtella matutina,	*Eccl.* 5.
S. Maria Aurora conſurgens,	*Eccl.* 6.
S. Maria electa ut ſol,	*Cant.* 6.
S. Maria Caſtrorum acies ordinata,	*Ibid.*
S. Maria Turris eburnea,	*Cant.* 7.
S. Maria favus diſtillans,	*Cant.* 4.
S. Maria Hortus concluſus,	*Ibid.*
S. Maria Fons ſignatus,	*Ibid.*
S. Maria puteus aquarum viventium,	*Ibid.*
S. Maria juſto Ioſeph deſponſata,	*Matt.* 1.
S. Maria inviolabile virginitatis propoſitum amplexa,	*Luc.* 1.
S. Maria ancillam Domini, ad obediendum ei, te profeſſa,	*Luc.* 1.

Ora pro nobis.

S. Maria

S. Maria ab Angelo honorifice ſalutata, *Luc.* 1.
S. Maria gratia plena, *Ibid.*
S. Maria inter mulieres benedicta, *Ibid.*
S. Maria à Spiritu S. obumbrata, *Iibid.*
S. Maria fœmina circumdans virum, *Ier.* 31.
S. Maria Mater Domini, *Luc.* 1.
S. Maria Mater veri Salomonis, *Matt.* 12.
S. Maria mulier amicta ſole, *Apoc.* 12.
S. Maria Eliſabeth cognatam viſitans, *Luc.* 1.
S. Maria terra benedicta germinans Salvatorem, *Iſa.* 45.
S. Maria porta ſoli Principi pervia, *Ezech.* 44.
S. Maria Virga Aaronis florida, *Num.* 17.
S. Maria Mons, de quo ſine manibus abſſciſſus eſt lapis, *Dan.* 2.
S. Maria cum ſponſo Ioſeph in Bethleem profecta, *Luc.* 2.
S. Maria Filium enixa, & in præſepio reclinans, *Ibid.*
S. Maria puerpera, à Paſtoribus & Magis viſitata, *Ibid. &* *Matt.* 2.
S. Maria Filium juxta legem circumcidi ſuſtinens, *Luc.* 2.
S. Maria legi Purificationis ſponte te ſubjiciens, *Ibid.*
S. Maria in Ægyptum cum Filio & Sponſo profuga, *Matt.* 2.
S. Maria ex Ægypto in terram Iſraël reverſa, *Ibid.*
S. Maria quæ Filium triduo dolens quæſiviſti, *Luc.* 2.
S. Maria quæ Filium in Templo gaudens inveniſti, *Ibid.*
S. Maria nuptias præſentia tua, una cum Filio honorans, *Ioan.* 2.

Ora pro nobis.

S. Maria Filio defectum vini in Nuptiis inſinuans, *Luc.* 2.
S. Maria quæ ſtabas juxta Crucem Filii, *Ioan.* 19.
S. Maria dilecto Diſcipulo commendata, *Ioan.* 19.
S. Maria doloris gladio transfixa, *Luc.* 2.
S. Maria Spiritu S. in die Pentecoſtes repleta, *Actor.* 1.
S. Maria, quæ cunctis generationibus beata prædicaris, *Luc.* 1.

Ora pro nobis.

Per æternam electionem tuam in Matrem Filii Dei,
Per amorem Filii tui unigeniti,
Per gaudium Angelorum in Nativitate Ieſu Filii tui jubilantium,
Per Sanguinem ejus tenellum, primum in Circumciſione fuſum,
Per dulcedinem amoris, quo foviſti Filium infantem, & virgineis uberibus lactaſti,
Per adorationem, & myſtica munera Magorum,
Per oblationem Filii tui in Templo,
Per affectus amoris, gaudii, gratitudinis, admirationis, laudis, *&c.* quos viſis tot Filii mirabilibus concepiſti,
Per omnes anguſtias, moleſtias, incommoda, quæ primum in Bethlehem, cum non eſſet tibi locus in diverſorio, deinde fugiens in Ægyptum experta es,
Per humillimam obedientiam Filii, qua tibi & Ioſepho ſubditus erat,
Per dolorem materni cordis, quo abeuntem ad Paſſionem Filium proſecuta es,
Per gladium acerbiſſimi doloris, qui ſub Cruce Filii pertranſiit animam tuam,
Per gaudium ex Reſurrectione Filii perceptum,
Per inæſtimabilem exultationem cœleſtis curiæ in Aſſumptione tua,

Te rogamus audi nos.

Vt

Vt Filio tuo nos commendare & reconciliare digneris,

Vt promptam Filio tuo in omnibus parendi voluntatem nobis obtineas,

Vt in neceſſitatibus & anguſtiis noſtris Filii tui clementiam nobis exorare digneris,

Vt in omni tribulatione vinum divinæ conſolationis nobis impetres,

Vt nos tanquam Mater filios tenellos continuo fovere, ac protegere digneris,

Vt nobis in horis mortis adſiſtere, ac ſerpentem calcaneo noſtro inſidiantem reprimere digneris,

Vt oculos tuos miſericordes ad nos Advocata noſtra convertas,

Vt fructu ventris tui nos æternum frui facias,

Te rogamus audi nos.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi, *&c.*

Pater Noſter. Ave Maria.

℣. Dignare me laudare te Virgo ſacrata.

℟. Da mihi virtutem contra hoſtes tuos.

℣. Diffuſa eſt gratia in labiis tuis.

℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

℣. Poſt partum Virgo inviolata permanſiſti.

℟. Dei Genitrix intercede pro nobis.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

PRotege Domine famulos tuos ſubſidiis Pacis, & B. Mariæ ſemper Virginis patrociniis confidentes, à cunctis hoſtibus & periculis redde ſecuros.

Concede nos famulos tuos quæſumus Domine, perpetua mentis & corporis ſanitate gaudere, & glorioſa B. Mariæ ſemper Virginis interceſſione à præſenti liberari triſtitia, & æterna perfrui lætitia.

A cun-

A cunctis nos quæſumus Domine mentis & corporis defende periculis, & intercedente B. & glorioſa ſemper Virgine, Dei Genitrice Maria, cum beatis Apoſtolis tuis Petro & Paulo, atque beato N. & omnibus Sanctis, ſalutem nobis tribue benignus & pacem, ut deſtructis adverſitatibus, & erroribus univerſis, Eccleſia ſecura tibi ſerviat libertate. Per eundem Dominum noſtrum.

CAP. IV.

ROSARIUM DEIPARÆ VIRG. MARIÆ.

Ex Vita & Elogiis ejuſdem.

ADMONITIO de ſequentis Roſarii ſcopo & uſu.

Vitam Chriſti Salvatoris Roſario Rhythmico; & grata ad uſum quotidianum methodo, digeſtam habes Sect. 6. Similem operam beatiſſimæ Redemptoris Matri, ejuſque Cultoribus non ingratam fore ratus, ſequens Roſarium adornavi.

In utroque hoc potiſſimum ſpectavi, ut Chriſti, & matris ejus Mariæ vitam ac Elogia præcipua, velut uno faſce & intuitu tibi ponerem ob oculos; & devotis pariter meditationibus, & piis affectibus materiam ſuggererem.

Tu itaque alternis piæ mentis exercitiis Chriſtum & Chriſti Matrem cole: Gratior autem ipſis, aut utilior tibi cultus non erit, quam ſi imitari ſtudeas, quos colis. Præclara utrobique omnium virtutum exempla fulgent; eaque paſſim Roſarium *utrumque ſatis indicat.*

De Chriſti vita ac virtutibus, tum meditandis, tum imitandis, habes Sect. 6. Sed nunc quid potiſſimum in Chriſti Matre mireris, ac imiteris, id malo ut ex mellifluo Ambroſii ore diſcas. Sit vobis (*inquit ille*) tanquam in imagine deſcripta Virginitas,

Vita-

Vitaque B. Mariæ, de qua velut ſpeculo relucet ſpecies caſtitatis, & forma virtutis. Hinc ſumatis licet exempla vivendi, ubi tanquam in exemplari magiſteria expreſſa probitatis, quid corrigere, quid effugere, quid tenere debeatis, oſtendunt. Virgo erat non ſolum corpore, ſed etiam mente, corde humilis, verbis gravis, animo prudens, loquendi parcior, legendi ſtudioſior, intenta operi, verecunda ſermone, arbitrum mentis, ſolita non hominem, ſed Deum quærere.

Nihil torvum in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu inverecundum. *Et poſt multa ſubdit:*

Talis denique fuit *Maria*, ut ejus unius vita omnium diſciplina ſit. Si igitur auctor non diſplicet, opus probemus: ut quicunque ejus optat præmium, imitetur exemplum, &c. *Hæc Ambroſ. lib. 2. de Virginibus.*

S. BERNARDVS Homil. 4 ſuper Miſſus.

Ne avertas oculos tuos à fulgore hujus ſideris (Mariæ) ſi non vis obrui procellis: ſi inſurgunt venti tentationum, reſpice ſtellam, voca Mariam, &c. *Ipſam ſequens non devias: Ipſam rogans non deſperas: Ipſam cogitans non erras. Ipſa tenente non corruis. Ipſa protegente non metuis. Ipſa duce non fatigaris. Ipſa propitia pervenis, & ſic in temetipſo experiris, quam merito dictum ſit: Et nomen Virginis Maria.*

DECAS I.

SAlve *Mater* Pietatis,
Per æternum *Trinitatis*
Condita conſilium.
Vt immenſum, Increatum
Verbum Patris, incarnatum
Mater gignas *Filium*.
Pater noſter.

Gaude Cœlum & mirare;
Pſalle terra, plaude Mare;
Deum laudent omnia.
Nam *Creator* Potens jure,
Novo fœtu Creaturæ.
Mundo parat gaudia.
Ave Maria.

O quam felix & præclara;
Deo grata, nobis cara
Vir-

Virginis *Conceptio!*
Quæ parentes infecundos
Prole beat, nos immundos
Vitæ beneficio.
Ave Maria.
O quam præſtans atq; pura,
Quæ tranſcendens carnis jura
Neſcit improperium!
Eja clauſum plaude Cœlum,
Recreatur en anhelum
Patrum deſiderium.
Ave Maria.
O quam felix fulſit hora,
Qua conſurgens hæc *Aurora*
Mortis umbram diſſipat!
Quæ natalem nacta purum,
Tota pulcra jam venturum
Mundo *Solem* nunciat.
Ave Maria.
O Beata, quæ futura
Dei Mater es Natura;
Nobis Mater Gratiæ.
Paradiſus Voluptatis,
Et Aſylum Libertatis;
Cauſſaque lætitiæ.
Ave Maria.
Novum zeli mox exemplũ
Das tenella, petens Templum
Præſentanda Domino.
Et ter qui nos trima ſcandis
Gradus, prima caſto pandis
Vota libens animo.
Ave Maria.
Hinc devota famularis,
Manens templo, nec laſſaris
Domini ſervitio.
Pſallis, oras, & laboras;
Deum laudas, & honoras
Proximos officio.
Ave Maria.
Hinc accendunt omnem ſexum
Caſtitatis ad amplexum
Virginis veſtigia.
Erat olim laus fœcundis,
Sed jam nova profert mundis
Virgo privilegia.
Ave Maria.
Ergo Matrem Salvatoris
Votum cordis, & vox oris
Celebret in jubilo.
Cujus Ortus Medicinam,
Cujus Vita vim divinam
Dat languenti ſæculo.
Ave Maria.
Te rogamus voto pari,
Fac nos portu ſalutari
Dei ſiſtat gratia.
Da Virtutem caſtæ mentis;
Ne, quem calcas tu, Serpentis
Perdat nos verſutia.
Ave Maria.
Pater *ſummæ Majeſtatis*,
Ieſu *Rex Clementiæ*,
Spiritus *Fons Sanctitatis*,
Vnius Potentiæ.

Per tot dona pietatis
Auctor indulgentiæ,
Confer opem deſolatis,
Et augmenta gratiæ.

DECAS II.

SAlve Virgo *Salutata*,
Et mox fructu fœcundata,
Quo *Salvantur* ſæcula.
Verbum Virgo concepiſti,
Paranympho dum fuiſti
Gabrieli credula.
Pater noſter.

Regi Regum quam fuiſti
Digna ſponſa! Quæ fulſiſti,
Vt in ſpinis lilium.
Sic conſortem jam naturæ,
Sed mutato carnis jure,
Dei capis *Filium.*
Ave Maria.

Virgo Viro deſponſaris;
Sed fis Mater expers maris,
Virgo geſtas uterum.
Ioſeph timet, ſed ſecurum
Reddit Angelus, & purum
Promovet conjugium.
Ave Maria.

Rubus olim ardeſcebat;
Sed nil ignis depaſcebat;
Quin illæſus viruit.
Sic virtute ſpiritali,
Salvo flore virginali
Virgo Deum genuit.
Ave Maria.

O mirandam novitatem!
Matris ornat caſtitatem
Filii conceptio!
Eva mortis tulit ictum;
Ave delet maledictum,
Cedit jam deceptio.
Ave Maria.

Prima Parens nobis luctum,
Sed Secunda vitæ fructum
Protulit cum gaudio.
Eva, jugo Servitutis,
Sed Maria nos Salutis
Afficit remedio.
Ave Maria.

Tu naturæ contra ritum,
Arcto prægnans Infinitum
Ventre claudis parvula.
Homo *Deum*, Stella *Solem*,
Nata *Patrem*, Virgo *Prolem*,
Antiquum Iuvencula.
Ave Maria.

Vno ſinu capis Agnum,
Et Leonem, Parvum, Magnum,
Finem & Principium.
Et mortalem, Æternumque,
Et Cœleſtem, Terrenumque,
Servum atque Dominũ.
Ave Maria.

Hujus nodum Sacramenti
Non ſubtilis arguenti
Pandet indagatio.
Noſſe

Noſſe modum non eſt meum:
Scio tamen poſſe Deum,
Quod non capit Ratio.
Ave Maria.
Quis non laudet & lætetur?
Quis non gaudens admiretur
Opus tantæ gratiæ?
Vt aſcendat Homo reus.
Quo deſcendit potens Deus
Servi tectus ſpecie!
Ave Maria.
Et tu Virgo tam præclara,
In qua geſta tam ſunt rara
Domini myſteria:
Per hæc, precor, nos peccatis,
Et terrenæ pravitatis
Exime miſeria.
Ave Maria.
Pater *ſummæ Majeſtatis*,
Ieſu *Rex Clementiæ*,
Spiritus *Fons Sanctitatis*,
Vnius Potentiæ.
Per tot dona pietatis
Auctor indulgentiæ,
Confer opem deſolatis,
Et augmenta gratiæ.

DECAS III.

SAlve Virgo Chriſti Parens,
Virgo ſalve labe carens,
Salve Flos ô virginum.
Donum geſtans ſingulare,
Paritura ſine pare
Mox Ancilla Dominum.
Pater noſter.
Pergens ergo poſt conceptum
Per montana, mox effectum
Tantæ monſtras Gratiæ.
Hinc cum Matre Viſitata
Senſit proles nondum nata
Tuæ vim præſentiæ.
Ave Maria.
Dum ſe Matres amplexantur,
Mox utrinque revelantur
Prolium magnalia.
O quam pium fert Amorem,
Quantum præſtat & Honorem
Virginis præſentia?
Ave Maria.
Ecce manus Prophetarum
Mox percepit jubar clarum
Salutante Domina.
Et quis erit peccatorum,
Quem non dives meritorum
Beet tanta Fœmina?
Ave Maria.
Quiſquis ergo ſis, memento,
Quantum noſtri munimento
Favor proſit Virginis.

Cui Deus Majeſtatis
Magna tot, vi poteſtatis
Cauſſa *Fecit* hominis.
Ave Maria.
Caput Anguis Hæc contri-
vit,
Cujus formam concupivit
Rex Æternæ gloriæ.
Nihil ira trux Serpentis,
Nihil in hanc vis frementis
Potuit invidiæ.
Ave Maria.
Hæc eſt *Virga* ferens Flo-
rem;
Felix *Terra*, Salvatorem
Germinans fidelibus.
In hac natum Cœli rore
Manna, grato dans ſapore
Robur viatoribus.
Ave Maria.
Hæc eſt ille *Fons* ſignatus,
Hortus clauſus, & rigatus,
Gratiæ fluminibus.
Hæc eſt *Vellus* trahens ro-
rem;
Ager plenus, dans odorem
Cunctis terræ finibus.
Ave Maria.
Hæc eſt *Thronus* Salomonis,
Cui nullus par eſt in donis,
Arte vel materia.
Ebur candens *Caſtitatis*,
Aurum fulgens *Charitatis*,
Denotat myſteria.
Ave Maria.
Arca, Turris Hæc vocata,
Et Caſtrorum ordinata
Acies terribilis.
Lignum Vitæ, *Scala* Cœli,
Omni patens *Vrbs* Fideli,
Arx inexpugnabilis.
Ave Maria.
Porta Cœli, *Templum Dei*,
Maris *Portus*, ad quem rei
Currunt cum fiducia.
Nec auditum quod ſalutis
Implorata deſtitutis
Deneget auxilia.
Ave Maria.
Pater *ſummæ Majeſtatis*,
Ieſu *Rex Clementiæ*,
Spiritus *Fons Sanctitatis*,
Vnius Potentiæ.
Per tot dona pietatis
Auctor indulgentiæ;
Confer opem deſolatis,
Et augmenta gratiæ.

DECAS IV.

SAlve Mater novi moris,
Expers paris quæ dolo-
ris
Salvatorem Gentium
Nil hic fœdum, nil pro-
broſum:
Talem Matrem tam for-
moſum
Decet Puerperium.
Pater noſter.
Gigas velox, Pugil fortis,

 Prin-

Princeps pacis, victor mortis,
Rex immenſus gloria.
Ad currendam venit viam,
Complens in ſe Prophetiam,
Legiſque myſteria.
Ave Maria.

Sed ô vilis apparatus!
Cæli *Rex* ac Terræ natus
Pauper eſt obſequio.
Ecce Rector Angelorum,
Boum conſors & Paſtorũ,
Iacet in præſepio.
Ave Maria.

Homo ſuum parit Deum,
Fovet, tractat, nutrit eum,
Fert *Portantem* omnia.
Cibum *Pani*, potum *Fonti*,
Victum *Vitæ*, cunas *monti*
Soli præbes lumina!
Ave Maria.

Dulce Mater Os lactavit,
Cujus manus nos formavit,
Et dat eſcas omnium.
Qui ſe *Naſcens* in Conſortem,
Et in Lytrum *Paſſus* mortem,
Regnans dat in Præmium.
Ave Maria.

Sed cur mater ſummi regis
Vltro ſubis juſſa legis,
Legi non obnoxia?
Pura Tota cur purgari?
Cur vis pauper æſtimari
Vulgi portans munera?
Ave Maria.

Pulcra Trias ô Virtutum!
Quibus claret hic imbutum
Matris cor & *Filii*!
Obedire tam paratis,
O quis Amor *Puritatis*!
Quæ *Paupertas* animi!
Ave Maria.

Quos tranſgreſſor necat pomo,
Chriſtus ſalvat, factus *Homo*,
Miro prorſus ordine.
Adam primus per Conſortem,
Perdit nos; ſecundus mortem
Deſtruit in Virgine.
Ave Maria.

Num abhorres Peccatores,
Sine quibus nunquam fores
Tanto clara *Filio*?
Si non eſſent redimendi;
Nulla tibi pariendi
Redemptorem ratio.
Ave Maria.

Sed quam prompta ſis Amore,
Pro Materni cordis more
Dextram ferre miſeris;
Monſtras ſigni ſpe divini,
Dum pro Sponſis curã vini
Supplex Nato ſuggeris.
Ave Maria.

En

En ô Mater Pietatis,
Quantã noſtris ſpẽ rogatis
Tua dent præſidia!
Per te *Deum* quærit reus,
Ad quem per te venit *Deus*,
Sis amborum media.
Ave Maria.

Pater *ſummæ Majeſtatis*,
Ieſu *Rex Clementiæ*,
Spiritus *Fons Sanctitatis*,
Vnius Potentiæ.
Per tot dona pietatis,
Auctor indulgentiæ;
Confer opem deſolatis,
Et augmenta gratiæ.

D E C A S V.

SAlve *Mater* quæ pendentem,
Et pro nobis morientem
Cruce cernis Filium:
Heu, quis dolor! perdis Natum,
Cujus vice commendatum
Recipis Diſcipulum.
Pater noſter.

Qui ſurrexit vincens mortem,
Cœlo locat te conſortem,
Patris ſedens dextera.
Miro gaudes aucta dono,
Dum ſublimi fulges Throno,
Cœli calcans ſidera.
Ave Maria.

Sed nec Terra fas abſcondi
Corpus, ex quo Sator mundi,
Et ſalvator prodiit.
Iure carnis vincit jura,
Quæ non unquam peritura
Verbum Carne veſtiit.
Ave Maria.

Exaltatæ ſupra cœlos
O quo plauſu dulce melos
Cœli canunt Agmina!
Quidni? Cœlo, Terra, Mari,
Virgo debet celebrari,
Vndequaque Domina.
Ave Maria.

Ergo Virgo ſic promota
Cauſſa noſtri, noſtra vota
Promovenda ſuſcipe.
Quod ſi reos ſancta ſpernis,
Vt quid ſis prælata ternis
Hierarchiis, reſpice.
Ave Maria.

In hac valle lacrymarum
Nihil conſtans, nihil clarum;
Suſpecta ſunt omnia.
Quid hic nobis erit tutum?
Cum nec ipſa vel virtutum
Tuta ſit victoria?
Ave Maria.

Caro menti reluctatur,
Mundus carni ſuffragatur,
Nobis in perniciem.
Satan inſtat nos infeſtans,

Nunc ſe palam manifeſtans,
Nunc occultans rabiem.
Ave Maria.

Tot ac tantis laceſſiti,
Non valemus, heu, reniti,
Paſſi damna virium.
Hinc ſagittis tot ferimur;
Hinc diverſis irretimur
Laqueis venantium.
Ave Maria.

Sed Maria mater Dei
Tu poſt Natum fida *Spei*
Anchora Fidelium.
Tu Solatrix miſerorum,
Tu Patrona peccatorum
Preſſis fer auxilium.
Ave Maria.

Intendentes tuæ laudi
Nos attende, nos exaudi,
Nos à morte libera.
Quæ poſt Chriſtum prima ſedes,
Inter Nati Cohæredes,
Clientes annumera.
Ave Maria.

Natus Patri cruentatum
Cor, & corpus vulneratum,
Sed tu monſtras ubera.
Et quis poſſit non audiri,
Vbi conſtat tot uniri
Amoris inſignia?
Ave Maria.

Pater *ſummæ Majeſtatis*,
Ieſu *Rex Clementiæ*,
Spiritus *Fons Sanctitatis*,
Vnius Potentiæ.
Per tot dona pietatis,
Auctor indulgentiæ;
Confer opem deſolatis,
Et augmenta gratiæ.

Cap. V.

Varii Hymni Rhythmici ad B. Virginem MARIAM.

Pia Meditatio in Salutationem Angelicam.

Numero verſuum XV, *annum ætatis indicans, qua* MARIA *Virgo ab Angelo ſalutata, &* DEI *Mater facta eſt.*

AVe Virgo, *Spes* ſalutis;
Eva tulit ſervitutis,
Tu tollis opprobrium.
O *Maria* deſperatis
Dans ſolamen, & damnatis
Vitæ reddens præmium.
Gratia tu ſingularis,

Maris

Maris ſtella *Solem* paris,
Dei gignens Filium.
Plena donis Vena fluis
Aquám Vitæ, malæ luis
Adferens remedium.
Dominus, qui cuncta regit,
Sibi Sponſam te ſelegit;
Dominamque Gentium.
Tecum manens, te munivit;
Caput Anguis mox contrivit
Nobile commercium.
Benedicta quæ præcellis
Et matronis, & puellis,
Major privilegio.
Tu fons roris, favus mellis
Plane dulcis, nulli fellis
Subjacens contagio.
In te nihil indecori,
Hinc te laudant omnes Chori
Supernorum Civium.
Mulieribus honore
Præis Mater, at amore
Corda trahis omnium.
Et quis tantæ puritatis;
Vt perſolvat digne ſatis
Virginis præconium?
Benedictus, qui fit Homo,
Servans, quos damnavit pomo
Adam primus hominum.
Fructus mire delicatus;
Et in cibum nobis datus
Robur fit languentium.
Ventris caſti natus flore,
Verum ſatus Cœli rore
Fructum pellit noxium.
Tui ſumus, en, Clientes,
Tu ſis Mater, & gementes
Duc ad Cœli gaudium.

HYMNVS

Ad Beatam Virginem MARIAM.

AVe Virgo ſingularis,
Mater noſtri *Salutaris*,
Cœli Decor, *Stella Maris*,
Arca mundi myſtica.
Nos in hujus Vitæ Mari
Ne permittas naufragari;
Sed favoris vela cari
Clemens in nos explica.
Sævit mare furunt venti,
Fluctus ſurgunt turbulenti;
Navis currit; ſed currenti
Heu, quot obſtant noxia!
Hic Sirenes voluptatis,
Mundus, Caro, cum Piratis
Mortem pæne deſperatis
Hæc intentant omnia.
Poſt abyſſos nunc ad Cœlum,
Fluens

Fluens unda fert phaſelum,
Nutat malus, fluit velum;
Fallax fugit Anchora.
Heu tabeſcit in his malis
Homo noſter animalis,
Sed tu *Mater* ſpecialis
Ad ſuccurſum propera.
Tu perfuſa Cœli rore,
Caſtitatis ſalvo flore,
Novum Fructum novo more
Protuliſti ſæculo.
Verbum Patri coæquale,
Corpus ſumat ut mortale,
Clauſtrum ſubit Virginale;
Latens hoc ergaſtulo.
Te prævidit & elegit,
Qui potenter cuncta regit,
Nec pudoris clauſtra fregit,
Sacra replens viſcera.
Contra primæ Matris morem,
Nec preſſuram, nec dolorem,
Pariendo Salvatorem,
Suſtinens puerpera.
Radix ſancta, radix viva,
Flos & Vitis, & Oliva,
Nulla quamvis inſitiva
Iuvit, ut fructificet.
Lampas Soli, ſplendor Poli,
Quæ fulgore præis Soli;
Nos commenda tuæ Proli.
Mœſtos fac lætificet.
O *Maria* pro tuorum
Dignitate meritorum,
Supra Choros Angelorum
Sublimaris unice.
Sede fulgens jam ſuperna,
Sorte gaude ſempiterna,
Pietate ſed materna,
Nos in imo reſpice.
In conſpectu Summi Regis
Sis devoti memor gregis,
Qui tranſgreſſus juſſa legis
Supplicat pro gratia.
En ſtat miſer pœna dignus:
Sed & Iudex en benignus
Reis ſpei dedit pignus
Crucis factus hoſtia.
Ieſu ſacri Ventris Fructus,
Nobis ſis per mundi fluctus
Via, Lux, Dux, & Conductus
Salvus ad cœleſtia.
Tene clavum, rege navem,
Tempeſtatem ſeda gravem,
Nos in portum induc ſuavem
Tua pro clementia,
Amen.

De

De ſeptem Gaudiis
B. MARIÆ Virginis.

I. *Gaudium.*

G*Aude* Virgo Mater
Chriſti,
Quia *Ieſum* concepiſti
Gabriele nuncio.
Ergo Mater, fac ſalvemur,
Nam quod *Matrem* te fatemur,
Noſtra Salus ratio.
Ave Maria.

II. *Gaudium.*

Gaude Mater *Deo* plena,
Novo gignens ſine pœna
Fœtum puerperio.
Eja Virgo peramœna,
Caſto natum mens ſerena,
Stringat deſiderio.
Ave Maria.

III. *Gaudium.*

Gaude quod ab Oriente
Magi ſtella prælucente
Dona ferunt Filio.
Fac donemur Pietate,
Fide, Spe, cum Charitate,
Pudoriſque lilio.
Ave Maria.

IV. *Gaudium.*

Gaude, quia dulcis Nati,
Quem vidiſti mortem pati,
Fulget Reſurrectio.
Fac ab imo vitiorum
Surgat mens, & ſupernorum
Guſtum ſpiret Actio.
Ave Maria.

V. *Gaudium.*

Gaude Cœlos Aſcendente
Nato, vides quem repente
Ferri motu proprio.
Via vitæ reſtituta,
Quam poſt Natum tu ſecuta
Fac ſequamur ſerio.
Ave Maria.

VI. *Gaudium.*

Gaude quia Paracletus
Miſſus Cœlo, novos fœtus
Igne format Entheo.
Igne ſacri nos Amoris
Fac accendi, ne laboris
Capiamur tædio.
Ave Maria.

VII. *Gaudium.*

Gaude quæ poſt Chriſtum
ſcandis

Aſtra Cœli, fiſque grandis,
Filii conſortio.
O fac Fructu Ventrís tui
Per te nobis detur frui
In perenni gaudio.
Ave Maria.

HYMNVS

De ſeptem doloribus beatiſſ. V. MARIÆ.

Dolor I.

A*Ve* dulcis Mater Chriſti,
Quæ cor tuum gladio
Transfigendum diſcis triſti
Senis vaticinio.
Tanti memor fac doloris,
Mihi ſis præſidio:
Vt poſt vallem hanc mœroris
Cœli reddar gaudio.
Ave Maria.

Dolor II.

Ave dulcis Mater Chriſti,
Quæ præ Regis furia,
Sævientis cæde triſti,
Fugis exul Patria.
O Regina Beatorum,
Noſtri Spes Exilii;
Fac infractus vi malorum
Fiam conſors Filii.
Ave Maria.

Dolor III.

Ave dulcis Mater Chriſti,
Natum lugens inclytum.
O quam triſtis quæſiviſti
Triduo jam perditum!
Hujus memor ô doloris,
Chriſtum fac inveniam,
Et inventum per Amoris
Nexum ſemper teneam.
Ave Maria.

Dolor IV.

Ave dulcis Mater Chriſti,
Quæ dilectum Filium
Capi, cædi, flens vidiſti
Manibus crudelium.
O per pœnas Patientis
Nobis ſit impunitas:
Per amorem Condolentis
Matris, creſcat charitas.
Ave Maria.

Dolor V.

Ave dulcis Mater Chriſti,
Quæ ſub Crucis arbore
Gemens, Natum morte triſti
Vides, heu, ſuccumbere.
O per enſem hunc Doloris,
Qui tunc ſcidit animam;
Fac

Fac me firmet Vis Amoris
Mortis ad Victoriam.
Ave Maria.

Dolor VI.

Ave dulcis Mater Chriſti,
Quæ de Cruce mortuum
Vlnis Natum ſuſcepiſti,
Madens unda fletuum.
Eja præſtet vis doloris,
Mater plena gratiæ,
Vt ſupremis ſerver horis
Gremio Clementiæ.
Ave Maria.

Dolor VII.

Ave dulcis Mater Chriſti,
Quæ ſepulchro conditum
Plangis Natum, heu quam triſti
Mente volvens abitum!
In virtute tot dolorum,
Quos tuliſti fortiter;
Omnem contra vim malorum
Stare nos viriliter,
Demum ſorte Beatorum
Fac gaudere jugiter.
Ave Maria.

S. AVGVSTINVS.

Omnes Mariæ patrocinia omni niſu imploremus, ut dum ſupplici obſequio eam frequentamus in terris, ipſa nos prece ſedula commendare dignetur in cœlis.

Idem: *Non eſt dubium, eam quæ meruit pro liberandis proferre pretium poſſe plus omnibus Sanctis, liberatis impendere ſuffragium. Te ſolam, ô* Maria, *pro ſancta Eccleſia ſolicitam præ omnibus Sanctis ſcimus, quæ impetras inducias transgreſſoribus, ut renuncient ſuis erroribus.*

Aſpiratio Horaria ad
B. Virginem.

O Maria *Mater gratiæ,*
Mater miſericordiæ,
Tu nos ab hoſte protege,
Et in hora mortis ſuſcipe.

Alius Hymnus ad Beatam Virginem.

S*Alve* Virgo ſtirps beata,
Fructu cujus inſtaurata
Vitæ ſunt primordia.
In Salutem præparata,
Deſperatis ſpes optata,
Ægris dans remedia.
Iuga legis quos premebant,
Ad te vota ſuſpendebant
Planctus & ſuſpiria.
In tormentis poſt te flebant,
Te lamentis requirebant
Captivorum agmina.
Templum facta Majeſtatis,

 Pulſos

Pulſos primæ dignitatis
Ducis ad palatia.
Paradiſus voluptatis
Tu virore ſanctitatis
Perfudiſti ſæcula.
Verbo fœta, partu læta,
Nobis datum profers Natum
Genitricum gloria.
Omni laude digna gaude,
Stella Maris, Sol quem paris,
Mundum replet gratia.
Stella fulgens, fœlix ortus,
Cujus ductu vitæ portus
Patet pulſis Patria.
Mortis jam deletur pactum:
Cadit hoſtis jus confractum,
Ditis lugent atria.
Per te ſalvi te collaudent,
Per te detur, quod non audent
Preces & mens conſcia.
En nos culpæ moles premit,
Sed tu Nato, quos redemit,
Offer & concilia. Amen.

Planctus beatæ Mariæ Virginis.

STabat mater doloroſa,
Iuxta crucem lacrymoſa
Dum pendebat Filius.
Cujus animam gementem,
Contriſtantem, & dolentem,
Pertranſivit gladius.
O quam triſtis & afflicta
Fuit illa benedicta
Mater Vnigeniti!
Quæ mœrebat & dolebat
Et tremebat, cum videbat
Nati pœnas inclyti.
Quis eſt homo qui non fleret,
Chriſti matrem ſi videret
In tanto ſupplicio?
Quis poſſet non contriſtari,
Piam matrem contemplari
Dolentem cum Filio?
Pro peccatis ſuæ gentis
Vidit Ieſum in tormentis,
Et flagellis ſubditum.
Vidit ſuum dulcem natum
Morientem deſolatum,
Dum emiſit ſpiritum.
Eja Mater fons amoris,
Me ſentire vim doloris
Fac, ut tecum lugeam.
Fac ut ardeat cor meum,
In amando Chriſtum Deum,
Vt ſibi complaceam.

Sancta mater iſtud agas,
Crucifixi fige plagas
Cordi meo valide.
Tui nati vulnerati,
Tam dignati pro me pati,
Pœnas mecum divide.
Fac me vere tecùm flere,
Crucifixo condolere,
Donec ego vixero.
Iuxta crucem tecum ſtare,
Te libenter ſociare
In planctu deſidero.
Virgo Virginum præclara,
Mihi jam non ſis amara,
Fac me tecum plangere.
Fac ut portem Chriſti mortem,
Paſſionis ejus ſortem,
Et plagas recolere.
Fac me plagis vulnerari,
Cruce hac inebriari,
Ob amorem Filii.
Inflammatus & accenſus,
Per te Virgo ſim defenſus
In die judicii.
Fac me Cruce cuſtodiri,
Morte Chriſti præmuniri,
Confoveri gratia.
Quando corpus morietur,
Fac ut animæ donetur
Paradiſi gloria.
Amen.

HYMNVS

mire devotus ac elegans,

Honori Deiparæ Virginis MARIÆ,

à S. CASIMIRO, *Filio Caſimiri Iagellonii* Regis Poloniæ, compoſitus, & quotidie recitari ſolitus.

Qui anno 1604, cum Sancti illius ſepulchrum renovaretur, capiti ipſius ſuppoſitus repertus eſt.

DECAS I.

Omni die dic Mariæ
Mea laudes anima,
Ejus feſta, ejus geſta
Cole devotiſſima.
Contemplare & mirare
Ejus celſitudinem.

Dic

Dic felicem Genitricem,
Dic Beatam Virginem.
Ipſam cole, ut de mole
Criminum te liberet.
Hanc appella, ne procella
Vitiorum ſuperet.
Hæc perſona nobis dona
Contulit Cœleſtia.
Hæc Regina nos divina
Colluſtravit gratia.
Lingua mea dic trophæa
Virginis puerperæ.
Quæ inflictum maledictum
Miro transfert germine.
Sine fine dic Reginæ
Mundi, laudum cantica;
Eja bona ſemper ſona,
Semper illa prædica.
Omnes mei ſenſus ei
Perſonate gloriam.
Frequentate tam beatæ
Virginis memoriam.
Nullus certe tam diſertæ
Extat eloquentiæ,
Qui condignos promat hymnos
Ejus excellentiæ.
Omnes laudent unde gaudent
Matrem Dei Virginem.
Nullus fingat quod attingat
Ejus celſitudinem.
Sed neceſſe, quod prodeſſe
Piis conſtat mentibus.
Vt intendam, quod impendam
In ipſius laudibus.

Ave Maria.

DECAS II.

Qvamvis ſciam, quod Mariam
Nemo digne prædicet,
Tamen vanus & inſanus
Quiſquis illam reticet,
Cujus vita erudita,
Diſciplina Cœlica;
Argumenta & figmenta
Deſtruxit hæretica.
Cujus mores tanquam flores
Exornant Eccleſiam.
Actiones & Sermones
Miram præſtant gratiam.
Evæ crimen nobis limen
Paradiſi clauſerat.
Hæc dum credit & obedit,
Cœli clauſtra reſerat.
Propter Evam homo ſævam
Accepit ſententiam:
Per Mariam habet viam,
Quæ ducit ad Patriam.
Hæc amanda & laudanda

Cunctis

Cunctis ſpecialiter;
Venerari, prædicari
Eam decet jugiter.
Ipſa donet, ut quod monet
Natus ejus, faciam:
Vt finita carnis vita
Lætus hunc aſpiciam.
O cunctarum fœminarum
Decus atque gloria.
Quam electam & evectam
Scimus ſuper omnia.
Clemens audi, tuæ laudi
Quos inſtantes conſpicis.
Munda reos, & fac eos
Donis dignos cœlicis.
Virga Ieſſe, ſpes oppreſſæ
Mentis & refugium,
Decus mundi, lux profundi,
Domini ſacrarium.

Ave Maria.

DECAS III.

Vitæ forma, morum norma,
Plenitudo gratiæ.
Dei Templum, & Exemplum
Totius Iuſtitiæ.
Virgo ſalve, per quam valvæ
Cœli patent miſeris;
Quam non flexit nec allexit
Fraus Serpentis veteris.
Generoſa & formoſa
David Regis Filia.
Quam elegit Rex, qui regit,
Et creavit omnia.
Gemma decens, roſa recens,
Caſtitatis lilium,
Caſtum chorum ad polorum
Quæ perducis gaudium.
Actionis & Sermonis
Facultatem tribue.
Vt tuorum meritorum
Laudes promam ſtrenue.
Opto nimis ut imprimis
Des mihi memoriam,
Vt decenter & frequenter
Tuam cantem gloriam.
Quamvis muta & polluta
Mea ſciam labia,
Præſumendum, nec ſilendum
Eſt de tua gloria.
Virgo gaude, omni laude
Digna & præconio.
Quæ damnatis libertatis
Facta es occaſio.
Semper munda & fœcunda,

Virgo

Virgo tu puerpera.
Mater alma velut palma
Florens & fructifera.
Ejus flore & odore
Recreari cupimus.
Cujus fructu nos à luctu
Liberari credimus.
Ave Maria.

DECAS IV.

PVlchra tota ſine nota
Cujuſcunque maculæ,
Fac nos mundos & jucundos
Te laudare ſedule.
O Beata, per quam data
Nova mundo gaudia!
Et aperta fide certa
Regna ſunt Cœleſtia.
Per te mundus lætabundus
Novo fulget lumine,
Antiquarum tenebrarum
Exutus caligine.
Nunc potentes ſunt egentes,
Sicut olim dixeras:
Et egeni fiunt pleni,
Vt tu prophetaveras.
Per Te morum corruptorum
Delinquuntur devia,
Doctrinarum perverſarum
Pulſa ſunt præſtigia.
Mundi luxus atq; fluxus
Docuiſti ſpernere:
Deum quæri, carnem teri,
Vitiis reſiſtere.
Mentis curſum tendi ſurſum
Pietatis ſtudio,
Corpus angi, motus frangi,
Pro cœleſti præmio.
Tu portaſti inter caſti
Ventris clauſtra Dominum
Redemptorem, ad honorem
Nos reformans priſtinum.
Mater facta ſed intacta
Genuiſti filium:
Regem Regum, atq; rerum
Creatorem omnium.
Benedicta, per quam victa
Mortis eſt ſententia:
Deſtitutis ſpe ſalutis
Datur indulgentia.
Ave Maria.

DECAS V.

BEnedictus Rex Invictus,
Cujus Mater crederis.
Nobis datus, ex Te natus,
Noſtri ſalus generis.
Reparatrix, Conſolatrix
Deſperantis animæ,
A preſſura quæ ventura
Malis eſt, nos redime.
Pro me pete, ut quiete
Sempiterna perfruar.
Ne tormentis comburentis
Sta-

Stagni miſer obruar.
Quod requiro, quod ſu-
ſpiro
Mea ſana vulnera;
Et da menti te poſcenti
Gratiarum munera.
Vt ſim caſtus & modeſtus,
Dulcis, blandus, ſobrius,
Pius, rectus, circumſpectus,
Simultatis neſcius.
Eruditus & munitus
Divinus eloquiis,
Timoratus, & ornatus
Sacris exercitiis.
Conſtans, gravis & ſua-
vis,
Benignus, Amabilis,
Simplex, purus, & matu-
rus,
Patiens & humilis.
Corde prudens, ore ſtu-
dens
Veritatem dicere,
Malum nolens, Deum co-
lens
Pio ſemper opere.
Eſto tutrix & Adjutrix
Chriſtiani populi;
Pacem præſta, ne moleſta
Nos perturbent ſeculi.
Salutaris ſtella maris
Summis digna laudibus,
Quæ præcellis cunctis ſtel-
Atque luminaribus. (lis
Ave Maria.

PARS VI.

Tva dulci prece fulci
Supplices, & refove.
Quicquid gravat, vel depra-
vat
Mentes noſtras, remove.
Virgo gaude, quod de
fraude
Dæmonis nos liberas,
Dum in vera & ſincera
Deum carne generas,
Illibata & dotata.
Cœleſti progenie.
Gravidata, nec privata,
Flore pudicitiæ.
Nam quod eras, perſe-
veras,
Dum intacta generas,
Illum tractans atque la-
ctans,
Per quam facta fueras.
Commendare me digna-
re
Chriſto tuo Filio:
Vt non cadam, ſed evadam
De mundi naufragio.
Fac me mitem pelle li-
tem,
Compeſce laſciviam.
Contra crimen da muni-
men
Et mentis conſtantiam.
Non me liget, nec fatiget
Seculi cupiditas:
Quæ

Quæ indurat & obſcurat
Mentes ſibi ſubditas.
Nunquam ira, nunquam dira
Me vincat elatio:
Quæ multorum ſit malorum
Frequenter occaſio.
Ora Deum, ut cor meum
Sua ſervet gratia;
Nec antiquus inimicus
Seminet zizania.
Da levamen & juvamen
Tuum illis jugiter,
Tua Feſta, ſive Geſta
Qui colunt alacriter.

Ave Maria.

CAP. VI.

ORATIONES VARIÆ ad Beatiſſ. Virginem Deiparam.

Oratio S. BERNARDI *ad Deiparam Virginem* MARIAM.

O Dulciſſima Virgo *Maria*, per te acceſſum habeamus ad Filium, & per te nos ſuſcipiat, qui per te datus eſt nobis. Excuſet apud ipſum integritas tua culpam noſtræ corruptionis, & humilitas tua Deo tam grata noſtræ veniam impetret vanitati ac ſuperbiæ.

Copioſa charitas tua noſtrorum cooperiat multitudinem peccatorum: Et fœcunditas tua glorioſa fœcunditatem nobis conferat meritorum.

O Domina noſtra, mediatrix noſtra, Advocata noſtra, tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos repræſenta. Fac, ô benedicta, per gratiam quam meruiſti, per miſericordiam, quam peperiſti, ut qui te mediante dignatus eſt fieri particeps infirmitatis & miſeriæ noſtræ, te quoque intercedente participes nos faciat beatitudinis & gloriæ ſuæ, IESVS Chriſtus Filius tuus Dominus noſter, qui eſt ſuper omnia benedictus in ſæcula. Amen.

Oratio ad Beatam Virginem MARIAM, *& ſimul ad B. Ioannem Euangeliſtam.*

O Intemerata, & in æternum benedicta, ſingularis atque incomparabilis Virgo Dei genitrix *Maria*, gratiſſimum Dei templum, Spiritus ſancti Sacrarium, Ianua Regni Cœlorum, per quam poſt Deum totus vivit orbis terrarum. Inclina Mater miſericordiæ aures tuæ bonitatis indignis ſupplicationibus meis, & eſto mihi miſerrimo peccatori pia & propitia, in omnibus auxiliatrix.

O Ioannes beatiſſime Chriſti familiaris & amice, qui ab eodem Domino noſtro IESV Chriſto Virgo es electus, & inter cæteros magis dilectus, atque in myſteriis cæleſtibus ultra omnes imbutus; Apoſtolus enim & Euangeliſta factus es præclariſſimus: te etiam invoco cum Maria Matre ejuſdem Domini noſtri Ieſu Chriſti Salvatoris, ut mihi opem tuam cum ipſa conferre digneris.

O duæ gemmæ Cœleſtes, Maria, & Ioannes! O duo luminaria divinitus ante Deum lucentia, veſtris radiis ſcelerum meorum effugate nubila. Vos enim eſtis illi duo, in quibus unigenitus Dei Filius, ob ſinceriſſimæ Virginitatis meritum, dilectionis ſuæ confirmavit privilegium in cruce pendens: uni veſtrum ita dicens; Mulier, ecce Filius tuus: deinde ad alium; Ecce Mater tua.

In hujus ergo tam ſacratiſſimi amoris dulcedine, qua tunc ore Dominico velut mater & filius ad invicem conjuncti eſtis, vobis duobus ego miſerrimus peccator commendo hodie corpus & animam meam: ut in omnibus horis atque momentis, interius atque exterius firmi cuſtodes, & pii apud Deum interceſſores mihi exiſtere dignemini. Poſcite mihi, quæſo, corporis & animæ ſalutem.

Agite quæſo, agite veſtris glorioſis precibus, ut cor

meum inviſere & inhabitare dignetur Spiritus almus, gratiarum Largitor optimus, qui me à cunctis vitiorum ſordibus expurget; Virtutibus ſacris illuſtret, & exornet, in dilectione Dei & proximi mei perfecte ſtare & perſeverare me faciat, & poſt hujus vitæ curſum ad gaudia ducat Electorum ſuorum benigniſſimus Paraclitus. Qui cum Deo Patre, & Filio vivit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

Commendatio ad B. V.

O Domina mea, ſancta Maria, me in tuam benedictam fidem, ac ſingularem cuſtodiam, & in ſinum miſericordiæ tuæ, hodie, & quotidie, & in hora exitus mei, animam meam & corpus meum tibi commendo: omnem ſpem & conſolationem meam, omnes anguſtias & miſerias meas, vitam & finem vitæ meæ tibi committo: ut per tuam ſanctiſſimam interceſſionem, & per tua merita, omnia mea dirigantur & diſponantur opera, ſecundum tuam tuique Filii voluntatem.

Oratio ad beatam Virginem MARIAM *pro felici Morte.*

O Dulciſſima *Ieſu* Mater, Virgo *Maria*, Patrona mea, viſceribus miſericordiæ plena, ſuccurre mihi miſero peccatori, antequam mors ſubitanea & improviſa ſuperveniat: ne ſubito & imparatus de hoc mundo transeam.

Ora pro me *Maria* Virgo benedicta, ob unigeniti Filii tui Domini noſtri Ieſu Chriſti paſſionem ac mortem amariſſimam, ut peccati deteſtatione, Diaboli & operum ejus abrenunciatione, vera contritione, pura & humili confeſſione, pœnitentia & ſatisfactione, digna Dei acceptione, & proximi dilectione, Filio tuo reconciliatus de hoc mundo transeam.

Et fac mecum miſericordiam tuam, ô beata Virgo Maria,

Maria, mater Dei, in illa tremenda hora, quando ſpiritus vitales deficient, & mortua lingua ſe nequibit movere ad invocandum te; neque oculi mei lucem capere poterunt, aureſque meæ nulli voci pateſcent: Memor eſto tunc ô Maria precum, quas nunc fundo ad aures tuæ pietatis, & ſubveni mihi in illa ultima hora neceſſitatis meæ, ut liberer à miniſtris Diaboli, & collocer cum Chriſti fidelibus, Filii tui ſervis & amicis, Amen.

Alia oratio ad B. Virginem MARIAM.

OBſecro te Domina ſancta, *Maria* mater Dei, pietate pleniſſima, Summi Regis Filia, Mater glorioſiſſima, Mater orphanorum, Conſolatio deſolatorum, Via errantium, Salus omnium in te ſperantium, Virgo ante partum, Virgo in partu, & Virgo poſt partum, Fons miſericordiæ, Fons ſalutis & gratiæ, Fons conſolationis & indulgentiæ, Fons pietatis & lætitiæ, Fons vitæ & veniæ: per illam ſanctam & ineffabilem lætitiam, qua exultavit Spiritus tuus in illa hora, in qua tibi per Gabrielem Archangelum annunciatus & conceptus Filius Dei fuit.

Et per illam ſanctam & ineffabilem humilitatem, in qua tu reſpondiſti Archangelo Gabrieli: Ecce Ancilla Domini, *Fiat* mihi ſecundum verbum tuum: & per illud divinum myſterium, quod tunc operatus eſt in te Spiritus ſanctus, & per ineffabilem gratiam, pietatem, miſericordiam, amorem, & humilitatem, per quas Filius tuus Dominus noſter *Ieſus* Chriſtus deſcendit accipere humanam carnem in venerabiliſſimo utero tuo: & per glorioſiſſima gaudia, quæ habuiſti de Filio tuo Domino noſtro Ieſu Chriſto.

Et per illam ſanctam & maximam compaſſionem, & acerbiſſimum cordis dolorem quem habuiſti, quando Filium tuum Dominum noſtrum *Ieſum* Chriſtum ante Crucem nudatum, & in ipſa levatum, pendentem, cruci-

fixum, vulneratum, ſitientem, amariſſimum potum, fel & acetum ori ejus apponi vidiſti: Eli clamantem audiſti, & morientem vidiſti.

Et per quinque vulnera ejuſdem Filii tui: & per contractionem viſcerum tuorum præ nimio dolore vulnerum ſuorum: & per dolorem quem habuiſti, quando vidiſti eum vulnerari, & per fontes Sanguinis ſui: & per omnem paſſionem ejus, & dolorem Cordis tui; & per fontes lacrymarum tuarum: ut cum omnibus Sanctis & Electis Dei venias, & feſtines in auxilium & conſilium meum; in omnibus orationibus & petitionibus meis, in omnibus anguſtiis & neceſſitatibus meis, & in omnibus illis rebus, in quibus ego ſum aliquid facturus, locuturus, aut cogitaturus, omnibus diebus ac noctibus, horis atque momentis vitæ meæ.

Et mihi famulo tuo impetres à dilecto Filio tuo Domino noſtro Ieſu Chriſto virtutum omnium complementum, cum omni miſericordia & conſolatione, omni conſilio & adjutorio, omni benedictione & ſanctificatione, omni ſalvatione, pace & proſperitate, omni gaudio & alacritate: etiam abundantiam omnium bonorum ſpiritualium, & ſufficientiam corporalium, & gratiam ſancti Spiritus, qui me bene per omnia diſponat, animam meam cuſtodiat, corpus meum regat & protegat, mentem erigat, mores componat, actus probet, cogitationes ſanctas inſtituat, præterita mala indulgeat, præſentia emendet, & futura moderetur: vitam honeſtam & caſtam mihi tribuat: Fidem, Spem, & Charitatem mihi præſtet: articulos fidei firmiter credere, & præcepta legis obſervare me faciat: ſenſus corporis mei regat & protegat, & à peccatis mortalibus me ſemper liberet & defendat uſque in finem meum.

Hanc orationem ſuppliciter exaudiat, & ſuſcipiat, & vitam æternam mihi tribuat. Audi, & intercede pro me dulciſſima Virgo Maria, mater Dei & miſericordiæ, Amen.

CAP.

Cap. VII.

DE ROSARIO B. V. Vulgari.

PIO LECTORI.

INter *cætera Pietatis Exercitia*, *frequens inprimis eſt uſus* Roſarii B. Virg. *quod quidem integrum conſtat* XV Orationibus Domin. & 150 Salutat. Angelicis. *Alias diviſim recitari ſolet, diſtributum* in Gaudioſum, Doloroſum, & Glorioſum: *quorum unicuique* Quinque tribuuntur Myſteria:

Gaudioſo, 1, Incarnatio Chriſti. 2, Viſitatio. 3, Nativitas. 4, Oblatio. 5, Inventio in templo.

Doloroſo, 1, Oratio in Horto. 2, Flagellatio. 3, Coronatio. 4, Crucis Bajulatio. 5, Crucifixio.

Glorioſo, 1, Reſurrectio Domini. 2, Aſcenſio. 3, Spiritus S. Miſſio. 4, Adſumptio B. Virg. 5, Coronatio Ejuſdem.

Notandum itaque *nimis ſterilem*, *imperfectum*, *& omnis ſpiritualis guſtus expertem orandi modum eſſe, ad globulos precatorios, (uti fere ſolet rude vulgus) ſine ulla mentis reflexione ad prædicta* Myſteria; *Seu, nulla interpoſita meditatione, & Affectuum excitatione*, Pater & Ave, *identidem, & indeſinenter revolvere; & ſic decurſo Roſario, velut penſum abſolvere. Nam quis fructus aut quis guſtus talis orationis? V. quæ ſup. cap. 2 annotavimus circa Salutationem Angelicam. Tu vero,* Pie Lector, *Si vis gratum Deo, ejuſque Matri; & tibi ipſi utilem* Roſarii uſum; hoc vel ſimili modo procedes.

I. Oraturus Roſarium, *certam & piam aliquam* Intentionem, certumve ſcopum *habe præ oculis; & huc pete gratiam à Deo per ejus Matrem; breviſſimis ſaltem ſuſpiriis.*

II. *Sub initium cujuſque* Decadis Myſterium *in eadem recolendum pauliſper expende; & congruentes pios affectus elicere ſtude, Hoc autem, ut facilius, & utilius fiat, proderit plurimum,*

XV de Myſteriis Roſariis *alias per otium, meditationem inſtituiſſe; adeoque exactius ponderaſſe ſingula, & reconditos in iis divinæ* Potentiæ, Sapientiæ, Bonitatis, Iuſtitiæ, Miſericordiæ, *&c. theſauros penetraſſe, affectus in iis latentes notaſſe*, &c. *Hæc enim facile, cum res exiget, occurrent memoriæ.* Formam & Praxin *tradit* P. Chriſt. Mayer *in Induſt. par.* 1. *cap.* 13. *Inde pete, ſi libet; Enchiridion molienti non licet omnia, quæ vellem, congerere. Hæc tamen pauca præterire non poſſumus.*

Martinus Navarrus, *Doctiſſimus Vir, qui ſexaginta amplius annos conſuetudinem habuit quotidie recitandi* Roſarium, *nec unquam intermiſit, quantumvis publico docendi munere, & pluribus uno die lectionibus occupatus. Is, inquam, ad faciliorem* Myſteriorum *conſiderationem hunc* Modum *ſuggerit, ut ad ſingulas decades, myſterium ipſum, cui volumus intendere, Salutationibus Angelicis, breviter inſeratur. Hoc modo:*

IN I. ROSARIO Gaudioſo.

Ad ſingulas Decades cuilibet Salutationi Angelicæ, poſt nomen IESVS *adjiciatur:*

Ad 1, Quem Virgo concepiſti.
Ad 2, Quem viſitans Eliſabeth portaſti.
Ad 3, Quem Virgo genuiſti.
Ad 4, Quem in Templo præſentaſti.
Ad 5, Quem in templo inveniſti.

In fine Decadis, vel poſt ſingula, S. Maria Mater Dei, Ora pro nobis, *&c.*

IN II. ROSARIO Doloroſo.

Ad ſingulas Decades cuilibet Salutationi Angelicæ, poſt nomen IESV *addatur.*

Ad 1, Qui pro nobis Sanguinem ſudavit.
Ad 2, Qui pro nobis flagellatus eſt.
Ad 3, Qui pro nobis ſpinis coronatus eſt.

Ad

Ad 4, Qui pro nobis Crucem bajulavit.
Ad 5, Qui pro nobis Crucifixus eſt.
Et poſt ſingula, S. Maria Mater Dei, *&c.*

IN III ROSARIO Glorioſo.

Ad ſingulas Decades poſt nomen IESV *addatur.*

Ad 1, Qui Reſurrexit à Mortuis.
Ad 2, Qui in Cœlum Adſcendit.
Ad 3, Qui Spiritum ſanctum miſit.
Ad 4, Qui te in Cœlum aſſumpſit.
Ad 5, Qui te in Cœlis coronavit.

Videri poterit citatus Navarrus Miſcellaneo 24 *de Roſario : Vbi alia invenies notatu digna.*

ORATIONES
ſeu piæ Aſpirationes,

Quibus condienda recitatio Roſarii, & omnis Oratio vocalis.

Ex P. Chriſt. Mayer.

I.

O Deus meus infinite laudabilis, & amabilis ſuper omnia, quem laudat & adorat in gaudio tota Cœli curia; utinam vel nunc tandem & ego digne te laudare & glorificare merear, hoc quantulocunque orationis obſequio; quem heu, tam imperfecte hucuſque laudavi, & glorificavi; immo, quem toties offendi, tot peccatis & negligentiis meis; de quibus ex animo doleo propter te: ignoſce & ſupple per tuam infinitam bonitatem; & per eandem ſuſcipe hoc exiguum à Creatura tua, ſervitutis obſequium, in unione meritorum Domini N. Ieſu Chriſti, B. Virginis Matris ejus, & omnium Sanctorum, ad ſupremam, æternamque gloriam tuam; amorem, & beneplacitum; in gratiarum actionem omnium be-

 neficio-

neficiorum mihi, omnibuſque collatorum, in ſatisfactionem omnium peccatorum, pro his, N. vel pro hac neceſſitate N. & pro quibus maxime orare teneor, ad impetrandam Peccatoribus veniam, defunctis refrigerium, & requiem; mihi, viviſque omnibus gratiam, perſeverantiam, gloriam. Perfice gratia tua, ſine qua nihil poſſum, deſiderium meum, ſecundum ſanctiſſimum beneplacitum tuum.

II.

O Piiſſima Mater ſupple hoc imperfectum obſequium meum, apud dilectum Filium tuum. Monſtra te eſſe matrem. O piiſſime Ieſu ſuſcipe hoc idem de manu B. Matris tuæ; unitumque tuis, & Ejuſdem omniumque Sanctorum meritis, offer æterno Patri, ad omnes pias, ſanctas, & utiles intentiones. Pater reſpice in faciem dilecti Filii tui, & miſerere nobis, pro beneplacito tuo, ad maximam, æternamque gloriam tuam, Amen.

Poſt ſingulas Decades,

Renova affectum glorificandi B. Virginem ipſumque Deum, his ſuſpiriis.

LAudent & benedicant te ô glorioſa Dei mater & Virgo, omnes beati comprehenſores, in omnibus donis naturæ, gratiæ & gloriæ tibi conceſſis, infinities, ſupra omnes puras creaturas, perfectiſſime, æternum in Cœlis; omneſque viatores mecum te colant, ament imitarique in omni perfectione ſtudeant, omni conatu, ſemper & inſatiabiliter in terris; & tecum laudent & glorificent, & ſuperexaltent omnes cum omnibus etiam poſſibilibus creaturis infinities benedictum Filium tuum, cum Patre & ſancto Spiritu; in omnibus perfectionibus, operibus & beneficiis ſuis omni poſſibili pietatis affectu ſuper omnia, gratis propter ſe, nunc, ſemper, æternum & ultra.

Vel

Vel his brevioribus.

BEnedicaris infinities, glorioſa Mater Dei Virgo, ab omnibus, in omnibus, ſuper omnes puras creaturas, pro divino beneplacito, perfectiſſime, ſingulis momentis temporis, & æternitatis; Et glorificetur & ſuperexaltetur benedictus Filius tuus; cum Patre & Spiritu ſancto infinities ab omnibus, in omnibus, ſuper omnia, infinite, omni poſſibili modo, gratis, propter ſe, nunc, ſemper, æternum & ultra.

Vel breviſſime ſic.

VTinam, ô glorioſa Domina, lauderis, ameris, & glorificeris ab omnibus ſicut in cœlo & in terra, & tecum benedicatur, ametur & glorificetur ſanctiſſima Trinitas, propter te, omni poſſibili modo, ſuper omnia, in æternum & ultra.

Vel demum Suſpiriis *poſt ſingulas* Decades *variatis.*

Poſt primam Decadem.

LAudent, ament, & glorificent te, glorioſa Dei, Mater, & Virgo, infinities, omnes Sancti, Angeli, & Archangeli, cum tota Curia triumphante, cum quibus aliquando ſperamus te videre, & glorificare æternum in cœlis; Et tecum laudent, ament, & glorificent infinities ſanctiſſimam Trinitatem, infinite in omnibus, ſuper omnia, omni poſſibili modo, in æternum, & ultra.

Poſt ſecundam Decadem.

LAudent, ament & glorificent te glorioſa Dei Mater & Virgo, omnes ſancti Patriarchæ, Prophetæ, Apoſtoli & Diſcipuli Domini cum tota Curia triumphante, *&c. ut ſupra.*

Poſt tertiam Decadem.

LAudent, ament & glorificent te, *&c.* omnes ſancti Martyres, cum tota Curia, *&c.*

Poſt quartam Decadem.

LAudent, *&c.* omnes ſancti Confeſſores, cum tota Curia, *&c.*

Poſt quintam Decadem.

LAudent, *&c.* omnes SS. Virgines, & Viduæ, cum tota Curia, *&c.*

Item alia ORATIO poſt Roſarium,

Vel quamlibet Orationem.

O MARIA Mater gratiæ, mater miſericordiæ; reſpice oculo pietatis hoc exiguum meæ ſervitutis obſequium, quod mellifluo cordi tuo emendandum, perficiendum, & repræſentandum dilecto Filio tuo offero, ad maximam ejus gloriam, amorem, beneplacitum; in gratiarum actionem æternam, ad gratiam nobis impetrandam illi placendi perfectiſſime, in tempore, & æternitate, *&c.*

O Ieſu Fili Dei & Mariæ Virginis, dignare de manu piiſſimæ Matris tuæ ſuſcipere,& infinita pietate tua ſupplere, hoc tepidum, aridum, & diſtractum orationis obſequium; & unitum ardentiſſimis tuis Orationibus, Sacrificiis laudis, & infiniti meriti ac valoris obſequiis, repræſentare Æterno Patri, ad omnes Sanctas intentiones, *&c.*

Pater, reſpice in faciem Chriſti dilecti Filii tui, & miſerere nobis gratiam largiens, te cum eodem dilecto Filio tuo,& Spiritu S. amandi & glorificandi, nunc perfecte in via, olim beate in patria, juxta tuum ſanctiſſimum beneplacitum. Per eundem Dominum noſtrum.

ORA-

ORATIO ad B.V. MARIAM, Pro ſubſidio in hora Mortis.

Ex piiſſimi Viri Franciſci Titelmanni Ord. S.Franc. *de obſervat. demum Capuccini, Contemplat. fere deſumpta.*

O Mater benigniſſima, quæ morientem in Cruce Filium coram vidiſti, & verba noviſſima, heu, quam triſtis audiſti! Per omnem illum cordis tui dolorem & amaritudinem, qua tota velut abſinthio inebriata fuiſti: Per gladium illum, qui pertranſiit animam tuam, rogo te, ut hoc durum ac lapideum cor meum, tuis apud Deum potentiſſimis precibus & meritis emollias, & convertas in carneum, ut patienti dilectiſſimo Filio tuo, Domino meo, uti par eſt, compati valeam. Idemque ille gladius, qui tam acerbe vulneravit animam tuam, penetret quoque viſcera cordis mei.

O Mater doloroſa, per ultimum illud Filii morientis alloquium, quo te compellabat de Cruce, Diſcipulum tibi commendans, ſupplices oramus, ut nos in filios tuos ſuſcipias. Non enim ad ſolum Ioannem, eo ipſo tempore tecum Cruci adſtantem putamus dirigi verba Filii, ſed unico Diſcipulo cominus monſtrato, omnes fideles & dilectos per omnes ſequuturas generationes ſub unius exemplo & præſentia credimus deſignatos. Quomodo & illud viciſſim dictum Diſcipulo; *Ecce Mater tua*, non ad illum unicum ſolumve Diſcipulum credimus pertinere, ſed ad univerſos nos, quicunque ad Filium tuum per fidem pertinemus; tamen illi quoad corporale obſequium, peculiarem quandam tui curam commiſſam agnoſcimus.

Cum itaque vi quaſi ultimæ voluntatis ſuæ nos tibi in filios reliquerit moriens dilectiſſimus Filius tuus; ac viciſſim te nobis dederit in Matrem, Teſtamento huic nequaquam te contravenire poſſe aut velle, perſuaſum habe-

habemus; utpote quod morte Teſtatoris mox ſequuta confirmatum fuit.

Huic ergo Teſtamento, ô Mater piiſſima, pareamus utrique: Tu nos in filios ſuſcipe: nos te omni cultu & obſequio complectemur ut Matrem. Tu nobis Matris impende curam, noſtrum erit, filialem tibi rependere venerationem. Et quamquam nunc in Cœlis longe ſupra nos exaltata gaudeas & regnes cum Filio; materno tamen nos exules filios tuos affectu fovere non deſinas: Sic enim eſt voluntas Filii, qui ſe ipſum nobis & Naſcens per te donavit; & Moriens nos tibi unicæ Matri ſuæ commendavit.

Ipſe quidem nobis Frater, imo Pater; Sacerdos quoque & hoſtia fieri dignatus eſt: & jam in Cœlo ad dexteram Patris reſidens, Advocatus noſter eſſe non deſinit. Tu pariter nobis te Matrem miſericordiæ, & Patronam exhibere ne ceſſa; eo etiam magis quo propius aſſiſtis Filio (qui nihil Matri negare poteſt ſupplici;) ipſi, inquam, Fonti miſericordiæ proxime conjuncta; quem olim miſeris Adæ filiis de Cœlo produxiſti.

Eja ergo Advocata noſtra, illos tuos miſericordes oculos ad nos converte, & Ieſum benedictum fructum ventris tui, nobis modo propitium redde; & poſt hoc exilium oſtende. O clemens, ô pia, ô dulcis Virgo Maria, Amen.

CONCLVSIO
I. Partis, Sect. VII.
Ad Cultores Beatiſſ. Virginis Deiparæ.

S*Anctiſſimam itaque* Chriſti Matrem, *tu quiſquis es*, Chriſtiane, *Patronam ac Matrem habe; & ſingulari pietatis cultu indies venerare. Dei gratiam & miſericordiam deſideras? Ecce* canalis *divinæ miſericordiæ*, Dei Mater eſt, *per quam primum in terris ſuſcepimus miſericordiam de manu Dei noſtri. Ipſa enim* gratia plena

plena *ipſum* gratiæ Fontem *ſuis clauſit viſceribus; & in mundum univerſum ad nos uſque derivavit. Iam vero quid illa Mater Cœli terræque Regina non impetret? An quidquam Filius poterit denegare Matri ſuæ?*

Ergo in periculis, in anguſtiis, in rebus dubiis Mariam cogita; Mariam invoca: Non recedat ab ore, non recedat à corde. & ut impetres orationis ejus ſuffragium, non deſeras converſationis exemplum. Ipſam ſequens non devias: Ipſam rogans non deſperas: Ipſam cogitans non erras. Ipſa tenente non corruis: Ipſa protegente non metuis. Ipſa duce non fatigaris. Ipſa propitia pervenis. *Ita Mellifluus* BERNARDUS Serm. 2. *de laud. B. V. Cole ergo Dei Matrem in vita: & vere Matrem te coluiſſe ſenties in morte, & in omni æternitate. Gaudet utique ſe coli & haberi ut Matrem. Ad hoc enim* Dei Mater *facta eſt; ut* Mater *eſſet &* Mediatrix *Peccatorum.*

FINIS SECT. VII, PARTIS I.

PARS ALTERA SECTIONIS VII.

Continens Exercitia ad bene beateque moriendum.

PIO LECTORI.

P*oſterior Pars hujus ultimæ Sect. exhibebit* Orationes *&* Exercitia *varia pro felici* MORTE, Sanis, Ægris, Moribundis *accommodata, & perutilia. Nemo itaque hæc faſtidiat, aut negligat quaſi aliena, & ad ægros ſolum, aut moribundos pertinentia.*

Quin ſcito, tutiſſimum eſſe, ut quidquid tibi in morbo, & morte ipſa uſui eſſe vis; in eo etiamnum ſanus verſari & exerceri incipias.

Quiſ-

Quisquis enim ſanus hujuſmodi Exercitiis gaudet; infirmus & moribundus fructum ex iis majorem capiet. Vereor autem, ne guſtum eorum perexiguum tempore mortis ſentiant, qui talia ſani & incolumes faſtidiunt.

Itaque hæc ipſa frequentius lege ac meditare. Sed & morere ſubinde dum vivis: id eſt, Moribundi quodammodo perſonam aſſume; dum adhuc integræ ſunt corpori animoque vires. Age ea quæ facies, aut facta voles, jam moriturus. Nimirum facile recurrunt morienti, quæ vivens amavit, & libens exercuit. At non facile in neceſſitate præſto ſunt remedia, quorum in proſperitate, exigua fuit cura, vel memoria.

Ceterum prior Editio Paradiſi *habebat hoc loco piiſſima quædam* Exercitia, *tam ſanis, quam ægris, ad minuendum vitæ præſentis amorem, ad acuendum futuræ deſiderium aptiſſima ex ſuaviſſimis* Soliloquiis Thomæ de Kempis *excerpta. Sed hæc præſenti editione viſum omittere, eo quod nuper* Opuſculum *illud, uti & alia Ejuſdem ſelectiſſima, in* VIATORE CHRISTIANO *Notis illuſtrata ediderimus: Hunc, ſi libeat, pius* LECTOR *adeat.*

ADMONITIO quid homini Chriſtiano faciendum ingruente morbo.

Q*Vam primum incideris in Morbum, memento eum non ſecus accipere, quam de manu Domini; & gratias age, quod te ut filium paterne viſitet. Imo offer te ad graviora; & in manus divinæ providentiæ totum te confidenter projice: Neque fiduciam in Medico colloca: Id Aſæ Regi pernicioſum fuiſſe,* Scriptura *refert.*

Adhibeatur tamen Medicus, *ſed* Animi *præcipue, id eſt* Confeſſarius. *Vtriuſque enim, &* Corporis *&* Animi *ſalus congruis curanda remediis; ſed hujus utique tanto magis, quo pejus eſt* Animam, *quam* Corpus *perire.*

Sed & qui Corporis *ſalutem amat,* Animæ *cura nihil prius habeat.* Animæ *enim mala, id eſt, peccata ſæpe redundant in* Corpus: *& in membris noſtris non ſine Dei providentia, morbis*

bis corripimur; quia pravis affectibus animi languemus. Hi ergo primum profligandi; ſic facilius à Corpore morbos pellemus: aut, (quod non minus optabile) cum majore Animi fructu ſuſtinebimus.

Hanc curandi methodum Medicus *ſupremus docuit, qui curaturus infirmos, Animæ fere prius quam corporis rationem habebat.*

Idem nos faciamus; & corpore ſani eſſe nitamur, ſed mente primum ſana. Verum, ô ſtupenda res! Agitur de Æterna *vita, &* Momentanea: *Pro* hac *omnia, ſerio & feſtinanter, pro* illa *vix quidquam, & non niſi ſero & oſcitanter agimus. Si ſapis, mi Chriſtiane, correptus morbo, primum adi & concilia tibi Deum: Is adhibitam deinceps curam vel faciet ſalutarem* Corpori; *vel certe morbum, imo & mortem,* Animæ.

CAP. VIII.

LITANIÆ

Sanis, Ægris, Moribundis, accommodatæ, *è Sacra Scriptura.*

KYRIE ELEISON. Chriſte eleiſon.
Kyrie eleiſon.
Chriſte audi nos.
Chriſte exaudi nos.
Pater de cœlis DEUS, miſerere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miſerere nobis.
Spiritus S. Deus, miſerere nobis.
S. Trinitas unus Deus, miſerere nobis.
Qui hominem ad imaginem & ſimilitudinem tuam formaſti, *Gen.* 1.
Qui ſpiraculum vitæ in faciem hominis inſpiraſti, *Ibid.*
} Miſ. nob.

Qui

Qui lignum vitæ adverſus mortem corporis in medio Paradiſi produxiſti, *Geneſ.* 2.
Qui poſt contractum per primos Parentes reatum mortis, veneno Serpentis Semen mulieris oppoſuiſti, *Ibid.*
Qui genus humanum ob peccatum variis miſeriis, morbis ac morti ſubjectum ſolatio ac remedio non deſtituiſti, *Geneſ.* 3. *Iob.* 14.
Qui omnibus primogenitis Ægypti una nocte deletis Iſraëlitas illæſos ſervaſti, *Exod.* 12.
Qui Moyſen & Aaron ob peccatum incredulitatis extra terram promiſſam mori feciſti, *Num.* 20.
Qui populum ignitis ſerpentibus percuſſum, ænei Serpentis aſpectu liberaſti, *Num.* 21.
Qui Bethſamitarum pluſquam 50 millia ob viſam curioſius Arcam morte deleviſti, 1 *Reg.* 6.
Qui ex Iſraël 70 millia virorum ob numeratum à Davide populum, triduana peſtilentia ſuſtuliſti, 2 *Reg.* 24.
Qui miſertus ſuper afflictione populi, Angelum percutientem ab internecione revocaſti, *Ibid.*
Qui Naaman Syrum per Eliſæum à lepra ſanaſti, 3 *Reg.* 8.
Qui precibus Eliæ prophetæ mortuum puerum ad vitam revocaſti, 3 *Reg.* 17.
Qui Regem Ochoziam idola ſuper valetudine conſulentem morte puniviſti, 4 *Reg.* 1.
Qui per Eliſæum Prophetam Filium hoſpitæ defunctum vitæ reſtituiſti, 4 *Reg.* 4.
Qui per oſſa Eliſæi mortuum ad vitam revocaſti, 4 *Reg.* 13.
Qui Aſam Regem plus in Medicis, quam

Miſerere nobis.

in

in Deo confidentem præmature mori feciſti, — *2 Par.* 16.
Qui Ezechiam in infirmitate cum lacrymis deprecantem à morte & morbo liberaſti, — *Iſa.* 38.
Qui Iob à Satana tantiſper affligi permiſſum, inſigni patientia roboraſti, — *Iob.* 1. *&c.*
Qui increpas per dolorem in lectulo, & oſſa hominis marceſcere facis, — *Iob.* 33.
Qui ad dandum poſteris exemplum patientiæ, Tobiam plaga cæcitatis probari voluiſti, — *Tob.* 2.
Qui medicos, & innumeras remediorum ſpecies propter neceſſitatem hominum creaſti, — *Eccl.* 38.
Qui mortem non feciſti; nec delectaris in perditione vivorum, — *Sapient.* 1.
Qui miſſus es mederi contritis corde, & prædicare captivis indulgentiam, & conſolari omnes lugentes, — *Iſa.* 61.
Qui ſenem Simeonem, virum juſtum, viſo Meſſia ex hoc ſeculo in pace dimiſiſti, — *Lucæ* 2.
Qui filium Reguli in Capharnaum ſanaſti, — *Ioan.* 4.
Qui hominem 38 annos in infirmitate habentem, verbo ſanum feciſti, — *Ioan.* 5.
Qui Socrum Petri magnis febribus detentam liberaſti, — *Lucæ* 4.
Qui bene omnia feciſti, & ſurdos audire, & mutos loqui, — *Marci* 7.
Qui familiariter cum Publicanis & peccatoribus egiſti; dicens, Opus non eſſe valentibus medico, ſed male habentibus, — *Matth.* 9.
Qui Paralyticum jacentem in lecto, & per tectum ſubmiſſum curaſti, — *Ibid.* *Lucæ* 5.

Miſerere nobis.

Qui mulierem 12 annis fluxu ſanguinis laborantem, & fruſtra à medicis multa paſſam ſanaſti, *Marci* 5. *Lucæ* 8.

Qui cæcos diverſos lucis beneficio donaſti, *Matt.* 9. *Ioan.* 9. *&c.*

Qui leproſos complures ſolo nutu à lepra mundaſti, *Matt.* 8.

Qui filiam Iairi Archiſynagogi defunctam reſuſcitaſti, 10. *&c.* *Lucæ* 8. *&* *Matt.* 9.

Qui mulierem ſpiritu infirmitatis annis 18 inclinatam, ad perfectam ſanitatem reduxiſti, *Lucæ* 13.

Qui Lunaticum miſere à Dæmone afflictum liberaſti, *Matt.* 17.

Qui ſervum Centurionis male habentem abſens curaſti, *Matt.* 8.

Qui defunctum unicum filium Matri ſuæ viduæ vivum reddidiſti, *Lucæ* 7.

Qui Chananeæ filiam male vexatam à Dæmonio liberaſti, *Matt.* 15.

Qui Lazarum quatriduanum de monumento reſuſcitaſti, *Ioan.* 11.

Qui omnes male habentes, Lunaticos, Paralyticos, hydropicos, variiſque languoribus & tormentis comprehenſos curaſti, *Matt.* 4. 9. *Marci* 1. *Lucæ* 4. 14. *&c.*

Qui in agonia, triſtis uſque ad mortem ſanguinem ſudaſti, *Lucæ* 22.

Qui Calicem paſſionis & mortis à te transferri rogans, voluntati Patris, tuam ſubjeciſti, *Lucæ* 22.

Qui Latroni tecum crucifixo conſortium Regni promiſiſti, *Lucæ* 23.

Qui factus es pro nobis obediens Deo Patri uſq; ad mortem; mortem autem Crucis, *Phil.* 2.

Miſerere nobis.

Qui

Qui moriens in manus Æterni Patris ſpiritum commendaſti, — *Lucæ* 23.
Qui inclinato capite, magna voce clamans ſpiritum tradidiſti, — *Ioan.* 19.
Qui per mortem deſtruxiſti eum qui habebat mortis imperium, — *Hebr.* 2.
Qui vulneratus es propter iniquitates noſtras, & attritus propter ſcelera noſtra, — *Iſa.* 53.
Qui infirmitates noſtras accepiſti, & ægrotationes portaſti, — *Matt.* 8. *ex Iſa.* 53.
Qui peſtilentiam & morbos ob peccata immittere conſueviſti, — *Deut.* 28. *Ezech.* 28. *&c.*
Qui morbos, & adverſa corporis ſæpe etiam non cauſſa peccati, ſed ad gloriam Dei manifeſtandam immittis, — *Ioan.* 9. *&* 11.
Qui quos diligis, hos caſtigas & flagellas, — *Hebr.* 12.
Qui irreverentes erga ſacra myſteria ſæpius infirmitate, ac immatura morte caſtigaſti, — 1 *Cor.* 11.
Qui per umbram Petri multos ab infirmitate liberaſti, — *Act.* 5.
Qui per ſudaria & ſemicinctia Pauli multos infirmos curaſti, — *Act.* 19.
Qui per Apoſtolos tuos mortuis vitam, & infirmis varia ſanitatum beneficia contuliſti, — *Act.* 9. *&* 6.
Qui abſterſiſti omnem lacrymam ab oculis Electorum tuorum, — *Apoc.* 7.
Dominus vitæ & mortis habens poteſtatem, — *Sap.* 16.
Dominus protector vitæ noſtræ, — *Pſal.* 26.
Pater miſericordiarum & Deus totius conſolationis, qui conſolaris nos in omni tribulatione noſtra, — 2 *Cor.* 1.
Fidelis Deus, qui non pateris nos tentari

Miſerere nobis.

 ſupra

ſupra id quod poſſumus, ſed facis cum tentatione proventum ut poſſimus ſuſtinere, — 1 *Cor.* 10.
Qui vulneras & mederis, percutis, & manus tuæ ſanabunt, — *Iob.* 5.
Qui omnes homines vis ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, — 1 *Tim.* 2.
Qui mortificas & vivificas: deducis ad inferos & reducis, — 1 *Reg.* 2.
Qui venturus es judicare vivos & mortuos, — 2 *Tim.* 4.

} Miſerere nobis.

Propitius eſto, Parce nobis Domine.

Ab omni languoris moleſtia,
A ſubitanea, & improviſa, mala morte,
Per dolorem & cruciatum circumciſionis tuæ, — *Lucæ* 2.
Per dolores mortis, qui te in horto, Paſſione inſtante, circumdederunt, — *Lucæ* 22.
Per zelum amoris tui quo dolores noſtros tuliſti, & languores noſtros tuo livore ſanaſti, — *Iſa.* 53.
Per anguſtias cordis tui in Cruce, cum te à Patre derelictum clamaſti, — *Matt.* 27.
Per gladium doloris, quo cor dulciſſimæ Matris tuæ in paſſione transfixum eſt, — *Lucæ* 2.

} Libera nos Domine.

Peccatores, Te rogamus audi nos.

Vt tanquam advenas & peregrinos æſtimemus nos ſuper terram, — *Pſal.* 38.
Vt non habentes hic manentem civitatem, futuram tanto ardentius inquiramus, — *Hebr.* 13.
Vt inter tot procellas & pericula vitæ, in requiem illam quam ſperamus in Cœlis, ingredi feſtinemus, — *Hebr.* 4.

} Te rogamus audi nos.

Vt

Vt momentaneum & leve tribulationis noſtræ, æternum gloriæ pondus operetur in nobis, — *2 Cor.* 4.
Vt non negligamus diſciplinam Domini, — *Prov.* 3.
neque fatigemur, dum ab eo arguimur, — *Hebr.* 12.
Vt omne quod applicitum nobis fuerit, accipiamus; & in dolore patientiam habeamus, — *Eccli.* 2.
Vt in quibuslibet morbis & afflictionibus nihil ſtultum contra Dominum loquamur, — *Iob* 1.
Vt ſicut bona ſuſcepimus de manu Domini, ita & mala æquanimiter ſuſtineamus, — *Iob* 2.
Vt ſecundum multitudinem dolorum in corde & corpore meo, conſolationes tuæ lætificent animam meam, — *Pſal.* 93.
Vt ſicut abundant paſſiones Chriſti in nobis, ita & per Chriſtum abundet conſolatio noſtra, — *2 Cor.* 1.
Vt ſemper mortificationem Ieſu Chriſti in corpore noſtro circumferamus, — *Ibid.*
Vt aſpicientes in auctorem fidei & conſummatorem Ieſum, qui propoſito ſibi gaudiō ſuſtinuit Crucem, per patientiam ad propoſitum nobis bravium curramus, — *Hebr.* 12.
Vt magnificetur Chriſtus in corpore noſtro, ſive per vitam, ſive per mortem, — *Phil.* 1.
Vt Chriſto pro nobis paſſo in carne, & nos eadem cogitatione armemur, — *1 Petr.* 4.
Vt hoc tempus acceptabile, & dies ſalutis nequaquam otioſe tranſigamus, — *2 Cor.* 6.
Vt recogitemus tibi omnes annos noſtros in amaritudine animæ noſtræ, — *Iſa.* 38.

(All the above:) Te rogamus audi nos.

Vt incerti de mortis & Iudicis adventu mature domui noſtræ diſponamus, *Iſai.* 38.

Vt ſine timore de manu inimicorum noſtrorum liberati, ſerviamus tibi in ſanctitate & juſtitia, omnibus diebus noſtris, *Lucæ* 1.

Vt deſiderium habeamus diſſolvi & eſſe cum Chriſto, *Phil.* 1.

Vt univerſum ſtratum noſtrum in infirmitate noſtra verſare & componere digneris, *Pſal.* 40.

Vt diligentibus Deum, morbi, & mala corporis omnia cooperentur in bonum, *Rom.* 8.

Vt ſani ex morbo tua gratia facti, ne quid nobis contingat deterius, non amplius peccemus, *Ioan.* 5.

Vt accipientes armaturam Dei, poſſimus reſiſtere in die malo; & tela nequiſſimi ignea extinguere, *Epheſ.* 6.

Vt ſicut in Adam omnes morimur, ſic in te vivificemur, 1 *Cor.* 15.

Vt ſive vivimus, Domino vivamus; ſive morimur, Domino moriamur, *Rom.* 14.

Vt nec vita, nec mors, nec alia creatura, à Chriſto nos ſeparare valeat, *Rom.* 8.

Vt nobis vivere Chriſtus ſit; & mori lucrum; *Phil.* 1.

Vt & ſi ambulem in medio umbræ mortis; non timeam mala, quoniam tu mecum es, *Pſal.* 22.

Vt in ultimo agone Leoni illi rugienti fortes in fide reſiſtamus, 1 *Petr.* 5.

Vt moriamur morte juſtorum, & noviſſima noſtra fiant horum ſimilia, *Num.* 21.

Vt illumines oculos meos, ne unquam

(Te rogamus audi nos.)

obdor-

obdormiam in morte, ne quando præ-
valeat adverſum me inimicus meus, *Pſal.* 12.

Vt nos liberes de corpore mortis hujus, *Rom.* 7.

Vt educas de cuſtodia animam meam ad
confitendum nomini tuo, *Pſal.* 142.

Vt nos morientes cum bono Latrone, dul-
ciſſima promiſſione tua, & Regni exſpe-
ctatione lætifices, *Lucæ* 23.

Vt non intres in judicium cum ſervo tuo,
quia non juſtificabitur in conſpectu tuo
omnis vivens, *Pſal.* 142.

Vt non ſecundum peccata noſtra facias
nobis; neque ſecundum iniquitates no-
ſtras retribuas nobis, *Pſal.* 102.

Vt inhabitem in domo Domini, omnibus
diebus vitæ meæ, *Pſal.* 26.

Vt terreſtri domo hujus habitationis diſſo-
luta, domum non manufactam habea-
mus in Cœlis, 2 *Cor.* 8.

Agnus Dei qui tollis peccata, *&c.*

Te rogamus audi nos.

Oremus.

Deus, qui Vnigeniti tui patientia antiqui hoſtis ſuperbiam contrivisti, da nobis quæſumus, quæ idem pro nobis pertulit, digne recolere, ſicque exemplo ejus cuncta nobis adverſantia æquanimiter tolerare.

Devs humani generis benigniſſime conditor, & miſericordiſſime reformator, qui hominem invidia diaboli ab æterna felicitate dejectum, unigeniti Filii tui pretioſo ſanguine redemiſti; vivifica nos famulos tuos gratiæ tuæ vigore, & jacentibus manum porrige ſalutarem: reple nos gaudio cordis & lætitia ſpiritus; expelle à nobis omnes hoſtiles inſidias, & mitte nobis medicum ſalutis, Angelum pacis, qui nos in anguſtiis poſitos conſolationibus tuis attollat, quibus in præſenti conſequa-

mur

mur auxilium, & in futuro præmio obtineamus æterna.

Devs, ſub cujus nutibus vitæ noſtræ momenta decurrunt, ſuſcipe preces humiliter ad te clamantium, ut te omni adverſitate & ægritudine liberati, perpetua gratiarum actione laudemus. Per Dominum noſtrum Iesvm Chriſtum Filium tuum, *&c.*

ORATIO

Ad hoc idem impetrandum, quod ſumme & unice eſt neceſſarium.

Domine Iesv Chriſte, obſecro te per amorem, quo omnium hominum onera portaſti, ut facias me onus triſtitiæ meæ cum gratitudine ſuſcipere de manu providentiæ tuæ, & de voluntate paterni cordis tui, & pro tui amore, quamdiu tibi placuerit, cum pleniſſima mei ipſius reſignatione, longanimiter ſuſtinere, ita dumtaxat, ut me tua gratia confirmes, ne unquam te vel in modico offendam, aut à ſanctiſſima voluntate tua vel minimum recedam.

Atque utinam poſſem omnium & ſingulorum, qui pro te paſſi ſunt, hominum preſſuras ſolus ſufferre, ut qualemcunque vicem redderem infinitæ charitati tuæ. Eja benigniſſime Iesv, Ita quæſo unias voluntatem meam, cum ſanctiſſimo beneplacito tuo, ut aliud optare nequeam, quam quod tu vis.

Cap. IX.

VII. GRADVS ad Beatam Mortem, ſive Exercitivm quotidianum Orationis Dominicæ pro felici Morte.

Pater noſter qui es in cœlis.

O Pater Æterne Iesv Christi Filii tui per naturam, noſter per gratiam: Creaſti enim nos ad imagi-

imaginem tuam, & cum per peccatum facti eſſemus filii iræ; per Sanguinem Filii tui adoptaſti nos in filios gratiæ, & hæredes vitæ æternæ. Et quamvis Cœlum tibi Sedes ſit majeſtatis & gloriæ tuæ; nos tamen in terris continuo reſpicis, & paterna cura, charitate ac providentia regis.

Ad te itaque levo oculos meos, ô clemens Pater, qui habitas in cœlis, unde veniet auxilium mihi. Ad te deſiderat anima mea ſicut cervus ad fontes aquarum. Creaſti enim nos ad te, & inquietum eſt cor noſtrum; donec redeat, & requieſcat in te. Nam ubi Pater meus eſt, ibi patria mea eſt; ibi ſpes, & hæreditas mea; & portio mea in terra viventium. Ad te ſuſpirat cor meum; adhæſit anima mea poſt te. Vtinam ſuſcipiat me dextera tua: quoniam melior eſt miſericordia tua ſuper vitas. O quando liberabor de hoc exilio; quando educar de hoc carcere, in quem miſſus ſum, furtim ſublatus de patria? Quando introibo in domum Patris mei, ubi manſiones multæ ſunt? quando conſolaberis me? quando educes me de hoc lacu miſeriæ, & de luto fecis? quando veniam & apparebo ante faciem Dei Patris mei? quando adimplebis me lætitia cum vultu tuo, ut videam non per ſpeculum, in ænigmate, ſed facie ad faciem. Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te. Ecce Aſcenſiones iſtuc in corde meo diſpoſui, in hac valle lacrymarum, in loco quem poſuit mihi prævaricatio primi Parentis. Tua benedictione adjutus, ibo de virtute in virtutem, donec videam te Deum deorum in Sion.

Gradus I. VIVA FIDES.

Sanctificetur nomen tuum.

INprimis per vivam & veram *Fidem*; quia ſine *Fide* impoſſibile eſt placere Deo: Accedentem enim ad te, ô

 Deus,

Deus, oportet *credere*, quia es, & inquirentibus te remunerator es. Iam vero quid eſt vita noſtra ſuper terram, niſi acceſſus, ſeu progreſſus ad DEVM, per duos pedes *Fidei* & *Spei?* Nam quies & adhæſio, ſeu complexus & fruitio, quæ perfectæ charitatis eſt, reſervatur Patriæ. Tunc enim amplecteris revertentem ad te è regione longinqua filium, & ſtola prima indues eum.

Interim credo Domine te eſſe *Qui es*; id eſt, *Deum* ſummè Potentem, Sapientem, & Bonum ſuper omnia: & quod diligentibus tu ipſe futurus ſis præmium, & merces magna nimis. Credo quod Redemptor meus vivit, & in noviſſimo die de terra ſurrecturus ſum, & in carne mea videbo *Deum* Salvatorem meum. In hac fide vivere & mori cupio. Hac fide nixus in omni cruce, tribulatione, preſſura, morbo, ac ipſa morte perſtabo ſecurus; & tam in adverſis, quam in proſperis ſanctificabo & laudabo nomen tuum: nihil vel de divina tua potentia, vel de paterna benevolentia dubitans, qua & poſſis, & velis me ſervare.

O Domine confirma & adauge *Fidem* meam, pro gloria Nominis tui, quod tunc optime ſanctificatur à nobis, cum in factis potens, in dictis verax, in promiſſis minime fallax viva fide crederis. Vnde Moyſes & Aaron ingreſſu terræ promiſſæ à te prohibiti ſunt, quia non *ſanctificarunt* te coram populo, non credentes tibi in educenda aqua de petra. *Num.* 20.

At Abrahæ prompta fides ubique laudatur, qui in repromiſſione tua non hæſitavit diffidentia, ſed confortatus eſt fide, dans *gloriam* Deo. Confeſtim enim exiit de terra & cognatione ſua, & venit in terram, quam monſtrabas illi, ſciens, quia quæcunque promiſit Deus, poteſt & facere. *Rom.* 4.

Credo & ego videre bona Domini in terra viventium, poſt egreſſum ab hoc ſeculo. Evoca me hinc, quandocunque voles: ſed da ut Fide duce, ſequar alacriter,

cre-

credens firmiter, quia potens & bonus es tu: & ſpiritus tuus bonus deducet me in terram rectam & propter nomen ſanctum tuum Domine, vivificabis me in æquitate tua.

Gradus II. Firma Spes.

Adveniat regnum tuum.

Regnum, inquam, quod paratum eſt nobis ab origine mundi; Eripuiſti enim nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtuliſti nos in Regnum Filii dilectionis tuæ; ut ſimus cohæredes ejus ſecundum ſpem vitæ æternæ. Nam ſi in hac vita tantum ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus. Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei, Tu es qui reſtitues hæreditatem meam mihi. O quando hoc erit? nam hic advenæ ſolum & peregrini ſumus, non habentes manentem civitatem; ſed futuram inquirimus.

Interim gloriamur in Spe gloriæ filiorum Dei: non ſolum autem, ſed & gloriamur in tribulationibus, ſcientes quod tribulatio patientiam operatur: patientia autem probationem, probatio ſpem; ſpes autem non confundit. *Rom.* 5. Sic nimirum per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei: Sed ſpes tantæ mercedis ſolatium eſt omnis laboris. Non enim ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.

Providebo itaque te Domine in conſpectu meo ſemper, quoniam à dextris es mihi, ne commovear. Propterea lætabitur cor meum, inſuper & caro mea requieſcet in ſpe. In pace in idipſum dormiam & requieſcam. Quoniam tu Domine ſingulariter in ſpe conſtituiſti me. Et quæ eſt exſpectatio mea, nonne Dominus? & ſubſtantia mea apud te eſt. Suſcipe me ſecundum eloquium tuum, & vivam, & non confundas me ab exſpectatione mea.

In

In te Domine ſperavi, non confundar in æternum, in juſtitia tua libera me, *&c.*

Gradus III. Sincera Charitas.

Fiat voluntas tua, ſicut.

QVæ eſt autem voluntas tua, ô amantiſſime Pater, niſi ut amem te? Ecce jubes, ut diligam te ex toto corde meo, & ex tota mente mea, *&c.* Sed da quod jubes, & jube quod vis. Vides enim quot remoras tuæ voluntatis; quot amoris obſtacula patiamur; dùm corpus hoc, quod corrumpitur, aggravat animam. Volo quidem & ego ſic amare te, & condelector legi tuæ ſecundum interiorem hominem, ſed invenio aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, ut non, quod volo bonum, faciam.

Heu, infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? gratia tua per IESVM CHRISTVM Dominum noſtrum. Da ergo ne amando animam meam, perdam eam; ſed ſalutari odio conſervem in vitam æternam.

Sed & audio, quod ſi quis diligat mundum, vel ea, quæ in mundo ſunt, Charitas DEI non ſit in eo. Expellat ergo & hunc pravum amorem de corde meo fortis ut mors, imo fortior morte Dilectio: ut nihil ſit, præſertim in egreſſu meo de hoc mundo, quod me poſſit ſeparare à charitate, quæ eſt in Chriſto IESV Domino noſtro.

Abſorbeat me vis amoris tui, ut amore amoris tui mundo moriar, qui amore amoris mei dignatus es in cruce mori.

Gra-

Gradus IV. Participatio Sacramentorum.

Panem noſtrum quotidianum.

DEus, qui hactenus paſcis me à juventute mea: ô ſi uſque in ſenectam, & cum defecerit virtus mea, non derelinquas me. Nam peregrinantes per hoc deſertum, ad terram promiſſionis, cibo opus habemus non minus animæ quam corporis; ne deficiamus in via. Non enim in ſolo pane vivit homo; ſed de omni verbo quod procedit de ore tuo. Itaque cibus animæ eſt Verbum tuum; item Sacramenta tua, & præſertim Panis ille Angelorum. Manna de cœlo verum, Corpus inquam, & Sanguis Domini noſtri Iesu Christi, dicente ipſo, Caro mea vere eſt cibus, & Sanguis meus vere eſt potus, ex quo ſi quis manducaverit, non morietur in æternum.

O da mihi, Domine, ut cum ingrediar viam univerſæ carnis, & ex deſerto mundi hujus ad patriam promiſſionis æternæ proficiſcar, Viatico non deſtituar: præſertim vero Panis ille divinus confirmet cor meum: Corpore, inquam, ac ſanguine tuo refice animam meam, ut in fortitudine cibi illius ambulem uſque ad montem excelſum gloriæ tuæ, ubi Electos tuos, quos hic ad tempus cibaſti pane lacrymarum, cibabis ex adipe frumenti, & ſatiabis eos ab ubertate domus tuæ.

Gradus V. Remissio Peccatorum.

Et dimitte nobis debita noſtra.

SCio, Domine, quia nihil coinquinatum poteſt intrare in regnum cœlorum: nec admittis quemquam niſi reconciliatum & tibi, & proximo ſuo. Et, heu, miſer ego & inops, debitis infinitis tibi teneor obnoxius, nec unde ſolvam,

ſolvam, aut ſatisfaciam, habeo. Quid faciam? Ecce, apud te Domine miſericordia, & copioſa Filii tui Redemptio. Ille venit ſolvere delicta noſtra; & peccatores ſalvos facere, quorum primus ego ſum: Ne intres, quæſo, in judicium cum ſervo tuo, quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens, ſed reſpice in faciem Chriſti tui.

Doleo ex intimo corde, quod inquam offenderim te Deum & ſummum Bonum meum. Ideoque dimitto ex animo proximis meis omnes offenſas; ne forte fruſtra à te Domino meo ſperem miſericordiam, ſi ego ſervus conſervo meo reſervem iram. Dimitte ergo mihi, juxta promiſſum Filii tui (Dimittite, ait, & dimittetur vobis,) præſertim in ultima illa hora, cum præſentabor coram te Iudice meo. Heu me, ſi tu iniquitates meas tunc obſervaveris! O ſi chirographum decreti contrarium nobis, & debitorum meorum deleat Sanguis IESV CHRISTI, qui pro nobis effuſus eſt in Cruce in remiſſionem peccatorum.

Gradus VI. VICTORIA TENTATIONVM.

Et ne nos inducas in tent.

QVid enim eſt hæc vita noſtra, niſi tentatio, & militia continua ſuper terram? Inde gravis nobis colluctatio cum hoſtibus multis & potentibus, quibus reſiſtere non ſufficimus, niſi tu Dominus, potens in prælio pugnes pro nobis; & protegas nos.

O fidelis DEVS, ne patere me tentari ſupra id quod poſſum; ſed fac cum tentatione exitum; præſertim circa horam exitus mei ex hoc mundo; tunc enim vehementius inſtare ſolet hoſtis, inſidians calcaneo noſtro.

Adeſto mihi in illa ancipiti lucta, & ultimi agonis momento, à quo pendet tota æternitas mea, & fructus omnium

omnium laborum, quos pro me ſuſcepit; & ſanguinis quem pro me effudit Filius tuus. Heu me, ſi in me fruſtretur pretium ejus. Conforta me, ne tentationi ſuccumbam. Illumina oculos meos ne unquam obdormiam in morte: ne quando dicat inimicus meus, prævalui adverſus eum. Da mihi ut accipiens armaturam Dei, poſſim reſiſtere in die malo; & omnia tela nequiſſimi ignea extinguere: ne coronam juſtitiæ mihi repoſitam ſurripiat. Si tu pro nobis, quis contra nos? Si ambulem in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Si conſiſtant adverſus me caſtra, non timebit cor meum, *&c.*

Gradus VII. LIBERATIO à MORTE ÆTERNA.

Sed libera nos à malo.

MVlta quidem hic nos mala premunt, & ad te, ô Deus, ire compellunt, ut liberari petamus: Mundus, qui totus in maligno poſitus eſt: Satan quoque *malus* per excellentiam: aliaque pœnæ *mala* innumera. Sed nil æque malum, ac Mors Animæ, infauſta proles peccati. Nam peccatum, cum conſummatum fuerit, generat mortem. Itaque *Mors peccatorum peſſima.* Nimirum ſeparari à ſummo BONO, Hoc eſt malum omnium malorum. O ſi in die mala ab hoc *malo* liberet me Dominus. Non enim mortui laudabunt te Domine, neque omnes qui deſcendunt in infernum. vivens vivens ipſe confitebitur tibi.

O Domine *libera* animam meam; miſericors Dominus & juſtus. Eripe animam meam de *morte*; oculos meos à lacrymis, pedes meos à lapſu, ut cantem tibi canticum novum; & ſacrificem tibi hoſtiam laudis.

Fortitudo & Laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem.

Dextera Domini fecit virtutem, Dextera Domini exaltavit me, *&c.*

Non

Non moriar, ſed vivam, & narrabo opera Domini.

Caſtigans caſtigavit me Dominus, & *morti* non tradidit me.

Dirupiſti vincula mea, abſorpta eſt mors in victoria.

Anima mea ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium:

Laqueus contritus eſt; & ego *liberatus* ſum.

Confitebor Domino quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia ejus. Amen. Amen.

CAP. X.

EXERCITIA pro infirmis tempore morbi.

ORATIO.

Pro Patientia *in morbis & afflictionibus corporis.*

LOquar ad Dominum, cum ſim pulvis & cinis; umbra fugiens, aut vapor ad modicum parens. Memorare Domine quæ mea ſubſtantia. Memento quod ſicut lutum feceris me; & in pulverem reduces me. Ne ergo multa fortitudine contendas mecum; quæ eſt enim fortitudo mea, ut ſuſtineam; aut quis finis meus, ut patienter agam? neque enim fortitudo lapidum fortitudo mea; neque caro mea ænea eſt. Vt quid ergo ſagittæ Domini in me ſunt, quarum acerbitas ebibit ſpiritum meum; & terrores Domini militant contra me?

Sed quid, an in Cælum ponam os meum; aut contradicam ſermonibus Sancti? Quin dicam potius: Dominus dedit vires, ſanitatem, *&c.* Dominus abſtulit. Sicut Domino placuit ita factum eſt. Sit Nomen Domini benedictum. Ita, dico, Domine; ita ſentio. Iuſtus es Domine & rectum judicium tuum; Et certe graviora ego merueram. Si judex meriti mei ipſe fieri cogerer, nihil poſſem huic, quam patior, pœnæ demere.

Agno-

Agnoſco ergo manum Patris benigne caſtigantem; non dexteram Iudicis in ira punientem. Sed hoc unum rogo te, Pater clementiſſime, agnoſce figmentum tuum fragile, & puſillum; quid ferre valeat, ne ſuccumbat; ex ſe quidem nihil penitus; ex te omnia, ſi gratia tua confortet.

Itaque da robur, ut pati & portare poſſim; *Patientiam*, inquam, deſidero. Hæc mihi omnino neceſſaria eſt: Hanc da mihi Domine; & ecce paratum cor meum Deus, paratum cor meum, accipere quidquid mihi applicitum fuerit; ita ut etiam hæc mihi ſit conſolatio, ut affligens me dolore non parcas. O fac Domine, ut in patientia mea poſſideam animam meam: ideoque frequenter reſpiciam in faciem Chriſti Filii tui, ut ipſo tanta ac tam dira in carne paſſo, & ego eadem cogitatione armari ſtudeam. Ille factus eſt tibi obediens uſque ad mortem, & mortem Crucis. Ego necdum uſque ad Sanguinem reſtiti. Sentio tamen, quantam vim patiar, dum aculei morbi, & dolores mortis irruunt in me.

Itaque fortitudinem meam ad te cuſtodiam. Quoniam tu es fortitudo mea, & refugium meum. Tu es protector vitæ meæ. Proba me Domine, & tenta me; ure renes meos, & cor meum; ut inveniar aliquando dignus te; velut aurum, quod in fornace probatum eſt. Scio, quidem, quod non ſint condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis: attamen novi quoque; quia, ſicut oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam, ita & Chriſtianus, ſi non conformetur ſuo capiti, & non tranſeat per ignem & aquam; haud educetur in refrigerium. Ecce Domine jam in igne ſum; & quam diu? Hoc tuum ſit. Serva me interim qui tres pueros in fornace Babylonis ſervaſti illæſos. Educ me quoque, quando voles, incolumem; ut & ego benedicam tibi cum omnibus Creaturis tuis in omnia ſæcula, dicens, Benedicite omnia opera Domini Domino, *&c.*

Aliud Exercitium pro Patientia *habes ſupra Sectione* 4. *pagina* 305.

ASPIRATIONES & Conſiderationes Animæ piæ,

In morbis & adverſis utiles.

1. O *Sapientia* Æterna, quæ attingis à fine uſque ad finem fortiter, & diſponis omnia ſuaviter: tangis me fortiter hoc morbo & malo corporis, ſed diſpone idipſum ſuaviter ad gloriam tuam & ſalutem meam; qui omnia in pondere, numero, & menſura diſponis.

2. O *Pater*, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum; ſed & hæc infirmitas ſeu afflictio mea, nonne donum tuum eſt? An eam caſui & fortunæ tribuam, non agnoſcens tuam providentiam? Abſit hoc à me; Scio enim, quia tu gubernas omnia: Sed & tu Domine cuſtodis omnia oſſa noſtra, unum ex his ſine te non conteretur. Quin & capilli capitis noſtri omnes numerati ſunt apud te. In manibus tuis ſortes meæ. Tu percutis & ſanas, vivificas & mortificas. Sive vivimus, ſive morimur, tui ſumus Domine. Fiat in omnibus voluntas tua. Si bona ſuſcepimus de manu Domini, mala quare non ſuſtineamus? quæ tamen mala non erunt, ſi ea ſuſcipimus ex mente Domini, qui nos corripit ut filios, ad diſciplinam. Nempe diligentibus Deum, hæc ipſa mala cooperantur in bonum.

3. O *Domine* ego ſervus tuus, & filius ancillæ tuæ; fac de me, quod placitum fuerit ante te; & quis ſum ego, qui repugnem tibi? Quis enim reſtitit tibi, & pacem habuit? Ecce ego lutum, tu figulus. Finge, & excoque me, ſi ita viſum tibi, in camino tribulationis; ut fiam vas in honorem.

4. O *Medice*, qui verbo curas omnes languores animæ, nec minus corporis, quando id animæ noſti expedire:

Sana

Sana me Domine, & ſanabor in anima; ſalvum me fac, & corpore quoque ſalvus ero. Confido in te; & non in medicis, aut ullis remediis. Illa quidem non reſpuo: Sed niſi tu reſtauraveris domum ruinoſam corporis mei, in vanum laborant omnes qui ædificant eam.

Remediis ergo, ſi quæ porriguntur, tu præſta vires, ut efficaciam ſuam habeant in me: Sin minus, Patientiam operare in anima mea: nam illa certiſſimum & præſentiſſimum eſt adverſus omnes morbos & mala remedium.

Sed ecce jam agnoſco te reipſa Medicum. Officium medici eſt noxium humorem ab ægris corporibus expellere, amara etiam potione, aut duro quovis remedio. Id tu facis, nunc ô cœleſtis medice, hac afflictione corporis mei. Durum quidem remedium, & ingratum, fateor, carni meæ; Sed intemperans & inobediens æger crudelem facit medicum.

Nimirum ego, cur negem? Sæpe indulſi carni meæ; nutrivi eam in delitiis; multam noxiæ bilis, & pravi humoris colluviem contraxi. Itaque contraria ſorte contrariis curanda judicas. Fiat Domine; detur caro in interitum; modo Spiritus ſalvus fiat. Caro nos læta traxit in culpam, afflicta utinam reducat ad veniam. Vre, ſeca; modo parcas in æternum.

O R A T I O

Ad Chriſtum orantem in Horto ſub initium Paſſionis.

Pro gratia & ſolatio in hora mortis.

Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem; Et progreſſus puſillum procidit in faciem ſuam, orans & dicens: Pater mi, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte. Veruntamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu. Et factus in agonia prolixius orabat. Et factus eſt ſudor ejus, ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram.

O Dominator Cœli & terræ, Ieſu Chriſte, robur, fortitudo, & victoria Martyrum, qui per te inſul-

tant morti, & in morte victores exultant. Vnde ergo tibi metus iſte? unde tam anxia ſupplicatio? unde ſudor tam mirus & inauditus, id eſt Sanguineus? Nonne oblatus es, quia ipſe voluiſti? nonne voluntarie omnino ſacrificium iſtud Deo Patri obtuliſti?

Quis non timeat ô Domine, ſi times tu, quem omnia timent? Quis non concidat exanimis, ſi tu procidis in faciem, cui curvatur omne genu? Quis non exhorreat ad mortis aſpectum, ſi tu, qui victor mortis futurus es, morte appropinquante, ſic formidas?

Sed benedictus ſis in æternum, mi Ieſu, quia ad conſolationem infirmorum membrorum tuorum, hæc infirmitatis indicia aſſumere dignatus es; ne carnis infirmitas nobis deſperationem ingerat, ubi ad paſſionem & mortem promptus eſt Spiritus.

Eja Domine recordare vehementis illius triſtitiæ, illius pavoris, horroris, & terribilis anguſtiæ, quæ velut inundantes aquæ intraverunt uſque ad animam tuam, cum jam adeſſet initium acerbiſſimæ Paſſionis tuæ; adeoque pronus caderes in terram, & peteres à Patre transferri calicem iſtum abs te.

Recordare duriſſimi illius agonis, & luctæ, heu, nimis acerbæ, qua tibi cum morte, in triſtiſſima illa nocte confligendum fuit, quæ & ſanguineum è toto corpore tuo ſudorem heu quam violenter expreſſit!

Memento, inquam, Domine, quorſum hæc omnia? Vtique propter nos homines, & propter noſtram ſalutem. Et quidem erit, cum & ego veniam in hanc horam; cum & ego in hunc hortum ſeu campum certaminis ingrediar; ut cum morte congrediar. Heu Domine, Quid tunc fiet de me? Sine ope tua ſubſiſtere non potero; quin deficiam & ſuccumbam, niſi tu mecum ſis, & pugnes pro me; tu, qui laborantes & oneratos invitas ad te, ut eos reficias.

Calicem quidem tuum, & ego bibere paratus ſum; quo-

quomodo enim ego peccator recuſabo eum, cum tu Agnus innocens illum prior ebiberis? Itaque deprecari eum non audeo: attamen hoc enixe precor, Domine, ut temperes mihi calicem iſtum, & amaritudinem ejus, ſic *Gratiæ* & conſolationis tuæ fonte diluas, ut non abhorream, nec ſubterfugiam, quo minus bibam illum: omnia enim potero per *Gratiam* tuam, ſi me confortes. Sed & calix *Gloriæ* tuæ inebrians quam præclarus eſt! O ubertas Domus Dei, quam inebriabuntur Electi tui! O torrens voluptatis, quo potabis amicos tuos! Quid iſta ſpes & exſpectatio non leniat, condiat, aut dulcoret? certe omne durum ac grave tribulationis noſtræ, æternum Gloriæ pondus alleviat.

Verum Domine in his non mea voluntas, ſed tua fiat: Lenem & ſuavem mortem non peto; Sed qualem tu vis, & noſti fore ad majorem gloriam tuam, & meam ſalutem. Totum hoc tuæ pietati, & voluntati committo. Si difficiliorem mihi luctam, & graviores mortis anguſtias divina providentia tua diſpoſuit, fiat voluntas tua. Paratum cor meum Deus; ſed conſerva & adauge in me fidem, & ſpem præſentiæ, bonitatis, & miſericordiæ tuæ; nec derelinquas me Deus Salvator meus; ſicut nec Pater tuus dereliquit te; mitte, inquam, & mihi Angelum ſanctum tuum, qui in illis anguſtiis me conſolationibus ſuis erigat, & confirmet, omnemque virtutem inimici propulſet à me, donec peracto hoc agone, lætus triumphem, & merear à te coronam vitæ, quam promiſiſti diligentibus te, & perſeverantibus uſque in finem, Amen.

Cap. XI.

Proteſtationes ſæpius faciendæ, & maxime ante mortem, ab eo, qui Chriſtiane vivere, & mori deſiderat.

I.

IN primis proteſtor, me tota animi promptitudine à divina providentia acceptare hanc & quamcunque aliam crucem, morbum, imo & mortem ipſam, divinæ voluntati meam pleniſſime ſubmittens; & agnoſcens me non ſolum hac afflictione, infirmitate, & morte, verum etiam omni alio graviori ſupplicio, ipſo etiam inferno, propter innumerabilia peccata mea digniſſimum.

Suſcipio inſuper hanc infirmitatem & mortem, ob reverentiam ſacratiſſimæ Paſſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti, dolores, moleſtias, & acerbitates, quas tolero, cum moleſtiis, doloribus, & amariſſimis pœnis, quas in vita, paſſione & in morte ſua pertulit, uniens; ſuppliciterque eum rogans, ut dignetur eas acceptare pro pœnis innumerabilium peccatorum, quorum in Purgatorio debitorem me fateor, adeoque in remiſſionem culparum mearum, & maxime earum, quæ plurimum conſcientiam meam urgent, & quas majori cum diligentia confeſſas, & diligentiori ſatisfactione abolitas modo optarem.

II.

PRotector quod ſicut hactenus in vera S. Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ fide vixi, & credidi firmiſſime, quicquid illa credidit, mihique credendum propoſuit, ſpeciatim autem articulos Symboli Apoſtolici; ita etiam velim mori in eadem fide: & in hunc finem

con-

confitendo dico; Credo in Deum Patrem omnipotentem, *&c.* omnia eodem ſenſu intelligens, quo illa ſemper intellexit ſancta Mater Eccleſia.

III.

PRoteſtor me humillime petere remiſſionem omnium meorum peccatorum commiſſorum contra divinam Majeſtatem, proximum, & meipſum, cogitatione, verbo, opere, & omiſſione in obſervantia mandatorum Dei, præceptorum Eccleſiæ (Regulæ & conſtitutionum quas profeſſus ſum) in operibus miſericordiæ, tum ſpiritualibus, tum corporalibus; in abuſu Sacramentorum, & negligenti cuſtodia ſenſuum meorum, omnium, inquam, peccatorum meorum ſeu mortalium, ſeu venialium; occultorum & alienorum, veniam precor à Deo meo per infinitam bonitatem, & miſericordiam ejus, per meritum vitæ, paſſionis & mortis Domini mei, & Filii ejus Ieſu Chriſti, & per potentiſſimam interceſſionem glorioſiſſimæ Virginis Mariæ matris Chriſti; per opem omnium Angelorum, Sanctorum, & Sanctarum Curiæ cæleſtis, & ſpecialiter Patronorum meorum. Atque humillime à divina bonitate peto, ut dignetur ex hoc tam immenſo theſauro omnes defectus meos in confeſſione Sacramentali commiſſos ſupplere; & vel nunc demum veram ac ſinceram mihi largiri contritionem de omnibus peccatis meis.

IV.

PRoteſtor quod ex animo ignoſcam omnibus qui me unquam quocunque modo læſerunt vel offenderunt, imo illis à divina Majeſtate omnia illa bona precor, quæ deſidero animæ meæ, inſuperque veniam peto, ſi eis occaſionem me offendendi præbuerim. Deum autem omnipotentem rogo, ut profunde ac vivaciter hoc ipſum in corde meo ſentiam, & vere ac ſincere dicere

valeam, Dimitte mihi debita mea, ſicut & ego dimitto debitoribus meis.

V.

PRoteſtor quod humillime ex toto corde veniam rogem ab omnibus illis, quos malo exemplo, factis, verbis, vel quocunque modo, ſcienter vel ignoranter offendi, ad omnem ſatisfactionem me paratiſſimum offerens; & Deum enixe rogans, ut ſi quem læſi, aut defraudavi, ejus mihi memoriam renovet, & reſarciendæ omnis injuriæ ſinceram voluntatem & plenam facultatem mihi ante mortem tribuat.

V I.

PRoteſtor me cogitationibus, verbis & operibus imparem divinæ bonitati eſſe, nec infinitis beneficiis & gratiis, quæ tu Domine mi, mihi præſtitiſti, tam univerſalibus, quam particularibus, tam publicis, quam privatis, tam manifeſtis, quam occultis, ullo modo reſpondere poſſe; adeoque ſanctiſſimis tuis pedibus advolutus, quas poſſum maximas, maximoque animi affectu gratias ago.

Appello itaque beatiſſimam Virginem Matrem tuam, Patronam meam, ſanctos Angelos, & præcipue Cuſtodem meum; omnes Sanctos & Sanctas curiæ cœleſtis, ſpecialiter autem meos Patronos & advocatos, ut ſuis gratiarum actionibus ſuppleant meum defectum, & ſingularem ingratitudinem, de qua doleo, ac te veniam rogo. Optarem autem mihi hoc caſu tot linguas & corda, quot ſunt creaturæ in mundo, quot ſtellæ in cœlo, quot folia in arboribus, quot arenæ in littore maris, ut aliquo modo pares gratias decantare tibi valeam, & ideo illud Propheticum aſſumo:

Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula.

Lau-

Laudate Dominum de cœlis: laudate eum in excelſis.

Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me ſunt, nomini ſancto ejus.

Benedic anima mea Domino: & noli oblivisci omnes retributiones ejus.

Benedicam Dominum in omni tempore: ſemper laus ejus in ore meo.

Similiter omnibus illis gratias ago, qui mihi ullum beneficium corporale aut ſpirituale præſtiterunt: præcipue illis, qui me inſtruxerunt, corripuerunt, & admonuerunt; aut ullam mihi occaſionem de dulciſſimo meo Ieſu bene merendi ex charitate præbuerunt.

VII.

PRoteſtor me velle vivere, & mori, munitum meritis Paſſionis, Mortis, & Sanguinis à Salvatore meo effuſi; item Patrocinio glorioſiſſimæ Virginis, & omnium Sanctorum Eccleſiæ, ac reliquorum, qui adhuc ſunt, aut erunt uſque ad finem mundi, quæ omnia Deo offero pro remiſſione omnium meorum peccatorum, & in gratiarum actionem pro omnibus beneficiis à divina Majeſtate receptis.

VIII.

EX nunc pro hora mortis meæ ſupplico beatiſſimæ Virgini, Angelo meo cuſtodi, omnibus Sanctis, ut quoad vixero, & maxime in hora mortis meæ, efficacibus ſuis interceſſionibus, & meritis impetrent mihi veram fidem, certam ſpem, ardentem charitatem, conſtantem fortitudinem, profundam humilitatem, invictam patientiam, omneſque alias virtutes, quæ mihi pro reliquo vitæ meæ, ac mortis articulo neceſſariæ ſunt: ideoque ex nunc pro tunc dico:

Maria Mater gratiæ,
Mater Miſericordiæ,

Tu nos ab hoſte protege,
Et hora mortis ſuſcipe.
Omnes Sancti & Sanctæ Dei, intercedite pro me, ut dignus ſim mori in gratia Chriſti.

I X.

PRoteſtor quod ſi Deo permittente contingeret me vitæ aut mortis tempore ab hoſte maligno, quacunque tentatione pulſari, me nolle illi conſentire, neque tacite, neque expreſſe, neque ſignis, neque verbis, neque factis; adeoque ex nunc pro tunc revoco, irrito & deteſtor omnes & qualeſcunque cogitationes, quas dæmon mihi ſuggerere poterit: ſoli enim Deo Creatori meo, in finem uſque adhærere, & fidelis eſſe volo: Abrenuncians ex nunc denuo & totaliter Satanæ, & omnibus operibus ac ſuggeſtionibus ejus.

X.

DEnique commendo animam meam Deo Creatori, qui eam ex nihilo creavit: Chriſto Salvatori, qui eam ſuo Sanguine & morte redemit: Spiritui S. qui eam in Baptiſmo ſibi ſanctificavit. In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum. Deus propitius eſto mihi peccatori.

Similiter proteſtor, quod ubi in agone conſtitutus, amplius lingua loqui non valuero, ſaltem animo deſiderem Deo meo uniri; & ex nunc pro tunc illi offero agoniam, labores, ſudores, & paſſiones meas, uniendas agoniæ, ſudori ſanguineo, doloribus & paſſionibus dulciſſimi Salvatoris mei, Ieſu Chriſti, in remiſſionem peccatorum meorum, & ad gloriam ejus æternam: omneſque ipſi aſſiſtentes Angelos toto corde deprecor, ut me in hoc mortis articulo fideli præſidio defendant.

Cap. XII.

Exercitium ſeu Proteſtatio Infirmi & Moribundi.

Quæ coram Ven. Sacramento, ab infirmo Viaticum ſumpturo, vel ab alio ejus nomine utiliter legetur.

Vtilis etiam alias in Communione, tam ſanis, quam infirmis.

O Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, Ecce ego creatura tua facta ad imaginem tuam, & redempta Sanguine Vnigeniti Filii tui, compareo coram te Creatore meo; à quo, & ad quem creatus ſum; cujus gratia vixi hactenus, & cui deinceps quouſque tibi viſum fuerit, vivere volo; propter quem, & in quo mori cupio; Adoro te ſupplex ad quem deſiderat, & millies ſuſpirat anima mea: ad te clamo, quem ſolum præ omnibus amo, ô quies mea, ſpes mea, amor meus, deſiderium meum, & omne bonum cordis mei.

O Pater amantiſſime, quamvis ſim minimus filiorum tuorum, imo indignus vocari filius tuus, quia te non honoravi, ut Patrem: venio tamen magna cum fiducia, & me projicio in ſinum & brachia ſuaviſſimæ charitatis, & miſericordiæ tuæ: dolens ex intimo corde meo, quod unquam dereliquerim te Deum meum, fontem omnis boni, à te diſceſſerim dulciſſimo Patre meo: tui oblitus fuerim: qui omni momento, quaſi omnium aliorum immemor, nunquam oblitus es mei.

O utinam nunquam offendiſſem te, ô Deus meus & omnia! Suſcipe ſaltem hoc ab intimo cordis mei ardens votum, ac deſiderium meum; Dum tempus eſt miſerendi, reſpice in me, & miſerere mei. Scis enim, Domine, quia amo te pluſquam me (aut certe ſic amare deſidero) & ſuper omnia, quæ ſunt, & eſſe poſſunt amabilia.

Scio

Scio cui credidi; & quia potens es depoſitum meum ſervare: ſcio etiam quia cor contritum & humiliatum ô Deus non deſpicies.

Spero quoque quod nunquam projicies me à facie tua, tu qui tam amanter invitas nos ad te, dicens: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis; & ego reficiam vos. Ecce Domine venio; Tu, qui omne, quod ad te venerit, non ejicis foras, ſuſcipe me ſecundum eloquium tuum, & vivam, & non confundas me ab exſpectatione mea. Educ de hoc carcere animam meam, ad confitendum nomini tuo.

O felix hora! quando liberabor de corpore mortis hujus? Quando veniam ad te? quando venies, & conſolaberis me? quando non per ſpeculum & in ænigmate, ſed facie ad faciem videbo te? quando depoſito hoc corpore, quod corrumpitur, & aggravat animam, ſine remora laudabo te? quando ſervum tuum dimittes in pace, ut pure ſerviat tibi?

Priuſquam autem abeam, & amplius non ero, ſaltem cupio divinæ Majeſtati tuæ in hac lacrymarum valle ex ómnibus animi viribus incipere offerre ſacrificium laudis; ut deinceps in ſæcula ſæculorum laudem te.

Gratias igitur ago tibi infinities, quod ab æterno dignatus fueris de me tam amanter cogitare; & in tempore creare me ad imaginem tuam: Et quando venit plenitudo temporis, redimere me Sanguine Vnigeniti Filii tui; toties mihi parcere peccanti, & de tenebris peccati toties me revocare in admirabile lumen tuum.

Quid vero tibi, ô Domine IESV, pro laborioſa vita, & acerbiſſima morte tua; & quod toties me paſcere dignatus es Corpore & Sanguine tuo; quid, inquam tibi pro omnibus, quæ retribuiſti mihi, retribuam, ô Sponſe dilecte animæ meæ?

Abyſſus nihili mei, & miſeriarum mearum invocat abyſſum bonitatis & immenſæ charitatis tuæ, in voce

quin-

quinque cataractarum, id eſt vulnerum tuorum; in his enim tota ſpes, & fiducia mea: propter hæc, & immenſum oceanum miſericordiæ tuæ, ex iis manantem, ſecurus venio ad te, etſi miſer, nudus, & pauper, quia tu dives es in omnes, & bonorum meorum non eges. Calicem ſalutaris quem mihi propinas, quamvis amarum, libens accipiam de manu tua, & bibam illum tecum, quia tu prior illum pro me ebibiſti, cum ita vehementer ſitires ſalutem meam. Sed & nomen Domini invocabo, & ſacrificabo tibi hoſtiam laudis.

Quis mihi tribuat, ut ex omni affectu cœleſtis curiæ, omnium Angelorum, & Sanctorum, & inprimis ſanctiſſimæ Matris tuæ, te pro hoc arctiſſime complecti poſſem; ut omnium eorum, & omnium creaturarum vocibus & affectibus, te laudem atque glorificem?

Accipe Domine cor meum in holocauſtum, quod jam totum tibi præbeo; Do & oculos meos, ut te ſolum videant, & in te omnia: aures meas, ut audiant verbum tuum; os, ſeu linguam, & labia mea, ut repleantur & cantent gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam; Manus meas, ut extendam eas in cœlum ad orationem; vel ad proximum pro eleemoſyna; & ad mandata tua: Pedes meos, ut dirigantur in viam pacis: omnia denique membra & oſſa mea ut dicant: Domine, quis ſimilis tibi?

Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me ſunt, nomini ſancto ejus: Benedic anima mea Domino, & noli oblviſci omnes retributiones ejus. Abrenuncio jam omnibus terrenis his: quia in te uno omnia habeo; abnego me, quia tuus ſum ego, & vivo ego, jam non ego, vivis autem in me Chriſte IESV; & diligo te ex corde meo, ex tota anima mea, ex tota mente mea, & ex totis viribus meis.

Pone ergo me juxta te, & cujuſvis manus pugnet contra me: Et ſi forte contingeret deinceps ut vi morbi,

aut hoſtis fallacia, aliena ab his cogitarem vel loquerer; ea nunc revoco & abrenuncio; & conteſtor coram te, Deus meus, & te, ô beatiſſima Mater mea, Virgo *Maria*, & te, mi Angele Cuſtos, & vobis ô dilecti Patroni mei N. & N. quia in fide Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ vivere & mori volo: & in ſolo Deo ac Domino meo *Ieſu Chriſto*, ejuſque meritis confido: Et amo illum ſuper omnia, toto corde, tota anima mea, & uſque ad extremum ſpiritum amare volo.

Quidquid contra hæc tam ſancte,tamque ſeria voluntate decreta mihi vel hoſtis tentatio, vel carnis infirmitas; vel morbi vis aut corporis afflictio ſuggeſſerit, nullum cupio eſſe in tribunali tuo, ô Deus: idque omnino nunc abominor, execror, & abjuro: hocque teſtamentum in die judicii ſolum volo validum eſſe; quod paratus ſum ſanguine meo conſignare; pro quo,& pro te,ô Deus meus, millies mori opto, ut tibi vivam,cui omnia vivunt; tibi moriar, dulciſſime *Ieſu*, qui amore mei dignatus es mori.

ORATIO

Poſt ſumptam in morbo SS. Euchariſtiam,

Ad IESVM Chriſtum Mundi Salvatorem.

Quæ etiam alias poſt Communionem erit uſui.

GLoria tibi Chriſte, qui in dulcedine tua pauperem meam animam viſitare & refocillare dignatus es. Nunc dimittis ſervum tuum Domine, ſecundum verbum tuum in pace.

Iam te teneo, dulcis amor, jam ultra non dimitto te, jam Mundo & omnibus, quæ mundi ſunt, lubens valefacio,jam gaudens ad te venio, Deus meus.

Nihil amodo; nihil, ô bone IESV, me ſeparabit à te; tibi enim Chriſte conjunctus ſum, in te vivam, in te moriar, & in te, ſi volueris,in æternum permanebo. Vivo jam non ego, vivit vero in me Chriſtus.

Tædet

Tædet nunc animam meam vitæ meæ ; cupio diſſolvi & eſſe cum Chriſto : mihi enim vivere Chriſtus eſt, & mori lucrum.

Iam non timebo mala ambulans in regione umbræ mortis, quoniam tu mecum es Domine, & ſicut deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus : ſitivit anima mea ad Deum fontem vivum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei mei ?

Benedic mihi, *Ieſu* amantiſſime,& nunc in pace dimitte me, quoniam tuus ſum ego ; & in æternum ultra nunquam dimittam te.

O ſi felici tibi copula nunc ſocier in æternum, ô ſi totus in te immergi, totus abſorberi & ſepeliri in te merear,ô ſi anima mea inter amplexus tuos ſuaviter requieſcens,abſorbeatur tota in te,& feliciſſime fruatur te Deo amatore ſuo.

Quid mihi jam ultra cum Mundo, mi amantiſſime *Ieſu* ? Ecce nec in cœlis quidquam præter te volui.

In manus tuas Domine *Ieſu*, commendo ſpiritum meum. Recipe me,dulcis amor, ut in æternum mihi bene ſit in te, & in pace ſuaviter in te obdormiam & requieſcam.

ORATIONES

Pro felice morte, tam ſanis quam infirmis plurimum utiles.

Quæ non minus apud moribundos, ab aliis, paucis mutatis, utiliſſime recitari poſſunt.

Oratio I.

DOmine *Ieſu* Chriſte, per agnoniam, & orationem tuam ſanctiſſimam, quam oraſti pro nobis in monte Oliveti, quando factus eſt ſudor tuus ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram ; obſecro te, ut multitudinem ſudoris tui ſanguinei, quam præ timoris tui anguſtia copioſiſ-

pioſiſſime pro nobis effudiſti, offerre & oſtendere digneris Deo Patri omnipotenti, contra multitudinem omnium peccatorum [meorum (*hujus famuli tui* N.) & libera [me (*eum*) in (*hac*) hora mortis [meæ (*ſuæ*) ab omnibus pœnis & anguſtiis, quæ pro peccatis [meis m. (*ſuis ſe*) meruiſſe [timeo (*timet.*) Qui cum eodem Deo Patre & Spiritu S. *&c.*

Pater noſter. Ave Maria.

Oratio II.

DOmine *Ieſu* Chriſte, qui pro nobis in Cruce mori dignatus es: obſecro te, ut omnes amaritudines paſſionum & pœnarum tuarum, quas pro nobis miſeris peccatoribus ſuſtinuiſti in cruce, & maxime in illa hora, quando ſanctiſſima anima tua egreſſa eſt de corpore tuo ſanctiſſimo, offerre & oſtendere digneris Deo Patri Omnipotenti, pro anima [mea (*hujus famuli tui* N.) & libera [me (*eum*) in *hac* hora mortis, ab omnibus pœnis & paſſionibus, quas pro peccatis [meis me meruiſſe timeo. (*ſuis ſe meruiſſe timet.*) Qui cum eodem Deo Patre, & Spiritu S.

Pater noſter. Ave Maria.

Oratio III.

DOmine *Ieſu* Chriſte, qui per os Prophetæ dixiſti; In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miſerans tui: obſecro te, ut eandem charitatem tuam, quæ te de cœlo ad terram, ad tolerandas omnium paſſionum tuarum amaritudines traxit, offerre & oſtendere digneris Deo Patri Omnipotenti pro anima [mea (*hujus famuli tui* N.) & libera [me (*eum*) ab omnibus paſſionibus & pœnis, quas pro peccatis [meis me timeo meruiſſe (*ſuis ſe meruiſſe timet*) & ſalva animam [meam (*ejus*) in *hac* hora exitus [mei. (*ſui.*) Aperi mihi (*ei*) Domine, januam vitæ, & fac [me (*eum*)

gau-

gaudere cum Sanctis tuis in gloria. Qui cum eodem Deo Patre & Spiritu S.

Pater noſter. Ave Maria.

Domine Ieſu Chriſte, qui redemiſti nos pretioſo ſanguine tuo, ſcribe in anima [mea (*famuli tui* N.) tua pretioſiſſima vulnera ſanguine tuo, ut [diſcam (*diſcat*) in eis legere tuum dolorem, contra omnes dolores & pœnas, quas pro peccatis [meis me meruiſſe timeo; (*ſuis ſe meruiſſe timet*;) amorem tuum, ut [uniar (*uniatur*) tibi amore invincibili, quo à te & omnibus Electis tuis, nunquam poſſim (*poſſit*) in perpetuum ſeparari.

Fac [me (*eum*) Domine *Ieſu* Chriſte, participem ſacratiſſimæ Incarnationis, ſanctiſſimæ Converſationis, amariſſimæ Paſſionis, glorioſiſſimæ Reſurrectionis, & admirabilis Aſcenſionis tuæ.

Fac [me (*eum*) Domine participem ſacratiſſimorum Myſteriorum, & Sacramentorum tuorum.

Fac [me (*eum*) Domine participem omnium orationum & ſacrificiorum, quæ fiunt in Eccleſia tua ſancta.

Fac [me (*eum*) denique participem omnium benedictionum; gratiarum, meritorum, gaudiorum, omnium Electorum tuorum, qui tibi placuerunt ab initio mundi, & concede mihi (*ei*) ut cum his omnibus in conſpectu tuo gaudeamus in æternum. Amen.

COMMENDATIO
Animæ in manus Creatoris.

In manus tuas, Domine, commendo ſpiritum meum.

IAm commendo ſanus & valens, ut commendatum habeas, ô Chriſte, quando illum commendare non potero amplius, etſi ſuis vinculis nondum ſolutum. Timeo tempus illud, quo inter vivos ero, nec eſſe me ſciam. Videmus in pleriſque moribundis id fieri. ſpirant, vivunt, & vivere ſe neſciunt. quis palpitantem tunc ſpiritum

& migrare trepidantem, tandem tamen ex amico carcere migrantem recipiat, ſi tu excludas, ô Creator?

Chriſte patientiſſime recordare, etiam te in extremis illis anguſtiis lacrymarum, & deſeri queſtum eſſe, ſpiritum Patri commendaſſe, exclamaſſe, expiraſſe.

Ad te ego jam clamo, ut tu Salvator meus ſpiritum meum ſuſcipias, quocunque morbo, tempore, loco, è corpore abeuntem.

Recordare, bone *Ieſu*, in cruce te brachia expandiſſe, pectus aperuiſſe, caput inclinaſſe. Ecce, anima mea à rebus creatis omnibus deſerta, refugium quærit: in illa tua brachia ſeſe immittit, in tuum illud pectus ſeſe ingerit: admitte, obſecro, miſeram, & ne inde exturba, donec ira Dei tranſeat. hic ſecura, hic ab inferorum ſatellitibus tuta lateat.

Ergo, in manus tuas, Domine, commendo ſpiritum meum, imo tuum, quia tu eum creaſti & reparaſti: Figmentum tuum, ô Deus, ne deſpice.

CAP. XIII.

De modo agendi apud infirmos, præſertim moribundos.

A*Mplum ac celebre eſt hoc argumentum; nec intra tam anguſtos, qui nobis reſtant,* Paradiſi *limites arctandum. Vberius iſtud perſequetur* PÆDAGOGVS Ægrotantium, & Agonizantium, *quem, Deo propitio, videbit pius Lector. Nunc paucis quædam proponemus.*

Cui itaque curæ ac cordi eſt Chriſtiana charitas, eam ſi unquam alias, tum præcipue apud Infirmos *&* Moribundos, *oſtendat; eo nempe temporis articulo, quo de ſumma rei decertandum eſt, & cauſſa totius* Æternitatis *agenda. O res plena diſcriminis! Et quid; ſi Æger ſolus in arenam deſcendat, congruis auxiliis deſtitutus?*

Faceſſant ergo inde otioſi & curioſi ſpectatores: adſint vero pii homines,

mines, qui cum hortando, *tum* conſolando, *tum* orando *Moribundum in illa difficili lucta, fideliter adjuvent, & ad felicem exitum dirigant.*

Potiſſima tamen ſit circa Contritionem, Fidem, Spem, Charitatem, & Reſignationem *cura, id eſt, Moribundus ſerium de* peccatis ſuis dolorem *concipiat; ut vivos ac efficaces* Actus, Fidei, Spei, ac Amoris erga Deum Proximumque *exerceat; ut ſeſe totum* reſignet *ac* conformet *divinæ voluntati: infinitæ Dei miſericordiæ immobiliter inhæreat,* &c.

Complura huc opportuna paſſim Paradiſus *ſuggeret; Nos commodo pii* Lectoris *obiter quædam annotabimus.*

Memento tamen hæc & ſimilia apud infirmos (maxime quibus morbus infeſtior eſt, caput debile, ratio non perinde lucida) non temere & confertim, ſed ſenſim, leniter, & per intervalla ingerenda: ut ſpatium iis etiam detur, audita nonnihil ruminandi; & in uſum ſuum vertendi. Nam & oleum copioſius, ac cum impetu effuſum Lampadem non alit, ſed extinguit: & præceps imber arva ſubvertit, aut defluit; at qui ſenſim decidit, terram ſubit, irrigat, & fœcundat.

Videas multum apud Ægros hac in parte peccari, dum iis nimium legendo, & alloquendo, ſæpe etiam parerga, & quæ minus ad rem, ingerendo caput obtunditur.

Si cui ergo libet uti Paradiſo apud Infirmos *&* Agonizantes, *præter ea,* quæ hac ipſa ſect. 7. *tradimus, uſum habebunt ſequentia.*

Profeſſio *ſeu* Actus *Fidei ſect.* 1. *pag.* 71.

Actus *Spei ibid. pag.* 72.

Actus *Charitatis ibid. pag.* 74.

Modus excitandi Contritionem. *Colloq. ſect.* 3. §. 9. *pag.* 174.

Quomodo animandus Peccator ſpe divinæ miſericordiæ. *ibid.* 176.

Litaniæ Pœnitentium ex S. Script. *pag.* 184.

Oratio elegantiſſima S. Bern. pro remiſſione peccatorum. *pag.* 198.

Oratio Dominica ad uſum pœnitentium aptata. *p.* 200.

Actus compunctionis & odii contra peccata.*pag*.276.
Exercitium Fidei, Spei, Charitatis. *pag*. 294, *& ſeq*.
Exercit. Reſignationis. *pag*. 300.
Contemptus rerum terrenarum. *pag*. 302.
Patientiæ. *pag*. 305.
Exercit. Ingentis Meriti, *&c. pag*. 316. *Sect*. VI. *de Paſſione Domini*, plurima inveniet pius Lector huc idonea; præſertim in Colloquio inter Chriſtum & Hominem.

Item Litaniæ de Paſſione Domini.

Aſpirationes Rhythmicæ ad membra Chriſti patientis. *eadem Sect*.

Aliæque Orationes *ibidem* de Paſſione Domini.

Denique ſupra, hac ipſa Sect. ex Colloquio *plurima peti poſſunt, apud Ægros non inutilia, nec ingrata futura.*

Oratio ad B. Virginem pro felici morte. *cap*. 7. *in fine*.

Litaniæ & Oratio Dominica Ægris & Moribundis accommodata, *par*. 2. *hac Sect*.

Item Proteſtationes, aliaque *quæ ſequuntur ibid*.

His omnibus addendæ

Selectæ *Quædam* Formulæ, *&* Sententiæ *ſacræ*;
Ad exercendas Virtutes Theolog. &c. *quæ circa mortem præcipue conveniunt.*

Ad *Exercitium* FIDEI.

CRedo in Deum Patrem, qui me creavit ad imaginem & ſimilitudinem ſuam.

Et in Ieſum Chriſtum Salvatorem meum, qui me ſuo ſanguine redemit.

Et in Spiritum S. qui me in Baptiſmo ſanctificavit.

Credo Domine; adauge fidem meam.

Credo quod Redemptor meus vivit; & in noviſſimo die de terra ſurrecturus ſum; & in carne mea videbo Deum Salvatorem meum.

Credo, quia apud Deum non eſt impoſſibile omne verbum.

Credo quidquid dixit Dei Filius, Nihil hoc verbo veritatis verius.

Credo Domine Ieſu, quia tu es Chriſtus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum veniſti, non perdere ſed ſalvare nos.

Credo quidquid Sancta Catholica, & Apoſtolica Eccleſia à Chriſto & Apoſtolis hucuſque credit, & mihi credendum propoſuit, cujus Eccleſiæ petra & fundamentum eſt Chriſtus Ieſus, dicens, Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.

Hic recitetur Symbolum Apoſtolorum. Credo, *cui ſubjunge*, in hac fide natus & baptizatus ſum; in hac vixi, per Dei gratiam in hac vivere, & mori volo: Adjuvet, & confortet me contra omnem tentationem charitas & gratia Ieſu Chriſti Salvatoris mei, *&c.*

Actum Fidei. *vide Sect.* 1. *Pag.* 71.

Ad *Exercitium* SPEI.

I*Nnumera ſunt in* Pſalmis, Prophetis, Euangeliis, *huc pertinentia: Nos aliqua delibabimus, prout occurrent memoriæ:* Nihil quidem tam neceſſarium Moribundo, quam ut firmiſſimam de divina miſericordia Spem in animo retineat; Nam hoſtis eam præcipue convellere nititur.

Dominus illuminatio mea & ſalus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? *&c.* *Pſal.* 26.

Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. *Pſal.* 22.

In te Domine ſperavi, non confundar in æternum, in juſtitia tua libera me. *Pſal.* 30.

Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei. Tu es qui reſtitues hæreditatem meam mihi.

Providebam Dominum in conſpectu meo ſemper, quoniam à dextris eſt mihi, ne commovear.

Propter hoc lætatum eſt cor meum, & exultavit lingua mea, inſuper & caro mea requieſcet in ſpe, *&c.* *Pſal.* 15.

Exurgat Deus & diſſipentur inimici ejus, & fugiant qui oderunt eum, à facie ejus; ſicut deficit fumus, deficiant; ſicut fluit cera à facie ignis, ſic pereant peccatores à facie Dei. *Pſal.* 67.

Iuxta eſt Dominus his qui tribulato ſunt corde, & humiles ſpiritu ſalvabit. *Pſal.* 33.

Quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, ſalutare vultus mei & Deus meus. *Pſal.* 41.

Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Non enim miſit Deus Filium ſuum in mundum, ut judicet mundum, ſed ut mundus ſalvetur per ipſum. *Ioan.* 3.

Sed & ſi quis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem, IESVM Chriſtum juſtum: & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi. 1 *Ioan.* 2.

Amen, amen dico vobis, quia qui verbum audit & credit ei qui miſit me; habet vitam æternam, & in judicium non venit, ſed tranſiet à morte in vitam. *Ioan.* 5.

Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet, & eum qui venit ad me, non ejiciam foras. Amen, amen dico vobis, qui credit in me, habet vitam æternam. *Ioan.* 6.

Ego ſum Reſurrectio & Vita, qui credit in me, etiamſi mortuus fuerit, vivet, & omnis qui vivit & credit in me non morietur in æternum. *Ioan.* 11.

Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui etiam proprio Filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum; quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit? Quis accuſabit adverſus electos Dei? Deus qui juſtificat. Quis eſt qui condemnet? Chriſtus IESVS qui mortuus

tuus eſt, imo qui & reſurrexit, qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. *Rom.* 8.

Nemo noſtrum ſibi vivit, & nemo ſibi moritur. Sive enim vivimus, Domino vivimus: ſive morimur, Domino morimur: Sive ergo vivimus, ſive morimur, Domini ſumus. *Rom.* 14.

Scimus, quoniam ſi terreſtris domus noſtra hujus habitationis diſſolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manu factam, æternam in cœlis. Nam & in hoc ingemiſcimus habitationem noſtram, quæ de cœlo eſt, ſuperindui cupientes, ſi tamen veſtiti, non nudi inveniamur. 2 *Cor.* 5.

Nunc magnificabitur Chriſtus in corpore meo ſive per vitam, ſive per mortem. Mihi enim vivere Chriſtus eſt, & mori lucrum. Eſſe cum Chriſto multo magis melius. *Phil.* 1.

Noſtra converſatio in cœlis eſt, unde etiam Salvatorem exſpectamus, Dominum noſtrum IESVM Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ. *Phil.* 3.

Fidelis ſermo & omni acceptione dignus, quod Chriſtus IESVS venit in hunc mundum, peccatores ſalvos facere, quorum primus ego ſum. 1 *Tim.* 1.

Qui perſeveraverit uſque in finem, ſalvus erit. *Matt.* 24.

Eſto fidelis uſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. *Apoc.* 2.

Derelinquat impius viam ſuam: & vir iniquus cogitationes ſuas, & revertatur ad Dominum, & miſerebitur ejus, & ad Deum noſtrum, quoniam multus eſt ad ignoſcendum. Non enim cogitationes meæ cogitationes veſtræ, neque viæ veſtræ, viæ meæ. Quia ſicut exaltantur cœli à terra, ſic exaltatæ ſunt viæ meæ à viis veſtris, & cogitationes meæ à cogitationibus veſtris. *Iſa.* 55.

Nunquid voluntatis meæ eſt mors impii, & non ut

convertatur à viis ſuis, & vivat? Convertimini & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris. Et non erit vobis in ruinam iniquitas; quia nolo mortem morientis, revertimini & vivite. *Ezech.* 18.

Vivo ego dicit Dominus Deus: nolo mortem impii; ſed ut convertatur impius à via ſua, & vivat. Convertimini à viis veſtris peſſimis. Et quare moriemini Domus Iſraël? *Ezech.* 33.

Miſerator & miſericors Dominus, longanimus, & multum miſericors.

Quomodo miſeretur pater filiorum, miſertus eſt Dominus timentibus ſe, quoniam ipſe cognovit figmentum noſtrum, *&c.* *Pſal.* 102.

Suavis Dominus univerſis, & miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus.

Allevat Dominus omnes qui corruunt, & erigit omnes eliſos. *Pſal.* 144.

Phariſæi dicebant Diſcipulis Ieſu, quare cum Publicanis & peccatoribus manducat Magiſter veſter? At Ieſus audiens ait, Non eſt opus valentibus medicus, ſed male habentibus. Non enim veni vocare juſtos, ſed peccatores. *Matth.* 9.

Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis; & ego reficiam vos. Et invenietis requiem animabus veſtris. *Matth.* 11.

Ego ſum Paſtor bonus: & cognoſco oves meas; & cognoſcunt me meæ. Sicut novit me Pater, & ego agnoſco Patrem: & animam meam pono pro ovibus meis. *Ioan.* 10.

Oves meæ vocem meam audiunt; & ego cognoſco eas, & ſequuntur me: & ego vitam æternam do eis; & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quiſquam de manu mea. *Ioan.* 10.

Commendat charitatem ſuam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus

mortuus eſt. Multo igitur magis nunc juſtificati in Sanguine ipſius, ſalvi erimus ab ira per ipſum. Si enim cum inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem Filii ejus, multo magis reconciliati ſalvi erimus in vita ipſius. *Rom.* 5.

Actum Spei *vide ſect.* 1. *pag.* 72.

Ad *Exercitium* CHARITATIS.

Diligo te Domine fortitudo mea, Dominus firmamentum meum & refugium meum; & liberator meus. *Pſal.* 17.

Mihi adhærere Deo bonum eſt, & ponere in Domino Deo ſpem meam.

Quid enim mihi eſt in Cœlo, & à te quid volui ſuper terram?

Defecit caro mea, & cor meum: Deus cordis mei; & pars mea Deus in æternum. *Pſal.* 72.

Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus.

Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei mei? *Pſal.* 41.

In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum, redemiſti me Domine Deus veritatis. *Pſal.* 30.

Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius? ſed in his omnibus ſuperamus, propter eum qui dilexit nos. Certus ſum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro. *Rom.* 8.

Actum Charitatis *vide Sect.* 1. *pag.* 74.

Actum Reſignationis *habes ibid. pag.* 82.

Ad *Exercitium* Contritionis;

Ex Pſalmis plurima ſuppetunt, E. G.

MIſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum: ſana me Domine quoniam conturbata ſunt oſſa mea. *Pſal. 6.*

Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce ſervo tuo. *Pſal.* 18.

Delicta juventutis meæ,& ignorantias meas ne memineris. *Pſal.* 24.

Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo: multum eſt enim. *ibid.*

Vide humilitatem & laborem meum: & dimitte univerſa delicta mea. *ibid.*

Domine ante te omne deſiderium meum, & gemitus meus à te non eſt abſconditus. *Pſal.* 37.

Domine ne longe facias miſerationes tuas à me, miſericordia tua, & veritas tua ſemper ſuſceperunt me. *Pſal.* 39.

Quoniam circumdederunt me mala, quorum non eſt numerus, comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui ut viderem. *ibid.*

Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam. Pſal. 50. *item plures ſententiæ ejuſdem Pſalmi.*

Ne memineris Domine iniquitatum mearum antiquarum, cito anticipent me miſericordiæ tuæ, quia pauper factus ſum nimis. *Pſal.* 78.

Adjuva me Deus ſalutaris meus, & propter gloriam nominis tui libera me, & propitius eſto peccatis meis propter nomen tuum. *ibid.*

Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam, & ſalutare tuum da nobis. *Pſal.* 84.

Non intres in judicium cum ſervo tuo, quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens. *Pſal.* 142.

De

De profundis clamavi ad te Domine. *Pſal.* 129.
Si iniquitates obſervaveris Domine, Domine quis ſuſtinebit? *ibid.*

Mitto alia, quia innumera. Hæc autem in ſpecimen tantum allata ſint.

Cap. XIV.

ORATIONES

Et ſententiæ quædam coram moribundis, vicina jam morte frequentandæ.

Moribundus vel alius ejus vice teneat Crucifixum, & recitentur interim ſequentes orationes.

ADoro te, IESV Chriſte, & benedico tibi, quia per crucem tuam redemiſti mundum: Salvator mundi ſalva me, qui per crucem & ſanguinem tuum redemiſti me. Trahe me ad te ô bone *Ieſu*, qui dixiſti, cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum. Trahe me & tene fortiter, ne quiſquam me rapiat de manu tua: ut nihil me ſeparet à te in æternum.

O clementiſſime *Ieſu*, te deprecor per pretioſum ſanguinem tuum, quem pro peccatoribus effundere voluiſti, ut abluas omnes iniquitates meas.

O Anima Chriſti ſanctifica me: ô Sanguis Chriſti purifica me; Corpus Chriſti ſalva me; Aqua lateris Chriſti lava me; Paſſio Chriſti conforta me. O bone *Ieſu*, exaudi me: intra vulnera tua abſconde me; ne permittas, ô bone *Ieſu*, me ſeparari à te, in hora mortis meæ voca me; jube me venire ad te, ut cum Sanctis tuis laudem te in ſæcula.

O Creator, & Redemptor meus, *Ieſu* Chriſte, totum me tibi dedo, non me rejicias: Ad te venio, non me repellas.

Ne projicias me à facie tua, & Spiritum ſanctum

tuum ne auferas à me. Ne perdat me iniquitas mea, quem creavit omnipotens bonitas tua.

Reſpice in me oculis miſericordiæ tuæ, Domine Ieſu Chriſte, rex æterne, Deus & homo, crucifixus propter hominem. Exaudi me ſperantem in te: Miſerere mei pleni miſeriis & peccatis, tu qui fontem miſerationis nunquam manare ceſſabis. Salve ſalutaris victima, pro me & omni humano genere in patibulo Crucis oblata.

Salve nobilis & pretioſe ſanguis, de vulneribus crucifixi Domini mei Ieſu Chriſti profluens, & peccata totius mundi abluens. Recordare Domine creaturæ tuæ, quam tuo ſanguine redemiſti.

Mihi abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri *Ieſu* Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo.

Ecce video te, mi dulciſſime Salvator, pendentem in cruce, extenſis brachiis & inclinato capite, quaſi nos amplexari paratum, & blandiſſima voce nos omnes invitantem; Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos.

Ecce venio Domine; Fac mihi ſecundum verbum tuum: & refice me; venio enim laſſus, & onuſtus pondere peccatorum meorum; Fac bonitatem cum ſervo tuo, qui languores & labores noſtros in cruce portaſti.

ORATIO

Ad Ieſum Chriſtum mundi Salvatorem.

IEſu Chriſte, fons miſericordiæ, oſtende mihi paupérculæ creaturæ tuæ miſericordiam tuam: adjuva me in hac extrema neceſſitate. Creator & Redemptor meus, *Ieſu* Chriſte pone paſſionem, crucem & mortem tuam, inter judicium tuum & animam meam.

Totum me tibi dedo, non me rejicias; ad te venio, non me repellas. Nunc Domine ſecundum voluntatem tuam fac

fac mecum miſericordiam, & præcipe in pace recipi ſpiritum meum, redemiſti me Domine Deus veritatis; Sonet in mentis meæ auribus vox illa dulcis, Domine *Ieſu*: Hodie mecum eris in paradiſo.

Suſcipe me, *Ieſu* Crucifixe, inter amoroſa tua brachia, quæ pro me in cruce extenſa cerno & complector: Suſcipe me inter deſiderabiles amplexus tuos, & trahe ad te animam meam; ſuſcipe me bone Ieſu, in miſericordia tua; ſuſcipe in pace ſpiritum meum, Amen.

Illumina,ô bone *Ieſu*, oculos meos, ne unquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus, prævalui adverſus eum. *Pſal.* 12.

Domine *Ieſu* Chriſte, Fili Dei vivi, pone paſſionem, crucem & mortem tuam, inter judicium tuum & animam meam.

Ne memineris, bone *Ieſu*, iniquitatum mearum, cito anticipent me miſericordiæ tuæ, quia pauper factus ſum nimis. *Pſalmus* 78.

Dulciſſime Domine *Ieſu* Chriſte, ob honorem & virtutem tuæ benedictæ paſſionis, jube me adſcribi in numerum electorum tuorum.

Non intres in judicium cum ſervo tuo, miſericordiſſime *Ieſu*, quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens. *Pſalmus* 142.

Vnam petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.

Educ de cuſtodia animam meam, ad confitendum Nomini tuo, me exſpectant juſti donec retribuas mihi.

Suſcipe me ſecundum eloquium tuum, & vivam; & non confundas me ab exſpectatione mea.

Piæ & nervoſæ ASPIRATIONES
Agonizantibus utiliſſimæ.

O Pater æterne; ego ſum indigniſſimus ſervus ille, quem ſic dilexiſti,ut Filium tuum unigenitum dares

pro

pro eo. Fac in hora hac miſericordiam cum ſervo tuo, ne pereat in me pretioſus ſanguis ejus. Nam quæ utilitas mihi in ſanguine Redemptoris, ſi ego deſcendero in corruptionem?

O *Ieſu* Chriſte, Ego ſum ovis illa perdita, quam tu relictis 99, in deſerto tam laborioſe quæſiviſti, & impoſitam humeris reduxiſti. Tu es Paſtor bonus, qui poſuiſti animam tuam pro ovibus tuis. Erravi ſicut ovis quæ periit, Require ſervum tuum. Ne permittas, ut eam rapiat, qui circuit modo tanquam leo rugiens, & quærens quem devoret. De ore leonis libera me Domine, *&c.*

O *Ieſu* ego ſum miſer ille, qui deſcendens de Ieruſalem, incidi in latrones, & acceptis multis plagis, ſemivivus relictus ſum. Tu vero es medicus meus, & verus ille Samaritanus, qui miſericordia motus ſuper me, alligaſti vulnera mea: imo qui ex ſanguine & vulneribus tuis mihi medicinam paraſti. Tu es qui languores noſtros portaſti, & cujus livore ſanati ſumus. Miſerere Domine in hac ultima hora mea; Domine ad adjuvandum me feſtina; priuſquam moriatur anima mea & pereat in æternum.

O *Ieſu*, Ego ſum infelix ille peccator, & reus multorum criminum. Tu vero es Advocatus meus apud Patrem, & propitiatio pro peccatis meis. Non enim vis mortem peccatoris, ſed ut vitam habeat. Veniſti in hunc mundum peccatores ſalvos facere. Fac ergo mecum miſericordiam in hac extrema hora vitæ meæ. Eſto Mediator & Advocatus meus apud Patrem. O bone *Ieſu*, propitius eſto mihi peccatori, *&c.* In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum, *&c.*

CAP.

Cap. XV.

ORATIONES
Quædam, & verba memorabilia Sanctorum in extremis.

Beatus Eligivs Noviomenſis Antiſtes *ſuos cum lacrymis complexus, iiſque valere juſſis, poſtquam tacite aliquamdiu oraſſet, demum in has voces erupit:*

Nunc dimittis, inquit, ſervum tuum Domine, ſecundum verbum tuum in pace. Memento quæſo, quod ſicut lutum feceris me; & non intres in judicium cum ſervo tuo, quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens. Memento mei, qui ſolus ſine peccato es, Chriſte mundi Redemptor, & educens me de morte corporis hujus, transfer in regnum tuum. Scio me conſpectum tuum non mereri: tu tamen ſcis, quia Spes mea ſemper fuit in miſericordia tua.

Et nunc quoque in confeſſione ſancti nominis tui moriens, extremum, Chriſte, anhelitum efflabo. Suſcipe ergo me ſecundum magnam miſericordiam tuam, & non confundas me ab exſpectatione mea. Aperi mihi properanti januam vitæ, & principes tenebrarum non occurrant mihi. Tua me manus inducat in locum refrigerii, & vel in ultimam manſionem ex iis quas præparaſti ſervis tuis timentibus te.

Sub his verbis efflavit animam.

De S. Bernardo Abbate Clarevall. *qui in ægritudine, quæ extrema putabatur, graviſſimis & aureis plane verbis Inimicum accuſantem confudit; ita habet* Author *vitæ, qui tunc præſens aderat.*

Cumque extremum jam trahere ſpiritum videretur in exceſſu mentis ſuæ, ante Tribunal Domini ſibi viſus eſt præſentari. Adfuit autem & Satan ex adverſo, improbis eum accuſationibus pulſans. Vbi vero omnia ille fuerat proſe-

proſecutus: & Viro Dei eſſet pro ſua parte dicendum, nil territus aut turbatus, ait:

Fateor non ſum dignus ego: nec propriis poſſum meritis regnum obtinere Cœlorum. Cæterum duplici jure illud obtinens Dominus meus, hæreditate ſcilicet Patris, & merito Paſſionis; altero ipſe contentus, alterum mihi donat; ex cujus dono jure illud mihi vendicans, non confundor. In hoc verbo confuſus inimicus, *&c. lib.* 1. *cap.* 12. *O verba pulcra omnibus moribundis inculcanda.*

B. Lavrentivs Ivstinianvs, Patriarcha Venetus,

Ita poſitus in Extremis orabat:

TV ſcis Domine, quod dum vitam meam conſidero, confuſio ſit mihi potius appellanda, quam vita. Sed in ſpiritu humilitatis, & in animo contrito, ſuſcipe me, ô bone Ieſu, vita & ſalus animæ meæ. Neque enim in juſtificationibus meis proſterno preces meas ante faciem tuam, ſed in miſerationibus tuis multis.

Illa ego ovis amiſſa ad te Paſtorem meum redeo. Vocem tuam novi, non alienorum. Peto Domine, ut ad ovile tuum reducas me. Poteſne vocem ſpernere balantis oviculæ & confugientis ad te? Nonne tu es ille qui dixiſti; *Venite ad me omnes,* &c. & iterum, *clamabit ad me, & ego exaudiam eum, cum ipſo ſum in tribulatione?*

Ecce clamo plus corde quam ore Domine. Ecce tribulatio proxima eſt, & non eſt qui adjuvet; non eſt qui liberet & ſalvum faciat, niſi tu bone Ieſu.

Sed neque beatorum Spirituum ſedes affectare auſim, qui ſpeciem intuentur SS. Trinitatis; portio tamen aliqua Creaturæ tuæ poſtulat micas ſuaviſſimæ menſæ tuæ. Vtinam merear vel abjectus eſſe in domo Domini, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum. *ita Laurent. Iuſtin. in vita cap.* 11.

ORA-

O R A T I O

B. Hieronymi in agone mortis à moribundo dicenda, aut moribundo prælegenda.

PIe Ieſu, virtus mea, refugium meum, ſuſceptor meus, liberator meus, in quem ſperavi, cui credidi, quem dilexi. Summa dulcedo, turris fortitudinis, & ſpes mea à juventute mea. Voca me dux vitæ meæ, & ego reſpondebo tibi. Operi manuum tuarum, quod de limo terræ Creator omnium formaſti, quod oſſibus & nervis compegiſti, cui vitam moriens tribuiſti, clementiæ tuæ porrige dexteram.

Tempus eſt, ut pulvis in pulverem revertatur, & ſpiritus redeat ad te Salvatorem, qui huc illum miſiſti. Aperi ei Domine januam vitæ, nam pro me in ligno crucis tanquam latro pependiſti; ſuſcipe me miſericors Deus ſecundum multitudinem miſerationum tuarum. Nam latronem ad te currentem in cruce moriens ſuſcepiſti. Ægrotus ſum, infirmata eſt in paupertate vita mea, & ideo ad te Domine curro medicum.

Sana me, Domine, & ſanabor: & quoniam in te confido, non erubeſcam. In te Domine ſperavi, non confundar in æternum.

At quis ego ſum, piiſſime Deus, ut tam audacter loquar ad te? peccator ſum, & in peccatis enutritus: cadaver putridum, vas fœtidum, eſca vermium. Parce mihi Domine. Quæ enim victoria eſt, ſi pugnando mecum, me viceris, qui minus ſum ante te quam ſtipula ante faciem venti? Dimitte omnia peccata mea, & erige de ſtercore pauperem.

Exurge & adjuva me Domine, exurge & ne repellas in finem. Intret poſtulatio mea in conſpectu tuo, Domine, & fiat manus tua ut ſalvum me faciat. Ecce hominem qui deſcendens ab Hiericho, captus à latronibus &

 vulne-

vulneratus, ſemivivus relictus ſum. Tu pie Samaritane recipe me. Peccavi nimis in vita mea, & malum coram te feci; à planta pedis uſque ad verticem capitis non eſt in me ſanitas.

Certe niſi in ligno crucis moriens me adjuviſſes, digna erat habitare in inferno anima mea. Ego pie *Ieſu*, ſum pars tanti pretii: pro me fudiſti ſanguinem tuum pretioſiſſimum, non me repellas à te. Ego ſum ovis quæ erravi, require eam bone paſtor, appone illam ovili tuo, ut juſtificeris in ſermonibus tuis; nam promiſiſti mihi, quod quacunque hora peccator ingemuerit, ſalvus erit. Dolens ſum: iniquitates meas ego cognoſco, & delicta mea coram me ſunt.

Vere non ſum dignus vocari filius tuus; quia peccavi in cœlum & coram te. Sed auditui meo dabis gaudium & lætitiam. Averte faciem tuam à peccatis meis, dele iniquitates meas ſecundum magnam miſericordiam tuam. Ne projicias me à facie tua, neque ſecundum peccata mea facias mihi, neque ſecundum iniquitates meas retribuas mihi, ſed adjuva me Deus ſalutaris meus, & propter honorem nominis tui libera me. Benigne fac in bona voluntate tua, ut inhabitem in domo tua omnibus diebus vitæ meæ, ut cum habitantibus in ea laudem te in æternum.

ORATIO

A circumſtantibus dicenda pro animam agentibus.

CHriſte *Ieſu* crucifixe, in unione ferventiſſimi amoris, qui te vitam omnium viventium in cruce mori coëgit, pulſamus ad medullam benigniſſimi cordis tui, & rogamus, ut animæ famuli tui fratris noſtri N. peccata omnia dimittas, & tua ſanctiſſima converſatione, & tuæ acerbiſſimæ paſſionis merito, omiſſa ejus ſuppleas, eumque ſuperabundantiſſimam miſerationum tuarum multitudinem facias experiri, noſque omnes, & ſingula-

riter

riter hunc fratrem noſtrum N. quem proxime vocare diſponis, placito tibi modo præpares, eique præſtes, ut cum vera patientia, perfecta reſignatione, plena peccatorum remiſſione, validiſſima fide, ſpe firma, & integra Charitate, in perfectiſſimo ſtatu, in dulciſſimum amplexum, & ſuaviſſimum oſculum tuum, feliciter ad tuam æternam laudem expiret.

Eja dulciſſime Redemptor, Domine Ieſu, per illas lacrymabiles voces, quas in cruce moriturus edidiſti, & paſſionis doloribus conſumptus dixiſti, Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquiſti, ne quæſo longe facias à famulo tuo fratre noſtro N. tuæ miſerationis auxilium, nam ille in hac hora & momento extremæ afflictionis, præ defectione animæ & conſumptione ſpiritus te invocare non valet.

Per triumphum ſanctæ Crucis & per mortis paſſioniſque tuæ infinitum meritum cogita Domine, de eo cogitationes pacis & non afflictionis, ſed miſericordiæ & conſolationis. Libera eum de omnibus anguſtiis, tuiſque ſanctiſſimis manibus, quas pro eo nobiſque omnibus in cruce clavis affigi permiſiſti, IESV bone & amantiſſime Pater, erue eum à tormentis illi debitis, & perduc illum in requiem æternam. Amen.

Huc ſpectant Orationes pro felici morte ſupra cap. XI. *in fine poſitæ.*

PIO LECTORI.

H*Ic jam* PARADISVM *claudimus, pie* LECTOR, *quo te ſic uti precor, & hortor, ut ad Alterum tibi ſternat viam; & migraturus hinc, audire merearis & tu:* Hodie mecum eris in Paradiſo.

Sat multum rependes Authori; Si idem ipſi ex animo cum uno ad Deum ſuſpirio apprecere.

SEQVENTIA.

DIes iræ, dies illa,
Solvet ſæclum in favilla:
Teſte David cum Sibylla.
Quantus tremor eſt futurus,
Quando Iudex eſt venturus,
Cuncta ſtricte diſcuſſurus!
Tuba mirum ſpargens ſonũ
Per ſepulchra regionum,
Coget omnes ante thronum.
Mors ſtupebit, & natura,
Cum reſurget creatura,
Iudicanti reſponſura.
Liber ſcriptus proferetur,
In quo totum continetur,
Vnde mundus judicetur.
Iudex ergo cum ſedebit,
Quidquid latet,apparebit:
Nil inultum remanebit.
Quid ſum miſer tunc dicturus?
Quem patronũ rogaturus?
Cum vix juſtus ſit ſecurus.
Rex tremendæ majeſtatis,
Qui ſalvandos ſalvas gratis,
Salva me fons pietatis.
Recordare Ieſu pie,
Quod ſum cauſa tuæ viæ,
Ne me perdas illa die.
Quærens me, ſediſti laſſus:
Redemiſti, crucem paſſus:
Tantus labor non ſit caſſus.
Iuſte judex ultionis,
Donum fac remiſſionis
Ante diem rationis.
Ingemiſco, tanquam reus:
Culpâ rubet vultus meus:
Supplicanti parce Deus.
Qui Mariam abſolviſti,
Et latronem exaudiſti,
Mihi quoque ſpem dediſti.
Preces meæ non ſunt dignæ,
Sed tu bonus fac benigne,
Ne perenni cremer igne.
Inter oves locum præſta,
Et ab hœdis me ſequeſtra,
Statuens in parte dextra.
Confutatis maledictis,
Flammis acribus addictis,
Voca me cum benedictis.
Oro ſupplex & acclinis,
Cor contritũ quaſi cinis;
Gere curam mei finis.
Lacrymoſa dies illa,
Qua reſurget ex favilla
Iudicandus homo reus.
Huic ergo parce Deus.
Pie Ieſu Domine,
Dona eos requie. Amen.

EPITAPHIVM HOMINIS CHRISTIANI, VITÆ REGVLAM EXPRIMENS.

D. O. M.

Siſte gradum Viator;

HIC TERMINVS VIÆ, ET VITÆ TVÆ AC MEÆ.

ILLE EGO QVI NATVS PRIDEM
AC NOTVS ERAM SÆCVLO;

En denatus hoc jam lateo
nudus nulluſque Sepulcro.

PVLVIS, CINIS, ESCA VERMIVM,
VIXI ANNIS (N) PAVCIS,
SI SPECTETVR ÆTERNITAS;

Ad hanc tamen currendum mihi fuit
in ſtadio fugacis vitæ.

TEMPVS VIVENDI, ut BENE MORERER,
& VITAM MERERER IMMORTALEM,

Dedit mihi, & dat etiamnum tibi clemens DEVS:

ILLIVS, & OMNIVM QVOQVE MOMENTORVM
Stricta à me Iudici reddenda fuit ratio;

VTIQVE ERIT ET TIBI.
VIXI IN EO (N) STATV,
AC ID (N) MVNVS GESSI.

Qui mihi HONOS, idem ONVS fuit;
ô moleſtum & grave!

Miſerum eſſe qui non CAPIANT;

Mirum, non deeſſe qui CVPIANT.

O QVAM ME IVSSIT RIGIDAM SVPREMVS PATERFAMILIAS REDDERE RATIONEM VILLICATIONIS MEÆ!

SI SAPIS, ET CREDIS AMICO SYNCERE MONENTI,

Huc tu quoque te para quotidie;

NAM ex meo periculo te cautum reddi, felicis ſimul & ſapientis erit.

POSSEDI DE TERRÆ BONIS MODICA;

(*Attamen* ſatis *ad* Vſum Vitæ; ſatis ad Votum, *quod* NECESSITAS *rexit, non* Cupiditas.)

Etiam horum, ad noviſſimum uſque quadrantem reddenda fuit ratio.

Eſto, Res ANGVSTA *fuit mihi; ſed (experto fas eſt credere)*

Sic tutius ad AVGVSTA *pergitur.*

O Viri DIVITIARVM theſaurizatis; & ignoratis, cui!

EGO NIHIL INTVLI IN HVNC MVNDVM, NIHIL EXTVLI.

Quod in Cœlum præmiſi per manus PAVPERVM, Inveni; & hoc SOLVM:

Vos ſimiliter cum dormieritis SOMNVM veſtrum, aliud invenietis nihil.

O AMI-

O AMICI VIVITE LÆTI; AT NON IMMEMORES LETHI;

En quondam lætus vobiſcum, vos jam reliqui, & à vobis relictus,

INIVI SOLVS ÆTERNITATIS ITER.

QVOD ESTIS, FVI; QVOD SVM, ERITIS:

QVIS SCIT AN CRAS, AN HODIE, AN HAC IPSA FORSAN HORA.

Memores eſtote judicii mei, ſic enim erit & veſtrum.

O HOMO BVLLA, QVAM BREVIS HÆC VITA! QVAM LONGA ÆTERNITAS!

VERE MOMENTVM VNDE PENDET ÆTERNITAS!

Æternitas GLORIÆ & POENÆ.

Ad illam VIRTVS *ducit*;
Ad hanc VOLVPTAS.

ELIGE, SEMEL PERIISSE, ÆTERNVM EST.

HOC POSTREMVM TE ALLOQVOR;

Deſiderans te habere conſortem mecum in Terra Viventium, una cum CHRISTO IESV,

In quo ſolo SALVS eſt & VITA Mortalium.

ILLI ô VIATOR VIVE, ILLI MORERE, ET ÆTERNVM VIVES.

Ante mortem MORI vitiis, mors eſt optima.

Beati mortui, qui in Domino moriuntur.

PIO LECTORI.

Litaniæ *ſequentes ſuo loco,* (*id eſt* ſect. 2.) *per incuriam omiſſæ* (*uti & alia quædam, quæ emendabunt poſteriores curæ*) *hic in gratiam* Lect. *reponuntur. Porro in his* Litaniis, *etſi quædam ſententiæ videantur certis Sanctorum* Ordinibus *appropriari; nihil tamen vetat, quin aliis etiam SS. tribuantur.*

LITANIÆ

de omnibus SANCTIS,

Ex S. Scriptura collectæ.

KYRIE ELEISON. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.
Chriſte audi nos.
Chriſte exaudi nos.
Pater de cœlis Deus, miſerere nobis.
Fili Redemptor Mundi Deus, miſerere nobis.
Spiritus S. Deus, miſerere nobis.
S. Trinitas unus Deus, miſerere nobis.
S. Maria, quæ in DEI Matrem electa, benedicta inter mulieres, & beata diceris per omnes generationes, Ora pro nobis. *Lucæ* 1.

Omnes SS. *Angeli,* qui ſemper coram DEO, ad ejus laudes & obſequia; & ad hominum miniſterium parati ſtatis, *Iſa.* 6. *Hebr.* 1.
Omnes SS. *Patriarchæ* & *Prophetæ*, qui Meſſiæ adventum multis votis ac ſuſpiriis deſideraſtis, variiſque figuris, ac vaticiniis præſignaſtis, *Gen.* 49. *Iſa.* 7. & *alibi ſæpiſſ.*
Omnes SS. *Apoſtoli, & Diſcipuli* Domini, Qui reliquiſtis omnia, & Chriſtum ſecuti eſtis, *Matt.* 4.
} Orate pro nobis.

Qui

Qui nati pro Patribus, Patriarchis, & Prophetis Filii, principes ſuper omnem terram conſtituti eſtis, *Pſal.* 44.

Qui in omnem terram ſonum Euangelii diffudiſtis, *Pſal.* 18.

Qui miſſi eſtis ad oves, quæ perierunt, domus Iſraël, *Matth.* 10.

Qui fuiſtis odio hominibus propter nomen Chriſti, *Ibid.*

Qui gaviſi eſtis dignos vos habitos pro nomine IESV contumeliam pati, *Actor.* 5.

Qui miſſi eſtis ſicut oves in medio luporum, *Matt.* 10.

Qui permanſiſtis cum Chriſto in tentationibus ſuis, *Lucæ* 22.

Qui actionum omnium Chriſti teſtes, & arcanorum ejus conſcii fuiſtis, *Actor.* 2.

Qui infirmi & ignobiles ſecundum carnem, electi à Chriſto, mundi potentiam & ſapientiam confudiſtis, *1 Cor.* 1.

Qui induti virtute ex alto, & Spiritu S. confirmati, intrepide Chriſtum confeſſi eſtis, *Lucæ* 24.

Qui obediſtis Deo magis quam hominibus, *Actor.* 5.

Qui virtute magna teſtimonium Reſurrectionis D. N. I. C. reddidiſtis, *Actor.* 4.

Qui homines ſine literis, & idiotæ, concilio Iudæorum ſtuporem incuſſiſtis, *Ibid.*

Qui ſedebitis ſuper ſedes 12, judicantes 12 Tribus Iſraël, *Matt.* 19.

Omnes SS. *Martyres*,

Qui pie viventes in hoc ſæculo perſecutionem paſſi eſtis, *2 Tim.* 3.

Qui in cruce Domini gloriati eſtis, *Galat.* 6.

Orate pro nobis.

Qui in patientia veſtra poſſediſtis animas veſtras, Lucæ 21.
Qui odiſtis animas veſtras in hoc mundo, & in vitam æternam eas cuſtodiſtis, Ioan. 12.
Qui per fidem viciſtis regna, operati eſtis juſtitiam, adepti repromiſſiones, Hebr. 11.
Qui ludibria & verbera experti, inſuper vincula & carceres, lapidati, ſecti, varieque tentati eſtis, Ibid.
Qui veniſtis de magna tribulatione, & in ſanguine Agni ſtolas veſtras laviſtis, Apoc. 7.
Qui perſecutionem paſſi eſtis propter juſtitiam; & jam ſecuri regnum cœlorum poſſidetis, Matt. 5.
Qui ſtabitis in magna conſtantia adverſus eos, qui vos anguſtiaverunt, Sap. 5.
Qui à Charitate Chriſti nulla vi, nec fraude, nec ipſa morte ſeparari potuiſtis, Rom. 8.
Omnes SS. *Confeſſores*,
Qui cuſtodes in vinea Domini poſiti fuiſtis, Cant. 1.
Qui non ſumpſiſtis vobis honorem, ſed vocati eſtis à Deo tanquam Aaron, Hebr. 5.
Qui militantes Deo non implicuiſtis vos negotiis ſæcularibus, 2 Tim. 2.
Qui poſiti fuiſtis à Spiritu S. regere Eccleſiam Dei, Act. 20.
Qui ut ſervi fideles & prudentes ſuper familiam Domini conſtituti eſtis, Matt. 24.
Qui in vinea Domini pondus diei, & æſtum portaſtis, Matt. 20.
Qui ut viri ſpirituales in ſpiritu lenitatis & manſuetudinis errantes corripuiſtis, Gal. 6.
Qui ut veri Paſtores poſuiſtis animas veſtras pro ovibus veſtris, Ioan. 10.

Orate pro nobis.

Qui

Qui non vosmetipſos, ſed gregem Domini fideliter paviſtis, *Ezech.* 34.
Qui pervigilaſtis, pro ovibus, tanquam rationem pro iis reddituri, *Hebr.* 13.
Qui modeſtia, ſollicitudine, & vitæ ſanctimonia honorificaſtis miniſterium veſtrum, *Rom.* 11.
Qui accepta à Deo talenta cum uſura reddidiſtis, *Matt.* 25.
Qui omnibus omnia facti eſtis, ut omnes Deo lucrifaceretis, 1 *Cor.* 9.
Qui aſcendiſtis ex adverſo, & vos murum pro domo Dei oppoſuiſtis, *Ezech.* 13.
Qui fideles miniſtri Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei fuiſtis, 1 *Cor.* 4.
Qui docti fuiſtis, & ad juſtitiam erudiiſtis multos, & jam fulgetis ut ſplendor firmamenti; & quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates, *Dan.* 12.
Omnes SS. *Monachi* & Eremitæ,
Qui jugum Domini ſuave, & onus ejus leve alacriter portaſtis, *Matt.* 11.
Qui tollentes crucem veſtram Chriſtum ſecuti eſtis, *Matt.* 16.
Qui crucis Chriſti mortificationem jugiter portaſtis in corpore veſtro, 2 *Cor.* 4.
Qui carnem veſtram cum vitiis & concupiſcentiis crucifixiſtis, *Gal.* 5.
Qui mundo crucifixi fuiſtis, *Gal.* 6.
Qui vos ipſos caſtraſtis propter regnum Dei, *Matt.* 19.
Qui miſſa ſemel ad aratrum manu, retro non reſpexiſtis, *Lucæ* 9.
Qui induti armaturam Dei fortiter ſtetiſtis adverſus inſidias Diaboli, *Eph.* 6.

} Orate pro nobis.

Qui

Qui abundare & penuriam pati, ſaturari & eſurire didiciſtis, Phil. 4.
Qui digne ambulaſtis vocatione, qua vocati eſtis, Epheſ. 4.
Qui ſolliciti fuiſtis ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis, Ibid.
Qui tamquam mortui ſæculo vitam abſconditam cum Chriſto in Deo duxiſtis, Coloſ. 3.
Omnes *Sancti* & Sanctæ Dei,
Qui non arbitrati vos comprehendiſſe, ad anteriora vos ſemper extendiſtis, Phil. 3.
Qui omnia detrimentum feciſtis, ut Chriſtum lucrifaceretis, Ibid.
Qui quæ ſurſum ſunt ſapuiſtis & quæſiviſtis, non quæ ſuper terram, Coloſ. 3.
Qui Chriſti bonus odor fuiſtis, 2 Cor. 2.
Qui gratiam Dei in vacuum non recepiſtis, 2 Cor. 6.
Qui humiliaſtis vos in hoc ſæculo, & ideo in cœlis exaltati eſtis, Lucæ 18.
Benedicti Patris Æterni, qui regnum vobis ab origine mundi paratum poſſidetis, Matt. 25.
Qui caſtigaſtis corpora veſtra, & in ſervitutem redegiſtis, 1 Cor. 9.
Qui cum timore & tremore ſalutem veſtram operati eſtis, Philip. 2.
Qui uſi eſtis hoc mundo tanquam non utentes, 1 Cor. 7.
Qui glorificaſtis, & portaſtis Deum in corpore veſtro, 1 Cor. 6.
Qui dilexiſtis inimicos veſtros, & benefeciſtis his, qui oderunt vos, Matth. 5.
Qui potuiſtis omnia in eo, qui vos confortat, Philip. 4.
Qui vobis non in terra, ſed in cœlo theſaurizaſtis, Matth. 6.

} Orate pro nobis.

Qui

Qui quæſiviſtis primum regnum Dei, & juſtitiam ejus, — *Ibid.*
Qui per anguſtam portam, & arctam viam, quæ ducit ad vitam, intrare contendiſtis, — *Matth. 7.*
Qui mundi cordis amore ad Deum videndum provecti eſtis, — *Matth. 5.*
Qui pacis amantes, filiorum Dei nomine & hæreditate gaudetis, — *Ibid.*
Qui miſericordes erga proximos, jam miſericordiam abunde conſecuti eſtis, — *Matth. 5.*
Qui non eſuritis, neque ſititis amplius; nec cadit ſuper vos ſol, aut ullus æſtus, — *Apoc. 7.*
Qui perſeveraſtis in finem, & ideo ſalvi facti eſtis, — *Matt. 10. & 24.*
Qui ſic cucurriſtis in ſtadio, ut jam potiamini bravio, — *1 Cor. 9.*
Qui per multas tribulationes intraſtis in regnum cœlorum, — *Actor. 14.*
Qui tranſiviſtis per ignem & aquam, & reducti eſtis in refrigerium, — *Pſal. 65.*
Qui cœlum violenti rapuiſtis, — *Matt. 11.*
Qui pauperes ſpiritu, regnum cœlorum poſſidere meruiſtis, — *Matth. 5.*
Qui triſtes & lugentes in hoc ſæculo, jam conſolamini, — *Matth. 5.*
Qui mites & patientes adverſus injurias, terram viventium poſſidetis, — *Matth. 5.*
Qui eſuriiſtis & ſitiviſtis juſtitiam, & nunc cœli delitiis ſatiamini, — *Ibid.*
Qui inebriamini ab ubertate domus Dei, & torrente voluptatis ejus potamini, — *Pſal. 35.*
Qui ut palmæ floretis, & ſicut cedri Libani multiplicamini in domo Domini, — *Pſal. 91.*
Qui lætamini coram Domino, ſicut qui læ-

Orate pro nobis.

tantur

tantur in meſſe, & ſicut victores capta præda, quando dividunt ſpolia, *Orate pro nobis.* *Iſai. 9.*

Qui flentes miſiſtis ſemina veſtra, & nunc cum exultatione metentes, portatis manipulos veſtros, *Pſal. 125.*

Qui exultatis in gloria, & lætamini in cubilibus veſtris, *Pſal. 149.*

Qui habitatis in domo Domini, & in ſæcula ſæculorum laudatis eum, *Pſal. 83.*

Propitius eſto: Parce nobis Domine.

Ab omni malo, *Libera nos Domine.*

Per omnes Sanctos & Electos tuos,

Per fideles ſervos tuos ſtantes in conſpectu tuo,

Per dilectos & amicos tuos tecum in cælo regnantes,

Per merita & interceſſionem omnium Electorum tuorum,

Per pretioſam in conſpectu tuo mortem Sanctorum tuorum, *Pſal. 115.*

Peccatores, Te rogamus audi nos.

Vt particeps nos facias omnium timentium te, & cuſtodientium mandata tua, *Te rogamus audi nos.* *Pſal. 118.*

Vt exemplo Sanctorum converſatio noſtra ſit in cœlis, *Phil. 3.*

Vt ſicut Electi in cœlo, ſic & nos in terra voluntatem tuam prompte faciamus, *Matth. 6.*

Vt impleamur agnitione voluntatis divinæ, in omni ſapientia & intellectu ſpirituali, *Coloſſ. 1.*

Vt ſimus prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ, *Matt. 10.*

Vt ſemper in Domino gaudeamus, ſed interim modeſtiam ubique ſervemus, *Phil. 4.*

Vt

Vt omnia probemus, & quod bonum eſt, teneamus, *1 Theſ. 5.*

Vt non ſperemus in incerto divitiarum, ſed in Deo vivo, *1 Tim. 6.*

Vt nos ſicut Electi tui viſcera miſericordiæ induamus, *Coloſſ. 3.*

Vt Sanctorum intuentes converſationem, fidem quoque & patientiam imitemur, *Hebr. 13.*

Vt te Dominum in Sanctis tuis aſſidue laudemus, *Pſal. 150.*

Vt & nos cum Sanctis tuis per anguſtam portam intrare contendamus, *Lucæ 13.*

Vt pax tua, quæ exuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda & corpora noſtra, *Phil. 4.*

Vt exhibeamus noſmetipſos, ſicut Dei miniſtros, in multa patientia, *2 Cor. 6.*

Vt ſub Regibus & Principibus juſte ac pie gubernantibus, Vitam quietam ac tranquillam in omni pietate & caſtitate agamus, *1 Tim. 2.*

Vt dignos nos facias in partem ſortis Sanctorum in lumine, *Coloſſ. 1.*

Vt adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ tuæ, & miſericordiam in auxilio opportuno conſequamur, *Hebr. 4.*

Vt Te in cælis cum omnibus Beatis laudemus & ſuperexaltemus in ſæcula, *Dan. 3.*

Te rogamus audi nos.

Agnus Dei qui, &c.

ORA-

O R A T I O

Ad omnes

S A N C T O S.

Exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus ſuis.

AVete omnes Electi, & dilecti Dei, Angeli & Beati omnes, qui ab Æterno ad gloriam & ſuprema bona Domini in terra viventium prædeſtinati in omni gratia confirmati, & nunc cœleſtis gratiæ bravio donati eſtis.

Iam enim SS. Trinitatem facie ad faciem lætantes intuemini, eamque ineffabili gaudio ſine fine laudatis.

Salve inprimis ô ſanctiſſima Domina mea, imo Mater Domini mei; Cœli Terræque Regina, Patrona & Advocata noſtra Virgo MARIA.

Salve & tu, mi Angele cuſtos, cujus curæ & tutelæ à divina bonitate commiſſus ſum.

Salvete vos omnes dilectiſſimi Patroni mei, præſertim N. & N. quibus me nunc & ſemper humillime commendo.

Ego indignus laudo, honoro & imploro vos; & in augmentum gloriæ & exultationis veſtræ offero vobis omnis ſalutis bonique fontem & theſaurum, nempe dulciſſimum Cor Ieſu Chriſti D. N.

Gratias ex corde ago Deo, qui vos elegit & juſtificavit per immenſam gratiam ſuam; qui prævenit vos in benedictionibus dulcedinis ſuæ, quique vos conſervavit in via per omnia ſalutis obſtacula, & ſic demum beatificavit in gloria. Gratias æternas ago Deo, pro omnibus donis & beneficiis, quæ in tempore dedit vobis: & in æternum daturus eſt.

Eja felices Amici Dei, obtinete mihi Clienti veſtro ple-

plenam peccatorum veniam, & perfectam mei ipſius abnegationem, ut per viam anguſtam ſequar veſtigia veſtra: Sed & pacem Dei, quæ exuperat omnem ſenſum, ſeu tranquillitatem animi; intimum & ſincerum Dei amorem, quo vos ſuccenſi Mundum, Carnem, Dæmonemque & omnia vitæ præſentis adverſa fortiter ac glorioſe viciſtis, per vos ſupplex expoſco.

Orate quæſo pro me, nunc, & in hora mortis, quando hinc migraturus, & ad ſummi Iudicis horrendum Tribunal ſiſtendus ſum: ut non intret mecum in judicium, ſed ſecundum infinitam miſericordiam ſuam me judicet; ut ſic demum admitti poſſim in feliciſſimum veſtrum conſortium, in illa ſuperna Ieruſalem, ubi ſimul laudemus & ſuperexaltemus Deum ac Dominum noſtrum in ſæcula. Amen.

INDEX
PARADISI ANIMÆ.

SECTIO I.
De Cultu & Adoratione SS. Trinitatis.

CAP. I.

Colloquium Chriſti & Hominis de modo recte & utiliter orandi. pag. 1.
II. *Variæ Expoſitiones & exercitia in Orationem Dominicam.* 14, & ſeqq.
III. *Litaniæ variæ ad SS. Trinit. & ſingulas Perſonas.* 32, & ſeqq.
IV. *Roſarium, Oblationes, & Exercitia quotidiana ad SS. Trinit.* 56, & ſeqq.
V. *Modus aſpirandi ad intimam cum Deo unionem per Actus virtutum internos.* 68, & ſeqq.
VI. *Contemplatio piiſſima Attributorum Dei ad affectus & actus virtuoſos eliciendos.* 88, & ſeqq.
VII. *Hymni & Rhythmi de SS. Trinit.* 107

SECTIO II.
De Cultu & Veneratione Sanctorum cum Chriſto regnantium in Cœlis.

CAP. I.

Colloquium inter Chriſtum & Hominem, quo traditur modus & praxis colendi Sanctos. 113
II. *De Cultu & Veneratione SS. Angelorum, & præcipue Angeli Tutelaris, ubi Litania de Angelis ex SS. Script.* 122
Litaniæ de omnibus SS. ex SS. Literis. 124
III. *De Patronis è numero SS. ſeligendis, & indies peculiari devotione colendis. Vbi Exercitat. Quotid. Commendandi ſe Deo & SS.* 131, & ſeqq.
IV. *Modus recitandi Orationem Domin. ad memoriam & venerationem Sanctorum.* 140
V. *Litaniæ SS. Rhythmicæ, & varii Hymni Rhythmici ad diverſos SS.* 145, & ſeqq.

SECTIO III.
De Pœnitentia ſeu converſione peccatoris & Exercitiis huc ſpectantibus.

CAP. I.

Colloquium Chriſti & Hominis de modo agendæ Pœnitentiæ. 163, & ſeqq.
II. *Litaniæ Pœnitentium ex S. Scriptura.* 184
III. *Orationes & Exercitia varia Pœnitentium.* 192
IV. *Oratio Dominica varie ad uſum Pœnitentium accommodata.* 200, & ſeqq.
V. *Inſtructiones & Exercitia pro Confeſſione Sacramentali.* 211, & ſeqq.

SE-

SECTIO IV.

De Exercitio virtutum & Chriſtianæ Perfectionis.

Oratio præparatoria ad omnem piam Lectionem. 233

CAP. I.

Colloquium inter Chriſtum & hominem, doctrinam pie vivendi tradens. 234, & ſeqq.
II. *Exercitia varia in Orat. Domin. ad praxin virtutum, &c.* 259, & ſeqq.
III. *Litaniæ Chriſtianarum virtutum ex S. Script.* 270
IV. *Exercitia piiſſima, ſeu praxes variarum virtutum.* 276, & ſeqq.
V. *Alia Exercitia præcipuarum virtutum.* 294, & ſeqq.
VI. *Exercitia Matutina, & Veſpertina.* 314, & ſeqq.

SECTIO V.

De modo pie Communicandi, Celebrandi, Audiendi Miſſam, pro Sacerdotibus & Laïcis, &c.

CAP. I.

Colloquium inter Chriſtum & Hominem de Communione recte & utiliter inſtituenda. 329, & ſeqq.
II. *Litaniæ Euchariſticæ cùm ſacrificantibus, tum Communicantibus accommodatæ.* 351
III. *Oratio Dominica variis Exercitiis & piis conceptibus ad praxin pie communicandi inſtructa.* 364, & ſeqq.
IV. *Methodus ſeu praxis expedita pie & utiliter tum communicandi, tum celebrandi Miſſam.* 374, & ſeqq.
V. *Exercitium poſt Miſſam vel Communionem.* 389, & ſeqq.
VI. *Alia Exercitia breviora pro Communicantibus & Celebrantibus.* 407, & ſeqq.
Exercitium peculiare pro Sacerdotibus ante Miſſam. 418
VII. *De modo pie audiendi Miſſam Admonitio.* 424
Modus prior audiendi Miſſam per Exercit. Domin. Paſſ. 428
VIII. *Alter modus audiendi Miſſam, magis vulgaris.* 439

SECTIO VI.

De Vita ac Paſſione D. N. I. Chriſti.

CAP. I.

Colloquium inter Chriſtum & Hominem, de modo Vitam ac Paſſionem Salvatoris noſtri pie tum meditandi tum imitandi. 469, & ſeqq.
II. *Oratio Dominica diverſimode ad Chriſtum, ejuſque Paſſionis Myſteria accommodata.* 493, & ſeqq.
III. *Litaniæ de Vita ac Paſſione Chriſti ex S. Script.* 505
IV. *Roſaria & Exercitia varia Rhythmis comprehenſa de Vita ac Paſſ. Chriſti.* 513
V. *Orationes variæ de Paſſ. Domini, ubi & orationes S. Birgittæ.* 537, & ſeqq.
VI. *Exercitia varia ad honorem ſacro-*

ſacrorum V. *Vulnerum*, *&* VII. *effuſionum Sanguinis* D.N.I.C. 549

VII. *De Cultu & honore SS. Nom.* IESV, *ubi & Iubilus S. Bernardi.* 565

SECTIO VII.

De Cultu & Veneratione B.Virg. MARIÆ. Item de Cura & Præparatione bene beateque moriendi.

CAP. I.

Colloquium inter Chriſtum & Hominem, de modo feliciter moriendi. 588, & ſeqq.

II. *Meditatio in Orat. Dom. ad cultum & venerationem B. V. accommodata.* 622. *Item in ſalutat. Angelicam.* 626

III. *Litaniæ de B. Mariæ V. ex S. Scriptura.* 631

IV. *Roſarium Rhythmicum Virg. Deiparæ ex vita & elogiis ejus contextum.* 636

V. *Varii Hymni Rhythmici ad B. Virginem, ubi & Hymnus S. Caſimiri filii Regis Poloniæ.* 644

VI. *Orationes Variæ ad B. Virg.* 656

VII. *De Roſario vulgari B. V. Inſtructio cum exercitiis.* 661

PARS ALTERA, SECTIO VII,

Continens Exercitia ad bene beateque moriendum. 669

CAP. VIII.

Litaniæ Sanis, Ægris, Moribundis accommodatæ ex SS. Literis. 671

IX. *Septem Gradus ad beatam Mortem, ſive Exercitium quotidianum Orationis Domin. pro felici morte.* 680

X. *Exercitia pro infirmis tempore Mortis.* 688

XI. *Proteſtationes ſæpius faciendæ, & maxime ante mortem, ab eo, qui Chriſtiane vivere, & mori deſiderat.* 694

XII. *Exercitium ſeu Proteſtatio infirmi & moribundi, utilis etiam alias in Communione.* 699

XIII. *De modo agendi apud infirmos & moribundos.* 706

XIV. *Orationes & Sententiæ quædam coram moribundis, vicina jam morte frequentandæ.* 715

XV. *Orationes quædam & verba memorabilia Sanctorum in extremis.* 719

FINIS.

MANVALE PIETATIS,

In quo

OFFICIVM

B. MARIÆ VIRGINIS,

Septem Pſalmi Pœnitentiales,

LITANIÆ VARIÆ,

ACCESSVS ALTARIS,

PSALTERIVM,

ET

ORATIONES

Tempore belli, & calamitatis publicæ, &c.



Sit vobis tanquam in imagine deſcripta virginitas vita:-
que B. Mariæ; de qua velut ſpeculo refulget ſpecies
caſtitatis, et forma virtutis. S. Ambroſius.

OFFICIVM
B. MARIÆ VIRGINIS.

AD MATVTINVM.

AVe Maria, gratia plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui Ieſus. Sancta Maria, mater Dei, ora pro nobis peccatoribus nunc, & in hora mortis noſtræ. Amen.

Verſus.

DOmine labia mea aperies. ℟. Et os meum annuntiabit laudem tuam. ℣. Deus in adjutorium meum intende. ℟. Domine ad adjuvandum me feſtina.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto. ℟. Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper: & in ſæcula ſæculorum, Amen. Alleluja.

Sic dicitur Alleluja, *ad omnes horas à Veſp. Sabb. ſancti uſque ad Complet. Sabb. ante Dom. Septuag. Tunc enim uſque ad Veſp. Sabb. ſancti dicitur:* Laus tibi Domine, rex æternæ gloriæ.

Invitatorium.

Ave Maria, gratia plena: Dominus tecum.

Et repetitur: Ave Maria, gratia plena: Dominus tecum.

Tempore Paſchali additur ad libitum, Alleluja. *Et ſimiliter in fine Antiph. Verſ. & Reſp.*

Pſal. 94.

VEnite, exultemus Domino, jubilemus Deo ſalutari noſtro: præoccupemus faciem ejus in confeſſione, & in pſalmis jubilemus ei. Ave Maria, gratia plena: Dominus tecum.

Quoniam Deus magnus Dominus, & rex magnus ſuper omnes Deos: quoniam non repellet Dominus plebem ſuam, quia in manu ejus ſunt omnes fines terræ, & altitudines montium ipſe conſpicit. Dominus tecum.

Quoniam ipſius eſt mare, & ipſe fecit illud, & aridam fundaverunt manus ejus: venite adoremus, & procidamus ante Deum: ploremus coram Domino qui fecit nos, quia ipſe eſt Dominus Deus noſter: nos autem populus ejus, & oves paſcuæ ejus. Ave Maria, gratia plena: Dominus tecum.

Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra, ſicut in exacerbatione ſecundum diem tentationis in deſerto: ubi tentaverunt me patres veſtri, probaverunt, & viderunt opera mea. Dominus tecum.

Quadraginta annis proximus fui generationi huic, & dixi, Semper hi errant corde: ipſi vero non cognoverunt vias meas, quibus juravi in ira mea, ſi introibunt in requiem meam. Ave Maria, gratia plena: Dominus tecum. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto: Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, Amen. Dominus tecum. Ave Maria, gratia plena: Dominus tecum.

Hymnus.

QVem terra, pontus, æthera,
Colunt, adorant, prædicant,
Trinam regentem machinam
Clauſtrum Mariæ bajulat.

Cui luna, ſol & omnia
Deſerviunt per tempora,
Perfuſa cœli gratia
Geſtant puellæ viſcera.

Beata mater munere,
Cujus ſupernus artifex
Mundum pugillo continens,
Ventris ſub arca clauſus eſt.

Beata cœli nuntio,
Fecunda ſancto Spiritu,
Deſideratus Gentibus
Cujus per alvum fuſus eſt.

Gloria tibi Domine,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, & ſancto Spiritu,
In ſempiterna ſæcula.
Amen.

Iſti

Iſti tres Pſalmi ſequentes dicuntur diebus Dominicis, Feria ij. *&* v. *ad Nocturnum.*

Antiph. Benedicta tu.

Pſalmus 8.

DOmine Dominus noſter: quam admirabile eſt nomen tuum in univerſa terra?

Quoniam elevata eſt magnificentia tua: ſuper cœlos.

Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos, ut deſtruas inimicum & ultorem.

Quoniam videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum: lunam & ſtellas quæ tu fundaſti.

Quid eſt homo, quod memor es ejus? aut filius hominis, quoniam viſitas eum?

Minuiſti eum paulo minus ab Angelis: gloria & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum.

Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus: oves & boves univerſas, inſuper & pecora campi.

Volucres cœli & piſces maris: qui perambulant ſemitas maris.

Domine Dominus noſter: quam admirabile eſt nomen tuum in univerſa terra!

Gloria Patri, & Filio.

Antiph. Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.

Antiph. Sicut myrrha.

Pſalmus 18.

CÆli enarrant gloriam Dei: & opera manuum ejus annuntiat firmamentum.

Dies diei eructat verbum: & nox nocti indicat ſcientiam.

Non ſunt loquelæ neque ſermones: quorum non audiantur voces eorum.

In omnem terram exivit ſonus eorum: & in fines orbis terræ verba eorum.

In ſole poſuit tabernaculum ſuum : & ipſe tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo.
Exultavit ut gigas ad currendam viam : à ſummo cœlo egreſſio ejus.
Et occurſus ejus uſque ad ſummum ejus : nec eſt qui ſe abſcondat à calore ejus.
Lex Domini immaculata, convertens animas : teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans parvulis.
Iuſtitiæ Domini rectæ, lætificantes corda: præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.
Timor Domini ſanctus, permanens in ſæculum ſæculi; judicia Domini vera, juſtificata in ſemetipſa.
Deſiderabilia ſuper aurum & lapidem pretioſum multum : & dulciora ſuper mel & favum.
Etenim ſervus tuus cuſtodit ea : in cuſtodiendis illis retributio multa.
Delicta quis intelligit ? ab occultis meis munda me : & ab alienis parce ſervo tuo.
Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero : & emundabor à delicto maximo.
Et erunt ut complaceant eloquia oris mei : & meditatio cordis mei in conſpectu tuo ſemper.
Domine adjutor meus : & redemptor meus.
Gloria Patri, & Filio.
Antiph. Sicut myrrha electa odorem dediſti ſuavitatis ſancta Dei genitrix.
Antiph. Ante torum.

Pſalmus 23.

DOmini eſt terra, & plenitudo ejus : orbis terrarum, & univerſi qui habitant in eo.
Quia ipſe ſuper maria fundavit eum : & ſuper flumina præparavit eum.
Quis aſcendet in montem Domini ; aut quis ſtabit in loco ſancto ejus ?
Innocens manibus, & mundo corde : qui non accepit in

in vano animam ſuam, nec juravit in dolo proximo ſuo.

Hic accipiet benedictionem à Domino: & miſericordiam à Deo ſalutari ſuo.

Hæc eſt generatio quærentium eum: quærentium faciem Dei Iacob.

Attollite portas principes veſtras, & elevamini portæ æternales: & introibit Rex gloriæ.

Quis eſt iſte Rex gloriæ? Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio.

Attollite portas principes veſtras, & elevamini portæ æternales: & introibit Rex gloriæ.

Quis eſt iſte Rex gloriæ? Dominus virtutum ipſe eſt Rex gloriæ. Gloria Patri.

Antiph. Ante torum hujus Virginis, frequentate nobis dulcia cantica dramatis. ℣. Diffuſa eſt gratia in labiis tuis. ℟. Propterea benedixit te Deus in æternum. Pater noſter, *ſecreto uſque ad* ℣. Et ne nos inducas.

Abſolutio. Precibus & meritis. *ut infra pagina 9. cum reliquis.*

Iſti tres Pſalmi ſequentes dicuntur Feria iij *&* vj *ad Nocturnum.*
Antiph. Specie tua.

Pſalmus 44.

ERuctavit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea regi.

Lingua mea calamus ſcribæ: velociter ſcribentis.

Speciosus forma præ filiis hominum, diffuſa eſt gratia in labiis tuis: propterea benedixit te Deus in æternum.

Accingere gladio tuo ſuper femur tuum: potentiſſime.

Specie tua & pulchritudine tua: intende, proſpere procede, & regna.

Propter veritatem & manſuetudinem & juſtitiam: & deducet te mirabiliter dextera tua.

Sagittæ tuæ acutæ, populi ſub te cadent: in corda inimicorum regis.

Sedes tua Deus in ſæculum ſæculi: virga directionis, virga regni tui.

Dilexiſti

Dilexiſti juſtitiam,& odiſti iniquitatem:propterea unxit te Deus,Deus tuus,oleo lætitiæ,præ conſortibus tuis.

Myrrha & gutta , & caſia à veſtimentis tuis , à domibus eburneis : ex quibus delectaverunt te filiæ regum in honore tuo.

Aſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato : circumdata varietate.

Audi filia,& vide,& inclina aurem tuam: & obliviſcere populum tuum, & domum patris tui.

Et concupiſcet rex decorem tuum : quoniam ipſe eſt Dominus Deus tuus, & adorabunt eum.

Et filiæ Tyri in muneribus : vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis.

Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus ; in fimbriis aureis, circumamicta varietatibus.

Adducentur Regi virgines poſt eam : proximæ ejus afferentur tibi.

Afferentur in lætitia & exultatione : adducentur in templum regis.

Pro patribus tuis nati ſunt tibi filii : conſtitues eos principes ſuper omnem terram.

Memores erunt nominis tui : in omni generatione, & generationem.

Propterea populi confitebuntur tibi in æternum : & in ſæculum ſæculi. Gloria Patri.

Antiph. Specie tua, & pulchritudine tua, intende, proſpere procede, & regna.

Antiph. Adjuvabit eam.

Pſal. 45.

DEus noſter refugium & virtus : adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis.

Propterea non timebimus dum turbabitur terra : & transferentur montes in cor maris.

Sonuerunt, & turbatæ ſunt aquæ eorum : conturbati ſunt montes in fortitudine ejus.

Flu-

Fluminis impetus lætificat civitatem Dei: ſanctificavit tabernaculum ſuum Altiſſimus.

Deus in medio ejus, non commovebitur: adjuvabit eam Deus mane diluculo.

Conturbatæ ſunt gentes, & inclinata ſunt regna: dedit vocem ſuam, mota eſt terra.

Dominus virtutum nobiſcum: ſuſceptor noſter Deus Iacob.

Venite, & videte opera Domini, quæ poſuit prodigia ſuper terram: auferens bella uſque ad finem terræ.

Arcum conteret, & confringet arma: & ſcuta comburet igni.

Vacate, & videte, quoniam ego ſum Deus: exaltabor in gentibus, & exaltabor in terra.

Dominus virtutum nobiſcum: ſuſceptor noſter Deus Iacob. Gloria Patri.

Antiph. Adjuvabit eam Deus vultu ſuo: Deus in medio ejus, non commovebitur. *Antiph.* Sicut lætantium.

Pſal. 86.

FVndamenta ejus in montibus ſanctis: diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Iacob.

Glorioſa dicta ſunt de te: civitas Dei.

Memor ero Rahab & Babylonis: ſcientium me.

Ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Æthiopum: hi fuerunt illic.

Numquid Sion dicet: Homo, & homo natus eſt in ea: & ipſe fundavit eam Altiſſimus?

Dominus narrabit in ſcripturis populorum & principum: horum qui fuerunt in ea.

Sicut lætantium omnium: habitatio eſt in te. Gloria.

Antiph. Sicut lætantium omnium noſtrum habitatio eſt in te, ſancta Dei genitrix. ℣. Diffuſa eſt gratia in labiis tuis. ℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

Pater noſter. *ſecreto uſque ad* ℣. Et ne nos inducas.

Abſolutio. Precibus & meritis. *ut infra pag.* 12. *cum reliquis.*

Iſti

Iſti tres Pſalmi ſequentes dicuntur Feria quarta & Sabbato ad Nocturnum.

Antiph. Gaude Maria virgo.

Pſalmus 95.

CAntate Domino canticum novum: cantate Domino omnis terra.

Cantate Domino, & benedicite nomini ejus, annuntiate de die in diem ſalutare ejus.

Annuntiate inter gentes gloriam ejus: in omnibus populis mirabilia ejus.

Quoniam magnus Dominus, & laudabilis nimis: terribilis eſt ſuper omnes deos.

Quoniam omnes dii gentium dæmonia: Dominus autem cœlos fecit.

Confeſſio & pulchritudo in conſpectu ejus: ſanctimonia & magnificentia in ſanctificatione ejus.

Afferte Domino patriæ gentium, afferte Domino gloriam & honorem: afferte Domino gloriam nomini ejus.

Tollite hoſtias & introite in atria ejus: adorate Dominum in atrio ſancto ejus.

Commoveatur à facie ejus univerſa terra: dicite in gentibus, quia Dominus regnavit.

Etenim correxit orbem terræ, qui non commovebitur: judicabit populos in æquitate.

Lætentur cœli, & exultet terra, commoveatur mare, & plenitudo ejus: gaudebunt campi, & omnia quæ in eis ſunt.

Tunc exultabunt omnia ligna ſilvarum à facie Domini, quia venit: quoniam venit judicare terram.

Iudicabit orbem terræ in æquitate: & populos in veritate ſua. Gloria Patri.

Antiph. Gaude Maria virgo, cunctas hæreſes ſola interemiſti in univerſo mundo.

Antiph. Dignare me.

Pſal-

Pſalmus 96.

DOminus regnavit, exultet terra: lætentur inſulæ multæ.

Nubes & caligo in circuitu ejus: juſtitia & judicium correctio ſedis ejus.

Ignis ante ipſum præcedet: & inflammabit in circuitu inimicos ejus.

Illuxerunt fulgura ejus orbi terræ: vidit, & commota eſt terra.

Montes ſicut cera fluxerunt à facie Domini: à facie Domini omnis terra.

Annuntiaverunt cœli juſtitiam ejus: & viderunt omnes populi gloriam ejus.

Confundantur omnes qui adorant ſculptilia: & qui gloriantur in ſimulacris ſuis.

Adorate eum omnes Angeli ejus: audivit & lætata eſt Sion.

Et exultaverunt filiæ Iudæ: propter judicia tua Domine.

Quoniam tu Dominus altiſſimus ſuper omnem terram: nimis exaltatus es ſuper omnes deos.

Qui diligitis Dominum, odite malum: cuſtodit Dominus animas ſanctorum ſuorum, de manu peccatoris liberabit eos.

Lux orta eſt juſto: & rectis corde lætitia.

Lætamini juſti in Domino: & confitemini memoriæ ſanctificationis ejus. Gloria Patri, & Filio.

Antiph. Dignare me laudare te Virgo ſacrata: da mihi virtutem contra hoſtes tuos.

Antiph. Poſt partum.

Antiph. in Adventu & Annunt. B. Mariæ. Angelus Domini.

Pſalmus 97.

CAntate Domino canticum novum: quia mirabilia fecit.

Salvavit ſibi dextera ejus: & brachium ſanctum ejus.

No-

Notum fecit Dominus ſalutare ſuum: in conſpectu gentium revelavit juſtitiam ſuam.

Recordatus eſt miſericordiæ ſuæ: & veritatis ſuæ domui Iſraël.

Viderunt omnes termini terræ: ſalutare Dei noſtri.

Iubilate Deo omnis terra: cantate,& exultate,& pſallite.

Pſallite Domino in cithara, in cithara & voce pſalmi: in tubis ductilibus, & voce tubæ corneæ.

Iubilate in conſpectu regis Domini: moveatur mare & plenitudo ejus, orbis terrarum, & qui habitant in eo.

Flumina plaudent manu, ſimul montes exultabunt à conſpectu Domini: quoniam venit judicare terram.

Iudicabit orbem terrarum in juſtitia: & populos in æquitate. Gloria Patri.

Antiph. Poſt partum virgo inviolata permanſiſti, Dei genitrix intercede pro nobis.

Antiph. in Adventu & Annunt. B. Mariæ. Angelus Domini nuntiavit Mariæ, & concepit de Spiritu ſancto.

℣. Diffuſa eſt gratia in labiis tuis. ℟. Propterea benedixit te Deus in æternum. Pater noſter. *ſecreto uſque ad* ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo.

ABSOLVTIO.

PRecibus & meritis beatæ Mariæ ſemper virginis, & omnium Sanctorum, perducat nos Dominus ad regna cœlorum. ℟. Amen. ℣. Iube domne benedicere.

Benedictio. Nos cum prole pia, benedicat virgo Maria. ℟. Amen.

Ante & poſt Adventum.

Lectio j. *Eccli.* 24.

IN omnibus requiem quæſivi, & in hæreditate Domini morabor. Tunc præcepit & dixit mihi creator omnium: & qui creavit me, requievit in tabernaculo meo, & dixit mihi: In Iacob inhabita, & in Iſraël hære-

hæreditare, & in electis meis mitte radices. Tu autem Domine miſerere nobis. ℟. Deo gratias. ℟. Sancta & immaculata virginitas, quibus te laudibus efferam, neſcio: Quia quem cœli capere non poterant, tuo gremio contuliſti. ℣. Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Quia quem cœli capere non poterant, tuo gremio contuliſti. ℣. Iube domne benedicere. *Benedictio.* Ipſa Virgo virginum intercedat pro nobis ad Dominum. ℟. Amen.

Lectio ij.

ET ſic in Sion firmata ſum, & in civitate ſanctificata ſimiliter requievi: & in Ieruſalem poteſtas mea. Et radicavi in populo honorificato, & in parte Dei meî hæreditas illius, & in plenitudine ſanctorum detentio mea. Tu autem Domine miſerere nobis. ℟. Deo gratias. ℟. Beata es virgo Maria, quæ Dominum portaſti creatorem mundi: Genuiſti qui te fecit, & in æternum permanes virgo.

℣. Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum. Genuiſti qui te fecit, & in æternum permanes virgo.

Quando dicitur Te Deum laudamus, *aſſumitur in fine hujus Reſponſorii.*

℣. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto. Genuiſti qui te fecit, & in æternum permanes virgo. ℣. Iube domne benedicere. *Benedictio.* Per Virginem matrem concedat nobis Dominus ſalutem & pacem. ℟. Amen.

Lectio iij.

QVaſi cedrus exaltata ſum in Libano, & quaſi cypreſſus in monte Sion. Quaſi palma exaltata ſum in Cades, & quaſi plantatio roſæ in Iericho. Quaſi oliva ſpecioſa in campis, & quaſi platanus exaltata ſum juxta aquas in plateis. Sicut cinnamomum, & balſamum aromatizans odorem dedi. Quaſi myrrha electa dedi ſuavitatem odoris. Tu autem Domine miſerere nobis. ℟. Deo gratias.

Sequens Reſp. omittitur, quando dicitur, Te Deum laudamus. ℟. Felix namque es ſacra virgo Maria, & omni laude digniſſima: Quia ex te ortus eſt ſol juſtitiæ, Chriſtus Deus noſter. ℣. Ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto femineo ſexu: ſentiant omnes tuum juvamen, quicunque celebrant tuam ſanctam commemorationem. Quia ex te ortus eſt ſol juſtitiæ, Chriſtus Deus noſter.
℣. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto. Chriſtus Deus noſter.

In Adventu, & in die Annuntiationis B. Mariæ.

Lectio j. *Lucæ* 1.

MIſſus eſt Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad virginem deſponſatam viro, cui nomen erat Ioſeph, de domo David: & nomen virginis Maria. Et ingreſſus Angelus ad eam dixit: Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Tu autem Domine miſerere nobis. ℟. Deo gratias. ℟. Miſſus eſt Gabriel Angelus ad Mariam virginem deſponſatam Ioſeph, nuntians ei verbum: & expaveſcit virgo de lumine. Ne timeas Maria: inveniſti gratiam apud Dominum: Ecce concipies & paries, & vocabitur Altiſſimi Filius. ℣. Dabit ei Dominus Deus ſedem David patris ejus, & regnabit in domo Iacob in æternum. Ecce concipies & paries, & vocabitur Altiſſimi Filius. ℣. Iube domne benedicere. *Benedictio.* Ipſa Virgo virginum intercedat pro nobis ad Dominum. ℟. Amen.

Lectio ij.

QVæ cum audiſſet, turbata eſt in ſermone ejus: & cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio. Et ait Angelus ei: Ne timeas Maria, inveniſti enim gratiam apud Deum. Ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus Ieſum. Hic erit magnus, & Filius Altiſſimi vocabitur: & dabit illi Dominus Deus ſedem

David

David patris ejus, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni ejus non erit finis. Tu autem Domine miſerere nobis. ℟. Deo gratias.

℟. Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum: Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi: quod enim ex te naſcetur ſanctum, vocabitur Filius Dei. ℣. Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco? Et reſpondens Angelus, dixit ei: Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi: quod enim ex te naſcetur ſanctum, vocabitur Filius Dei. ℣. Iube domne benedicere. *Benedictio.* Per Virginem Matrem concedat nobis Dominus ſalutem & pacem. ℟. Amen.

Lectio iij.

DIxit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco? Et reſpondens Angelus dixit ei: Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi: ideoque & quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei. Et ecce Eliſabeth cognata tua, & ipſa concepit filium in ſenectute ſua: & hic menſis eſt ſextus illi, quæ vocatur ſterilis; quia non erit impoſſibile apud Deum omne verbum. Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum. Tu autem Domine miſerere nobis. ℟. Deo gratias. ℟. Suſcipe verbum virgo Maria, quod tibi à Domino per Angelum transmiſſum eſt: concipies & paries Deum pariter & hominem: Vt benedicta dicaris inter omnes mulieres. ℣. Paries quidem filium, & virginitatis non patieris detrimentum: efficieris gravida, & eris mater ſemper intacta. Vt benedicta dicaris inter omnes mulieres. ℣. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto. Vt benedicta dicaris inter omnes mulieres.

Sequens hymnus, Te Deum laudamus *dicitur ad libitum à Nativ. Dom. uſque ad Septuag. & à Domin. Reſurrect. uſque ad Adventum:*

ventum: & quando dicitur, emittitur tertium Reſp. & in ſecundo Reſp. dicitur: Gloria. *ut dictum eſt ſupra. In Adventu autem & à Septuageſima uſque ad Paſcha non dicitur, niſi in Feſtis B. Mariæ.*

Hymnus SS. Ambroſii & Auguſtini.

TE Deum laudamus: te Dominum confitemur.
Te æternum Patrem: omnis terra veneratur.
Tibi omnes Angeli: tibi cœli & univerſæ poteſtates.
Tibi Cherubim & Seraphim: inceſſabili voce proclamant:
Sanctus, Sanctus, Sanctus: Dominus Deus Sabaoth.
Pleni ſunt cœli & terra: majeſtatis gloriæ tuæ.
Te glorioſus Apoſtolorum chorus.
Te Prophetarum laudabilis numerus.
Te Martyrum candidatus laudat exercitus.
Te per orbem terrarum, ſancta confitetur Eccleſia.
Patrem immenſæ majeſtatis.
Venerandum tuum verum, & unicum Filium.
Sanctum quoque paraclitum Spiritum.
Tu Rex gloriæ Chriſte.
Tu Patris ſempiternus es Filius.
Tu ad liberandum ſuſcepturus hominem: non horruiſti Virginis uterum.
Tu devicto mortis aculeo: aperuiſti credentibus regna cœlorum.
Tu ad dexteram Dei ſedes: in gloria Patris:
Iudex crederis eſſe venturus.
Te ergo quæſumus, tuis famulis ſubveni: quos pretioſo ſanguine redemiſti.
Æterna fac cum ſanctis tuis: in gloria numerari.
Salvum fac populum tuum Domine: & benedic hæreditati tuæ.
Et rege eos: & extolle illos uſque in æternum.
Per ſingulos dies: benedicimus te.
Et laudamus nomen tuum in ſæculum: & in ſæculum ſæculi.

Digna-

Dignare Domine die iſto : ſine peccato nos cuſtodire.
Miſerere noſtri Domine : miſerere noſtri.
Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos : quemadmodum ſperavimus in te.
In te Domine ſperavi : non confundar in æternum.

AD LAVDES.

DEus in adjutorium meum intende.
℟. Domine ad adjuvandum me feſtina.
Gloria Patri.

Antiphonas vide poſt Pſalmos.

Pſalmus 92.

DOminus regnavit, decorem indutus eſt : indutus eſt Dominus fortitudinem, & præcinxit ſe.
Etenim firmavit orbem terræ : qui non commovebitur.
Parata ſedes tua ex tunc : à ſæculo tu es.
Elevaverunt flumina Domine : elevaverunt flumina vocem ſuam.
Elevaverunt flumina fluctus ſuos : à vocibus aquarum multarum.
Mirabiles elationes maris : mirabilis in altis Dominus.
Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis : domum tuam decet ſanctitudo Domine, in longitudinem dierum. Gloria Patri, & Filio.

Ante Adventum.

Antiph. Aſſumpta eſt Maria in cœlum, gaudent Angeli, laudantes benedicunt Dominum.

In Adventu.

Antiph. Miſſus eſt Gabriel Angelus ad Mariam virginem deſponſatam Ioſeph.

Poſt Adventum.

Antiph. O admirabile commercium : creator generis humani, animatum corpus ſumens, de Virgine naſci

dignatus eſt: & procedens homo ſine ſemine, largitus eſt nobis ſuam Deitatem.

Pſalmus 99.

IVbilate Deo omnis terra: ſervite Domino in lætitia. Introite in conſpectu ejus: in exultatione.

Scitote quoniam Dominus ipſe eſt Deus: ipſe fecit nos, & non ipſi nos.

Populus ejus, & oves paſcuæ ejus: introite portas ejus in confeſſione, atria ejus in hymnis, confitemini illi.

Laudate nomen ejus, quoniam ſuavis eſt Dominus, in æternum miſericordia ejus: & uſque in generationem & generationem veritas ejus.

Gloria Patri, & Filio.

Ante Adventum.

Antiph. Maria virgo aſſumpta eſt ad æthereum thalamum, in quo Rex regum ſtellato ſedet ſolio.

In Adventu.

Antiph. Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus, alleluja.

Poſt Adventum.

Antiph. Quando natus es ineffabiliter ex Virgine, tunc impletæ ſunt Scripturæ: ſicut pluvia in vellus deſcendiſti, ut ſalvum faceres genus humanum: te laudamus Deus noſter.

Pſalmus 62.

DEus Deus meus: ad te de luce vigilo.

Sitivit in te anima mea: quam multipliciter tibi caro mea.

In terra deſerta, & invia, & inaquoſa: ſic in ſancto apparui tibi, ut viderem virtutem tuam, & gloriam tuam.

Quoniam melior eſt miſericordia tua ſuper vitas: labia mea laudabunt te.

Sic benedicam te in vita mea: & in nomine tuo levabo manus meas.

Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea: & labiis exultationis laudabit os meum.

Si memor fui tui ſuper ſtratum meum, in matutinis meditabor in te: quia fuiſti adjutor meus.

Et in velamento alarum tuarum exultabo, adhæſit anima mea poſt te: me ſuſcepit dextera tua.

Ipſi vero in vanum quæſierunt animam meam, introibunt in inferiora terræ: tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt.

Rex vero lætabitur in Deo, laudabuntur omnes qui jurant in eo: quia obſtructum eſt os loquentium iniqua.

Pſalmus 66.

Deus miſereatur noſtri, & benedicat nobis: illuminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereatur noſtri.

Vt cognoſcamus in terra viam tuam: in omnibus gentibus ſalutare tuum.

Confiteantur tibi populi Deus: confiteantur tibi populi omnes.

Lætentur & exultent gentes: quoniam judicas populos in æquitate, & gentes in terra dirigis.

Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes: terra dedit fructum ſuum.

Benedicat nos Deus, Deus noſter, benedicat nos Deus: & metuant eum omnes fines terræ.

Gloria Patri.

Ante Adventum.

Antiph. In odorem unguentorum tuorum currimus, adoleſcentulæ dilexerunt te nimis.

In Adventu.

Antiph. Nec timeas Maria, inveniſti gratiam apud Dominum: Ecce concipies & paries Filium, alleluja.

Poſt Adventum.

Antiph. Rubum quem viderat Moyſes incombuſtum, conſervatam agnovimus tuam laudabilem virginitatem: Dei genitrix intercede pro nobis.

Cant. 3 Pueror. Dan.

BEnedicite omnia opera Domini Domino: laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula.

Benedicite Angeli Domini Domino: benedicite cœli Domino.

Benedicite aquæ omnes, quæ ſuper cœlos ſunt Domino: benedicite omnes virtutes Domini Domino.

Benedicite ſol & luna Domino: benedicite ſtellæ cœli Domino.

Benedicite omnis imber & ros Domino: benedicite omnes ſpiritus Dei Domino.

Benedicite ignis & æſtus Domino: benedicite frigus & æſtus Domino.

Benedicite rores & pruina Domino: benedicite gelu & frigus Domino.

Benedicite glacies & nives Domino: benedicite noctes & dies Domino.

Benedicite lux & tenebræ Domino: benedicite fulgura & nubes Domino.

Benedicat terra Dominum: laudet & ſuperexaltet eum in ſæcula.

Benedicite montes & colles Domino: benedicite univerſa germinantia in terra Domino.

Benedicite fontes Domino: benedicite maria & flumina Domino.

Benedicite cete, & omnia quæ moventur in aquis, Domino: benedicite omnes volucres cœli Domino.

Benedicite omnes beſtiæ & pecora Domino: benedicite filii hominum Domino.

Benedicat Iſraël Dominum: laudet & ſuperexaltet eum in ſecula.

Benedicite ſacerdotes Domini Domino: benedicite ſervi Domini Domino.

Benedicite ſpiritus & animæ juſtorum Domino: benedicite ſancti & humiles corde Domino.

Bene-

Benedicite Anania, Azaria, Miſaël, Domino: laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula.

Benedicamus Patrem & Filium cum ſancto Spiritu: laudemus & ſuperexaltemus eum in ſæcula.

Benedictus es Domine in firmamento cœli: & laudabilis, & glorioſus, & ſuperexaltatus in ſæcula.

Hic non dicitur Gloria.

Ante Adventum.

Antiph. Benedicta filia tu à Domino: quia per te fructum vitæ communicavimus.

In Adventu.

Antiph. Dabit ei Dominus ſedem David patris ejus, & regnabit in æternum.

Poſt Adventum.

Antiph. Germinavit radix Ieſſe, orta eſt ſtella ex Iacob, virgo peperit Salvatorem: te laudamus Deus noſter.

Pſal. 148.

LAudate Dominum de cœlis: laudate eum in excelſis.

Laudate eum omnes Angeli ejus: laudate eum omnes virtutes ejus.

Laudate eum ſol & luna: laudate eum omnes ſtellæ & lumen.

Laudate eum cœli cœlorum: & aquæ omnes quæ ſuper cœlos ſunt, laudent nomen Domini.

Quia ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandavit, & creata ſunt.

Statuit ea in æternum, & in ſæculum ſæculi; præceptum poſuit, & non præteribit.

Laudate Dominum de terra: dracones & omnes abyſſi.

Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum; quæ faciunt verbum ejus.

Montes & omnes colles: ligna fructifera, & omnes cedri.

Beſtiæ, & univerſa pecora: ſerpentes, & volucres pennatæ.

Reges terræ & omnes populi: principes, & omnes judices terræ.

Iuvenes, & virgines, ſenes cum junioribus laudent nomen Domini: quia exaltatum eſt nomen ejus ſolius.

Confeſſio ejus ſuper cœlum & terram: & exaltavit cornu populi ſui.

Hymnus omnibus ſanctis ejus: filiis Iſraël, populo appropinquanti ſibi.

Pſalmus 149.

CAntate Domino canticum novum: laus ejus in Eccleſia ſanctorum.

Lætetur Iſraël in eo qui fecit eum: & filii Sion exultent in rege ſuo.

Laudent nomen ejus in choro: in tympano & pſalterio pſallant ei.

Quia beneplacitum eſt Domino in populo ſuo: & exaltabit manſuetos in ſalutem.

Exultabunt ſancti in gloria: lætabuntur in cubilibus ſuis.

Exaltationes Dei in gutture eorum: & gladii ancipites in manibus eorum.

Ad faciendam vindictam in nationibus: increpationes in populis.

Ad alligandos reges eorum in compedibus: & nobiles eorum in manicis ferreis.

Vt faciant in eis judicium conſcriptum: gloria hæc eſt omnibus ſanctis ejus.

Pſalmus 150.

LAudate Dominum in ſanctis ejus: laudate eum in firmamento virtutis ejus.

Laudate eum in virtutibus ejus: laudate eum ſecundum multitudinem magnitudinis ejus.

Laudate eum in ſono tubæ: laudate eum in pſalterio & cithara. Lau-

Laudate eum in tympano & choro: laudate eum in chordis & organo.

Laudate eum in cymbalis beneſonantibus, laudate eum in cymbalis jubilationis: omnis ſpiritus laudet Dominum. Gloria Patri, & Filio.

Ante Adventum.

Antiph. Pulchra es, & decora, filia Ieruſalem: terribilis ut caſtrorum acies ordinata.

In Adventu.

Antiph. Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum.

Poſt Adventum.

Antiph. Ecce Maria genuit nobis Salvatorem, quem Ioannes videns exclamavit; dicens: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, alleluja.

Ante & poſt Adventum.

CAPIT. *Cant.* 6.

Viderunt eam filiæ Sion, & beatiſſimam prædicaverunt, & reginæ laudaverunt eam. ℟. Deo gratias.

In Adventu.

CAPIT. *Iſaiæ* 11.

Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice ejus aſcendet, & requieſcet ſuper eum Spiritus Domini. ℟. Deo gratias.

Hymnus.

O Glorioſa Domina,
Excelſa ſuper ſidera,
Qui te creavit provide,
Lactaſti ſacro ubere.
Quod Eva triſtis abſtulit,
Tu reddis almo germine:
Intrent ut aſtra flebiles,
Cœli feneſtra facta es.
Tu regis alti janua,
Et porta lucis fulgida:
Vitam datam per Virginem
Gentes redemptæ plaudite.
Gloria tibi Domine, *&c. ut ſupra* 4.

℣. Benedicta tu in mulieribus. ℟. Et benedictus fructus ventris tui.

Cant.

Canticum Zachariæ. Lucæ 1.

BEnedictus Dominus Deus Iſraël: quia viſitavit, & fecit redemptionem plebis ſuæ.

Et erexit cornu ſalutis nobis: in Domo David pueri ſui.

Sicut locutus eſt per os ſanctorum: qui à ſeculo ſunt, prophetarum ejus.

Salutem ex inimicis noſtris: & de manu omnium qui oderunt nos.

Ad faciendam miſericordiam cum patribus noſtris: & memorari teſtamenti ſui ſancti.

Iusjurandum quod juravit ad Abraham patrem noſtrum: daturum ſe nobis:

Vt ſine timore de manu inimicorum noſtrorum liberati: ſerviamus illi.

In ſanctitate & juſtitia coram ipſo: omnibus diebus noſtris.

Et tu puer propheta Altiſſimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini, parare vias ejus.

Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi ejus: in remiſſionem peccatorum eorum.

Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri: in quibus viſitavit nos oriens ex alto.

Illuminare his qui in tenebris & in umbra mortis ſedent: ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis. Gloria.

Ante Adventum.

Antiph. Beata Dei genitrix Maria, virgo perpetua, templum Domini, ſacrarium Spiritus ſancti: ſola ſine exemplo placuiſti Dño noſtro Ieſu Chriſto: ora pro populo, interveni pro clero: intercede pro devoto femineo ſexu.

In Adventu.

Antiph. Spiritus ſanctus in te deſcendet Maria: ne timeas. habebis in utero Filium Dei, alleluja.

Poſt Adventum.

Antiph. Mirabile myſterium declaratur hodie: innovantur naturæ,

naturæ, Deus homo factus eſt: id quod fuit permanſit, & quod non erat, aſſumpſit: non commixtionem paſſus, neque diviſionem.

Tempore vero Paſchatis dicitur

Antiph. Regina cœli lætare, alleluja. Quia quem meruiſti portare, alleluja. Reſurrexit, ſicut dixit, alleluja. Ora pro nobis Deum, alleluja.

Kyrie eleïſon. Chriſte eleïſon. Kyrie eleïſon.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

Ante Adventum & in Adventu.

Oratio.

DEus, qui de beatæ Mariæ virginis utero, Verbum tuum, Angelo nuntiante, carnem ſuſcipere voluiſti: præſta ſupplicibus tuis: ut qui vere eam genitricem Dei credimus, ejus apud te interceſſionibus adjuvemur. Per eumdem Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Poſt Adventum Oratio.

DEus, qui ſalutis æternæ, beatæ Mariæ virginitate fecunda, humano generi præmia præſtitiſti: tribue quæſumus, ut ipſam pro nobis intercedere ſentiamus, per quam meruimus auctorem vitæ ſuſcipere, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum. Qui tecum vivit & regnat in unitate. ℟. Amen.

Ante & poſt Adventum pro Sanctis.

Antiph. Sancti Dei omnes intercedere dignemini pro noſtra omniumque ſalute.

℣. Lætamini in Domino, & exultate juſti. ℟. Et gloriamini omnes recti corde. *Oratio.*

PRotege Domine populum tuum: & Apoſtolorum tuorum Petri & Pauli, & aliorum Apoſtolorum patrocinio confidentem, perpetua defenſione conſerva.

OMnes ſancti tui, quæſumus Domine, nos ubique adjuvent: ut dum eorum merita recolimus, patrocinia ſentiamus: & pacem tuam noſtris concede temporibus, & ab

& ab Eccleſia tua cunctam repelle nequitiam: iter, actus, & voluntates noſtras, & omnium famulorúm tuorum, in ſalutis tuæ proſperitate diſpone: benefactoribus noſtris ſempiterna bona retribue: & omnibus fidelibus defunctis requiem æternam concede. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Benedicamus Domino.

℟. Deo gratias.

℣. Fidelium animæ per miſericordiam Dei requieſcant in pace. ℟. Amen.

In Adventu pro Sanctis.

Antiph. Ecce Dominus veniet, & omnes ſancti ejus cum eo: & erit in die illa lux magna, alleluja.

℣. Ecce apparebit Dominus ſuper nubem candidam.

℟. Et cum eo Sanctorum millia.

Oratio.

CONſcientias noſtras, quæſumus Domine, viſitando purifica: ut veniens Ieſus Chriſtus Filius tuus Dominus noſter cum omnibus Sanctis, paratam ſibi in nobis inveniat manſionem. Qui tecum vivit.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Benedicamus Domino.

℟. Deo gratias.

℣. Fidelium animæ per miſericordiam Dei requieſcant in pace. ℟. Amen.

Si terminandum ſit officium, dicuntur ea, quæ ſequuntur: alioquin ſi alia ſubſequatur Hora, in fine ultimæ Horæ, Pater noſter, *totum ſecreto.*

℣. Dominus det nobis ſuam pacem. ℟. Et vitam æternam, Amen.

Deinde

Deinde dicitur una ex infra ſcriptis Antiphonis flexis genibus, (præterquam in diebus Dominicis à primis Veſperis Sabbati, & toto tempore Paſchali) & ſimiliter in fine Completorii.

A Completorio Purificationis uſque ad Nonam Sabbati ſancti incluſive, Antiphona.

AVe Regina Cœlorum,
Ave Domina Angelorum:
Salve radix, ſalve porta,
Ex qua mundo lux eſt orta.
Gaude Virgo glorioſa,
Super omnes ſpecioſa;
Vale ô valde decora,
Et pro nobis Chriſtum exora.

℣. Dignare me laudare te, Virgo ſacrata. ℟. Da mihi virtutem contrà hoſtes tuos.

Oremus.

COncede miſericors Deus fragilitati noſtræ præſidium: ut, qui ſanctæ Dei genitricis memoriam agimus, interceſſionis ejus auxilio à noſtris iniquitatibus reſurgamus. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen. ℣. Divinum auxilium maneat ſemper nobiſcum. ℟. Amen.

A Complet. Sabb. ſancti uſque ad Nonam Sabbati poſt Pentecoſten incluſive, Antiph.

REgina cœli lætare, alleluja.
Quia quem meruiſti portare, alleluja.
Reſurrexit ſicut dixit, alleluja.
Ora pro nobis Deum, alleluja.
℣. Gaude & lætare Virgo Maria, alleluja.
℟. Quia ſurrexit Dominus vere, alleluja.

Oremus.

DEus qui per reſurrectionem Filii tui Domini noſtri Ieſu Chriſti mundum lætificare dignatus es: præſta quæſumus, ut per ejus genitricem Virginem Mariam perpetuæ capiamus gaudia vitæ. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen. ℣. Divinum auxilium maneat ſemper nobiſcum. ℟. Amen.

A Com-

A Completorio Sabbati poſt Pentecoſten, uſque ad Nonam Sabbati ante Adventum Antiphona.

SAlve Regina, mater miſericordiæ, vita, dulcedo, & ſpes noſtra ſalve. Ad te clamamus exules filii Evæ. Ad te ſuſpiramus gementes & flentes in hac lacrymarum valle. Eja ergo advocata noſtra, illos tuos miſericordes oculos ad nos converte. Et Ieſum benedictum fructum ventris tui nobis poſt hoc exilium oſtende. O clemens, ô pia, ô dulcis virgo Maria.

℣. Ora pro nobis ſancta Dei genitrix. ℟. Vt digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui glorioſæ virginis matris Mariæ corpus & animam, ut dignum Filii tui habitaculum effici mereretur, Spiritu ſancto cooperante præparaſti: da, ut cujus commemoratione lætamur, ejus pia interceſſione ab inſtantibus malis & à morte perpetua liberemur. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen. ℣. Divinum auxilium.

In Adventu.

Sequens Antiphona dicitur flexis genibus, præterquam in Dominicis à primis Veſperis Sabbati.

ALma Redemptoris mater, quæ pervia cœli Porta manes, & ſtella maris: ſuccurre cadenti,
Surgere qui curat, populo: tu quæ genuiſti,
Natura mirante, tuum ſanctum genitorem,
Virgo prius ac poſterius,
Gabrielis ab ore
Sumens illud Ave, peccatorum miſerere.

℣. Angelus Domini nuntiavit Mariæ. ℟. Et concepit de Spiritu ſancto.

Oremus.

GRatiam tuam, quæſumus Domine, mentibus noſtris infunde: ut qui Angelo nunciante Chriſti filii tui incarnationem cognovimus: per paſſionem ejus & cru-

cem

cem ad reſurrectionis gloriam perducamur. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.
℣. Divinum auxilium maneat ſemper nobiſcum.
℟. Amen.

AD PRIMAM.

Ave Maria.

℣. Deus in adjutorium meum intende. ℟. Domine ad adjuvandum me feſtina. ℣. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto. Alleluja.

Hymnus.

Memento ſalutis auctor,
Quod noſtri quondam corporis,
Ex illibata Virgine
Naſcendo, formam ſumpſeris.
Maria mater gratiæ,
Mater miſericordiæ:
Tu nos ab hoſte protege,
Et hora mortis ſuſcipe.
Gloria tibi Domine.
ut ſupra 4.

Ante Adventum.

Antiph. Aſſumpta eſt.

In Adventu.

Antiph. Miſſus eſt.

Poſt Adventum.

Antiph. O admirabile commercium.

Pſalmus 53.

Deus in nomine tuo ſalvum me fac: & in virtute tua judica me.

Deus exaudi orationem meam: auribus percipe verba oris mei.

Quoniam alieni inſurrexerunt adverſum me, & fortes quæſierunt animam meam: & non propoſuerunt Deum ante conſpectum ſuum.

Ecce enim Deus adjuvat me: & Dominus ſuſceptor eſt animæ meæ.

Averte mala inimicis meis: & in veritate tua diſperde illos.

Voluntarie ſacrificabo tibi: & confitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum eſt.

Quoniam ex omni tribulatione eripuiſti me: & ſuper inimicos meos deſpexit oculus meus. Gloria Patri.

Pſal. 84.

BEnedixiſti Domine terram tuam: avertiſti captivitatem Iacob.

Remiſiſti iniquitatem plebis tuæ: operuiſti omnia peccata eorum.

Mitigaſti omnem iram tuam: avertiſti ab ira indignationis tuæ.

Converte nos Deus ſalutaris noſter: & averte iram tuam à nobis.

Nunquid in æternum iraſceris nobis: aut extendes iram tuam à generatione in generationem?

Deus tu converſus vivificabis nos: & plebs tua lætabitur in te.

Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam: & ſalutare tuum da nobis.

Audiam quid loquatur in me Dominus Deus: quoniam loquetur pacem in plebem ſuam.

Et ſuper ſanctos ſuos: & in eos qui convertuntur ad cor.

Verumtamen prope timentes eum ſalutare ipſius: ut inhabitet gloria in terra noſtra.

Miſericordia & veritas obviaverunt ſibi: juſtitia & pax oſculatæ ſunt.

Veritas de terra orta eſt: & juſtitia de cœlo proſpexit.

Etenim Dominus dabit benignitatem: & terra noſtra dabit fructum ſuum.

Iuſtitia ante eum ambulabit: & ponet in via greſſus ſuos. Gloria Patri.

Pſal. 116.

LAudate Dominum omnes gentes: laudate eum omnes populi.

Quoniam confirmata eſt ſuper nos miſericordia ejus: & veritas Domini manet in æternum. Gloria Patri.

Ante

Ante Adventum.

Antiph. Aſſumpta eſt Maria in cœlum, gaudent Angeli, laudantes benedicunt Dominum.

In Adventu.

Antiph. Miſſus eſt Gabriel Angelus ad Mariam virginem deſponſatam Ioſeph.

Poſt Adventum.

Antiph. O admirabile commercium! creator generis humani, animatum corpus ſumens, de Virgine naſci dignatus eſt: & procedens homo ſine ſemine, largitus eſt nobis ſuam Deitatem.

Ante & poſt Advent.

CAPITVLVM. *Cant. 6.*

QVæ eſt iſta, quæ progreditur, quaſi aurora conſurgens: pulchra ut luna, electa ut ſol, terribilis ut caſtrorum acies ordinata?

℟. Deo gratias.

In Adventu.

CAPITVLVM. *Iſaiæ 7.*

ECce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel: butyrum & mel comedet, ut ſciat reprobare malum, & eligere bonum. ℟. Deo gratias. ℣. Dignare me laudare te, Virgo ſacrata. ℟. Da mihi virtutem contra hoſtes tuos. Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oratio ante Adventum.

DEus, qui virginalem aulam beatæ Mariæ virginis, in qua habitares, eligere dignatus es: da quæſumus, ut ſua nos defenſione munitos, jucundos facias ſuæ intereſſe commemorationi. Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

In Adventu.

DEus, qui de beatæ Mariæ Virginis utero, Verbum tuum, Angelo nunciante carnem ſuſcipere voluiſti: præſta ſupplicibus tuis, ut qui vere eam genitricem Dei credimus, ejus apud te interceſſionibus adjuvemur. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Poſt Adventum.

DEus, qui ſalutis æternæ, beatæ Mariæ virginitate fecunda, humano generi præmia præſtitiſti: tribue quæſumus, ut ipſam pro nobis intercedere ſentiamus, per quam meruimus auctorem vitæ ſuſcipere, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum. ℟. Amen.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Benedicamus Domino. ℟. Deo gratias.

℣. Fidelium animæ per miſericordiam Dei requieſcant in pace. ℟. Amen.

AD TERTIAM.

Ave Maria.

℣. DEus in adjutorium meum intende. ℟. Domine ad adjuvandum me feſtina. Gloria Patri, & Filio, Alleluja.

Hymnus.

MEmento ſalutis auctor,
Quod noſtri quondam corporis,
Ex illibata Virgine
Naſcendo, formam ſumpſeris.
Maria mater gratiæ,
Mater miſericordiæ:
Tu nos ab hoſte protege,
Et hora mortis ſuſcipe.
Gloria tibi Domine, *&c. ut ſupra* 4.

Ante Adventum.

Antiph. Maria Virgo.

In Adventu.

Antiph. Ave Maria.

Poſt Adventum.

Antiph. Quando natus es.

Pſalmus 119.

AD Dominum cum tribularer clamavi: & exaudivit me.

Domine

Domine libera animam meam à labiis iniquis, & à lingua doloſa.

Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi: ad linguam doloſam?

Sagittæ potentis acutæ: cum carbonibus deſolatoriis.

Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt, habitavi cum habitantibus Cedar: multum incola fuit anima mea.

Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus: cum loquebar illis, impugnabant me gratis. Gloria.

Pſalmus 120.

LEvavi oculos meos in montes: unde veniet auxilium mihi.

Auxilium meum à Domino: qui fecit cælum & terram.

Non det in commotionem pedem tuum: neque dormitet qui cuſtodit te.

Ecce non dormitabit, neque dormiet: qui cuſtodit Iſraël.

Dominus cuſtodit te, Dominus protectio tua: ſuper manum dexteram tuam.

Per diem ſol non uret te: neque luna per noctem.

Dominus cuſtodit te ab omni malo: cuſtodiat animam tuam Dominus.

Dominus cuſtodiat introitum tuum & exitum tuum: ex hoc nunc & uſque in ſæculum. Gloria.

Pſalmus 121.

LÆtatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi: in domum Domini ibimus.

Stantes erant pedes noſtri: in atriis tuis Ieruſalem.

Ieruſalem quæ ædificatur ut civitas: cujus participatio ejus in idipſum.

Illuc enim aſcenderunt tribus, tribus Domini: teſtimonium Iſraël, ad confitendum nomini Domini.

Quia illic ſederunt ſedes in judicio: ſedes ſuper domum David.

Rogate quæ ad pacem ſunt Ieruſalem : & abundanti[a] diligentibus te.

Fiat pax in virtute tua : & abundantia in turribus tuis

Propter fratres meos & proximos meos : loqueba[r] pacem de te.

Propter Domum Domini Dei noſtri : quæſivi bon[a] tibi. Gloria Patri, & Filio.

Ante Adventum.

Antiph. Maria virgo aſſumpta eſt ad æthereum thalamum in quo Rex regum ſtellato ſedet ſolio.

In Adventu.

Antiph. Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum : benedicta tu in mulieribus, alleluja.

Poſt Adventum.

Antiph. Quando natus es ineffabiliter ex Virgine, tun[c] impletæ ſunt Scripturæ: ſicut pluvia in vellus deſcendiſti ut ſalvum faceres genus humanum : te laudamus Deu[s] noſter.

Ante & poſt Adventum.

CAPIT. *Eccl.* 24.

ET ſic in Sion firmata ſum, & in civitate ſanctificata ſimiliter requievi, & in Ieruſalem poteſtas mea. ℟. Deo gratias.

In Adventu.

CAPIT. *Iſaiæ* 11.

EGredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice ejus aſcendet, & requieſcet ſuper eum Spiritus Domini. ℟. Deo gratias.

℣. Diffuſa eſt gratia in labiis tuis. ℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oratio ante & poſt Adventum.

DEus, qui ſalutis æternæ, beatæ Mariæ virginitate fecunda, humano generi præmia præſtitiſti : tribue

quæ-

quæſumus, ut ipſam pro nobis intercedere ſentiamus, per quam meruimus auctorem vitæ ſuſcipere, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum. Qui tecum vivit & regnat in unitate. ℟. Amen.

In Adventu, Oratio.

DEus, qui de beatæ Mariæ Virginis utero, Verbum tuum, Angelo nunciante carnem ſuſcipere voluiſti: præſta ſupplicibus tuis, ut qui vere eam genitricem Dei credimus, ejus apud te interceſſionibus adjuvemur. Per eundem Chriſtum. ℟. Amen.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Benedicamus Domino. ℟. Deo gratias.

℣. Fidelium animæ per miſericordiam Dei requieſcant in pace. ℟. Amen.

AD SEXTAM.

Ave Maria.

℣. DEus in adjutorium meum intende. ℟. Domine ad adjuvandum me feſtina. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto. Alleluja.

Hymnus.

MEmento ſalutis auctor,
Quod noſtri quondam corporis,
Ex illibata Virgine
Naſcendo, formam ſumpſeris.
Maria mater gratiæ,
Mater miſericordiæ:
Tu nos ab hoſte protege,
Et hora mortis ſuſcipe.
Gloria tibi Domine. *ut ſupra* 4.

Ante Adventum.

Antiph. In odorem.

In Adventu.

Antiph. Ne timeas Maria.

Poſt Adventum.

Antiph. Rubum quem viderat Moyſes.

Pſalmus 122.

AD te levavi oculos meos: qui habitas in cœlis.
Ecce ſicut oculi ſervorum in manibus dominorum ſuorum:

Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ ſuæ: ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum, donec miſereatur noſtri.

Miſerere noſtri Domine, miſerere noſtri: quia multum repleti ſumus deſpectione.

Quia multum repleta eſt anima noſtra: opprobrium abundantibus, & deſpectio ſuperbis. Gloria Patri.

Pſalmus 123.

NIſi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Iſraël: niſi quia Dominus erat in nobis.

Cum exurgerent homines in nos: forte vivos deglutiſſent nos.

Cum iraſceretur furor eorum in nos: forſitan aqua abſorbuiſſet nos.

Torrentem pertranſivit anima noſtra: forſitan pertranſiſſet anima noſtra aquam intolerabilem.

Benedictus Dominus: qui non dedit nos in captionem dentibus eorum.

Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt: de laqueo venantium.

Laqueus contritus eſt: & nos liberati ſumus.

Adjutorium noſtrum in nomine Domini: qui fecit cœlum & terram. Gloria.

Pſalmus 124.

QVi confidunt in Domino, ſicut mons Sion: non commovebitur in æternum, qui habitat in Ieruſalem.

Montes in circuitu ejus, & Dominus in circuitu populi ſui, ex hoc nunc & uſque in ſæculum.

Quia non relinquet Dominus virgam peccatorum ſuper ſortem juſtorum: ut non extendant juſti ad iniquitatem manus ſuas.

Benefac Domine bonis: & rectis corde.

Declinantes autem in obligationes, adducet Dominus cum operantibus iniquitatem: pax ſuper Iſraël. Gloria.

Ante

Ante Adventum.

Antiph. In odorem unguentorum tuorum currimus, adoleſcentulæ dilexerunt te nimis.

In Adventu.

Antiph. Ne timeas Maria, inveniſti gratiam apud Dominum: ecce concipies & paries filium, alleluja.

Poſt Adventum.

Antiph. Rubum quem viderat Moyſes incombuſtum, conſervatam agnovimus tuam laudabilem virginitatem: Dei genitrix intercede pro nobis.

Ante & poſt Adventum.

CAPITVLVM. *Eccleſ.* 24.

ET radicavi in populo honorificato, & in parte Dei mei hæreditas illius, & in plenitudine ſanctorum detentio mea. ℟. Deo gratias.

In Adventu.

CAPITVLVM. *Lucæ* 1.

DAbit ei Dominus Deus ſedem David patris ejus, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni ejus non erit finis. ℟. Deo gratias.

℣. Benedicta tu in mulieribus. ℟. Et benedictus fructus ventris tui.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oratio ante Adventum.

COncede miſericors Deus fragilitati noſtræ præſidium: ut, qui ſanctæ Dei genitricis memoriam agimus, interceſſionis ejus auxilio à noſtris iniquitatibus reſurgamus. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

In Adventu.

DEus, qui de beatæ Mariæ virginis utero, Verbum tuum, Angelo nuntiante, carnem ſuſcipere voluiſti; præſta ſupplicibus tuis: ut qui vere eam genitricem

Dei credimus, ejus apud te interceſſionibus adjuvemur. Per eumdem Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Poſt Adventum.

DEus, qui ſalutis æternæ, beatæ Mariæ virginitate fecunda, humano generi præmia præſtitiſti: tribue quæſumus, ut ipſam pro nobis intercedere ſentiamus, per quam meruimus auctorem vitæ ſuſcipere, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum. ℟. Amen.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Benedicamus Domino. ℟. Deo gratias.

℣. Fidelium animæ per miſericordiam Dei requieſcant in pace. ℟. Amen.

AD NONAM.

Ave Maria.

℣. DEus in adjutorium meum intende.
℟. Domine ad adjuvandum me feſtina. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto. Alleluja.

Hymnus.

MEmento ſalutis auctor,
Quod noſtri quondam corporis,
Ex illibata Virgine
Naſcendo, formam ſumpſeris.
Maria mater gratiæ,
Mater miſericordiæ:
Tu nos ab hoſte protege,
Et hora mortis ſuſcipe.
Gloria tibi Domine, *&c. ut ſupra* 4.

Ante Adventum.

Antiph. Pulchra es.

In Adventu.

Antiph. Ecce Ancilla Dñi.

Poſt Adventum.

Antiph. Ecce Maria.

Pſalmus 125.

IN convertendo Dominus captivitatem Sion: facti ſumus ſicut conſolati.

Tunc repletum eſt gaudio os noſtrum: & lingua noſtra exultatione.

Tunc dicent inter gentes: Magnificavit Dominus facere cum eis.

Magni-

Magnificavit Dominus facere nobiſcum: facti ſumus lætantes.

Converte Domine captivitatem noſtram: ſicut torrens in Auſtro.

Qui ſeminant in lacrymis: in exultatione metent.

Euntes ibant, & flebant: mittentes ſemina ſua.

Venientes autem venient cum exultatione: portantes manipulos ſuos. Gloria Patri.

Pſalmus 126.

NIſi Dominus ædificaverit domum: in vanum laboraverunt qui ædificant eam.

Niſi Dominus cuſtodierit civitatem: fruſtra vigilat qui cuſtodit eam.

Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere: ſurgite poſtquam ſederitis: qui manducatis panem doloris.

Cum dederit dilectis ſuis ſomnum: ecce hereditas Domini, filii; merces fructus ventris.

Sicut ſagittæ in manu potentis: ita filii excuſſorum.

Beatus vir qui implevit deſiderium ſuum ex ipſis: non confundetur cum loquetur inimicis ſuis in porta. Gloria.

Pſalmus 127.

BEati omnes qui timent Dominum: qui ambulant in viis ejus.

Labores manuum tuarum quia manducabis: beatus es, & bene tibi erit.

Vxor tua ſicut vitis abundans: in lateribus domus tuæ.

Filii tui ſicut novellæ olivarum: in circuitu menſæ tuæ.

Ecce ſic benedicetur homo: qui timet Dominum.

Benedicat tibi Dominus ex Sion: & videas bona Ieruſalem omnibus diebus vitæ tuæ.

Et videas filios filiorum tuorum: pacem ſuper Iſraël.

Gloria Patri.

Ante Adventum.

Antiph. Pulchra es, & decora, filia Ieruſalem: terribilis ut caſtrorum acies ordinata.

In Adventu.

Antiph. Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum.

Poſt Adventum.

Antiph. Ecce Maria genuit nobis Salvatorem, quem Ioannes videns exclamavit, dicens: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, alleluja.

Ante & poſt Adventum.

CAPIT. *Eccl. 6.*

IN plateis, ſicut cinnamomum & balſamum aromatizans odorem dedi: quaſi myrrha electa dedi ſuavitatem odoris. ℟. Deo gratias. ℣. Poſt partum Virgo inviolata permanſiſti. ℟. Dei genitrix intercede pro nobis.

In Adventu.

CAPIT. *Iſaiæ 7.*

ECce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel: butyrum & mel comedet, ut ſciat reprobare malum, & eligere bonum. ℟. Deo gratias. ℣. Angelus Domini nuntiavit Mariæ. ℟. Et concepit de Spiritu ſancto.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

Ante Adventum. Oratio.

FAmulorum tuorum, quæſumus Domine, delictis ignoſce: ut, qui tibi placere de actibus noſtris non valemus, genitricis Filii tui Domini noſtri interceſſione ſalvemur. Per eundem. ℟. Amen.

In Adventu. Oratio.

DEus, qui de beatæ Mariæ Virginis utero, Verbum tuum, Angelo nunciante carnem ſuſcipere voluiſti: præſta ſupplicibus tuis: ut, qui vere eam genitricem Dei credimus, ejus apud te interceſſionibus adjuvemur. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Poſt

Poſt Adventum. Oratio.

DEus, qui ſalutis æternæ, beatæ Mariæ virginitate fecunda, humano generi præmia præſtitiſti: tribue quæſumus, ut ipſam pro nobis intercedere ſentiamus, per quam meruimus auctorem vitæ ſuſcipere, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum. ℟. Amen.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Benedicamus Domino. ℟. Deo gratias.

℣. Fidelium animæ. ℟. Amen.

AD VESPERAS.

Ave Maria.

℣. DEus in adjutorium meum intende. ℟. Domine ad adjuvandum me feſtina. Gloria Patri. Alleluja.

Antiphonas quære poſt Pſalmos.

Pſalmus 109.

DIxit Dominus Domino meo: Sede à dextris meis. Donec ponam inimicos tuos: ſcabellum pedum tuorum.

Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion: dominare in medio inimicorum tuorum.

Tecum principium in die virtutis tuæ in ſplendoribus ſanctorum; ex utero ante luciferum genui te.

Iuravit Dominus, & non pœnitebit eum: Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.

Dominus à dextris tuis: confregit in die iræ ſuæ reges.

Iudicabit in nationibus, implebit ruinas: conquaſſabit capita in terra multorum.

De torrente in via bibet: propterea exaltabit caput.

Gloria Patri.

Ante Adventum.

Antiph. Dum eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuavitatis.

In Adventu.

Antiph. Miſſus eſt Gabriel Angelus ad Mariam virginem deſponſatam Ioſeph.

Poſt Adventum.

Antiph. O admirabile commercium: creator generis humani, animatum corpus ſumens, de Virgine naſci dignatus eſt: & procedens homo ſine ſemine, largitus eſt nobis ſuam Deitatem.

Pſal. 112.

LAudate pueri Dominum: laudate nomen Domini. Sit nomen Domini benedictum: ex hoc nunc & uſque in ſæculum.

A ſolis ortu uſque ad occaſum: laudabile nomen Domini.

Excelſus ſuper omnes gentes Dominus: & ſuper cœlos gloria ejus.

Quis ſicut Dominus Deus noſter, qui in altis habitat: & humilia reſpicit in cœlo & in terra?

Suſcitans à terra inopem: & de ſtercore erigens pauperem.

Vt collocet eum cum principibus: cum principibus populi ſui.

Qui habitare facit ſterilem in domo: matrem filiorum lætantem. Gloria Patri.

Ante Adventum.

Antiph. Læva ejus ſub capite meo: & dextera illius amplexabitur me.

In Adventu.

Antiph. Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus, alleluja.

Poſt Adventum.

Antiph. Quando natus es ineffabiliter ex Virgine, tunc impletæ ſunt ſcripturæ: ſicut pluvia in vellus deſcendiſti, ut ſalvum faceres genus humanum: te laudamus Deus noſter.

Pſal.

Pſal. 121.

LÆtatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi: in domum Domini ibimus.

Stantes erant pedes noſtri: in atriis tuis Ieruſalem.

Ieruſalem quæ ædificatur ut civitas: cujus participatio ejus in idipſum.

Illuc enim aſcenderunt tribus, tribus Domini: teſtimonium Iſraël, ad confitendum nomini Domini.

Quia illuc ſederunt ſedes in judicio: ſedes ſuper domum David.

Rogate quæ ad pacem ſunt Ieruſalem: & abundantia diligentibus te.

Fiat pax in virtute tua: & abundantia in turribus tuis.

Propter fratres meos, & proximos meos: loquebar pacem de te.

Propter domum Domini Dei noſtri: quæſivi bona tibi. Gloria Patri.

Ante Adventum.

Antiph. Nigra ſum, ſed formoſa, filiæ Ieruſalem: ideo dilexit me Rex, & introduxit me in cubiculum ſuum.

In Adventu.

Antiph. Ne timeas Maria, inveniſti gratiam apud Dominum: ecce concipies & paries filium, alleluja.

Poſt Adventum.

Antiph. Rubum quem viderat Moyſes incombuſtum, conſervatam agnovimus tuam laudabilem virginitatem: Dei genitrix intercede pro nobis.

Pſal. 126.

NIſi Dominus ædificaverit domum: in vanum laboraverunt qui ædificant eam.

Niſi Dominus cuſtodierit civitatem: fruſtra vigilat, qui cuſtodit eam.

Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere: ſurgite poſtquam ſederitis, qui manducatis panem doloris.

Cum dederit dilectis ſuis ſomnum: ecce hæreditas Domini, filii; merces, fructus ventris,

Sicut ſagittæ in manu potentis: ita filii excuſſorum.

Beatus vir, qui implevit deſiderium ſuum ex ipſis: non confundetur cum loquetur inimicis ſuis in porta.

Gloria Patri.

Ante Adventum.

Antiph. Iam hyems tranſiit, imber abiit, & receſſit: ſurge amica mea, & veni.

In Adventu.

Antiph. Dabit ei Dominus ſedem David patris ejus, & regnabit in æternum.

Poſt Adventum.

Antiph. Germinavit radix Ieſſe, orta eſt ſtella ex Iacob, virgo peperit Salvatorem: te laudamus Deus noſter.

Pſalmus 147.

LAuda Ieruſalem Dominum: lauda Deum tuum Sion.

Quoniam confortavit ſeras portarum tuarum: benedixit filiis tuis in te.

Qui poſuit fines tuos pacem: & adipe frumenti ſatiat te.

Qui emittit eloquium ſuum terræ: velociter currit ſermo ejus.

Qui dat nivem ſicut lanam: nebulam ſicut cinerem ſpargit.

Mittit cryſtallum ſuam ſicut buccellas; ante faciem frigoris ejus quis ſuſtinebit?

Emittet verbum ſuum, & liquefaciet ea: flabit ſpiritus ejus, & fluent aquæ.

Qui annuntiat verbum ſuum Iacob: juſtitias & judicia ſua Iſraël.

Non fecit taliter omni nationi: & judicia ſua non manifeſtavit eis. Gloria.

Ante Adventum.

Antiph. Specioſa facta es & ſuavis in deliciis tuis, ſancta Dei genitrix.

In

In Adventu.

Antiph. Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum.

Poſt Adventum.

Antiph. Ecce Maria genuit nobis Salvatorem, quem Ioannes videns exclamavit, dicens: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, alleluja.

Ante & poſt Adventum.

CAPITVLVM. *Eccleſ.* 24.

AB initio, & ante ſæcula creata ſum, & uſque ad futurum ſæculum non deſinam, & in habitatione ſancta coram ipſo miniſtravi. ℞. Deo gratias.

In Adventu.

CAPITVLVM. *Iſaiæ* 11.

EGredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice ejus aſcendet, & requieſcet ſuper eum Spiritus Domini. ℞. Deo gratias.

Hymnus.

AVe Maris ſtella,
Dei mater alma,
Atque ſemper virgo,
Felix cœli porta.

Sumens illud Ave,
Gabrielis ore,
Funda nos in pace,
Mutans Evæ nomen.

Solve vincla reis,
Profer lumen cæcis,
Mala noſtra pelle,
Bona cuncta poſce.

Monſtra te eſſe matrem,
Sumat per te preces,
Qui pro nobis natus,
Tulit eſſe tuus.

Virgo ſingularis,
Inter omnes mitis,
Nos culpis ſolutos,
Mites fac & caſtos.

Vitam præſta puram,
Iter para tutum,
Vt videntes Ieſum,
Semper collætemur.

Sit laus Deo Patri,
Summo Chriſto decus,
Spiritui ſancto,
Tribus honor unus.
Amen.

℣. Diffuſa eſt gratia in labiis tuis. ℞. Propterea benedixit te Deus in æternum.

Canticum B. Mariæ Virginis.

Lucæ 1.

MAgnificat: anima mea Dominum.

Et exultavit ſpiritus meus: in Deo ſalutari meo.

Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Quia fecit mihi magna, qui potens eſt: & ſanctum nomen ejus.

Et miſericordia ejus à progenie in progenies: timentibus eum.

Fecit potentiam in brachio ſuo: diſperſit ſuperbos mente cordis ſui.

Depoſuit potentes de ſede: & exaltavit humiles.

Eſurientes implevit bonis: & divites dimiſit inanes.

Suſcepit Iſraël puerum ſuum: recordatus miſericordiæ ſuæ.

Sicut locutus eſt ad patres noſtros: Abraham, & ſemini ejus in ſæcula. Gloria.

Ante Adventum.

Antiph. Beata Mater, & intacta virgo, glorioſa regina mundi, intercede pro nobis ad Dominum.

In Adventu.

Antiph. Spiritus ſanctus in te deſcendet Maria: ne timeas, habebis in utero Filium Dei, alleluja.

Poſt Adventum.

Antiph. Magnum hereditatis myſterium: templum Dei factus eſt uterus neſciens virum: non eſt pollutus ex ea carnem aſſumens: omnes gentes venient, dicentes: Gloria tibi Domine.

Sed Tempore Paſchali dicitur, *Antiph.* Regina cœli, *ut ſupra pag. 27.*

Kyrie eleïſon. Chriſte eleïſon. Kyrie eleïſon.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

Ante Adventum. Oratio.

CONcede nos famulos tuos, quæſumus Domine Deus, perpetua mentis & corporis ſanitate gaudere: & glorioſa beatæ Mariæ ſemper Virginis interceſſione à præſenti liberari triſtitia, & æterna perfrui lætitia. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

In Adventu. Oratio.

DEus, qui de beatæ Mariæ virginis utero, Verbum tuum, Angelo nuntiante, carnem ſuſcipere voluiſti: præſta ſupplicibus tuis: ut qui vere eam genitricem Dei credimus, ejus apud te interceſſionibus adjuvemur. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Poſt Adventum. Oratio.

DEus, qui ſalutis æternæ, beatæ Mariæ virginitate fecunda, humano generi præmia præſtitiſti: tribue quæſumus, ut ipſam pro nobis intercedere ſentiamus, per quam meruimus auctorem vitæ ſuſcipere, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum. ℟. Amen.

Ante & poſt Adventum.

Pro Sanctis Antiph.

SAncti Dei omnes intercedere dignemini pro noſtra omniumque ſalute.

℣. Lætamini in Domino, & exultate juſti. ℟. Et gloriamini omnes recti corde.

Oratio.

PRotege Domine populum tuum: & Apoſtolorum tuorum Petri & Pauli, & aliorum Apoſtolorum patrocinio confidentem, perpetua defenſione conſerva.

OMnes ſancti tui, quæſumus Domine, nos ubique adjuvent: ut dum eorum merita recolimus, patrocinia ſentiamus: & pacem tuam noſtris concede temporibus, & ab Eccleſia tua cunctam repelle nequitiam: iter, actus, & voluntates noſtras & omnium famulorum tuorum, in ſalutis tuæ proſperitate diſpone: benefactoribus noſtris ſempiterna bona retribue: & omnibus fidelibus

defunctis requiem æternam concede. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. ℟. Amen.

In Adventu. Pro Sanctis.

Antiph.

Ecce Dominus veniet, & omnes ſancti ejus cum eo: & erit in die illa lux magna, alleluja.

℣. Ecce apparebit Dominus ſuper nubem candidam.

℟. Et cum eo Sanctorum millia.

Oratio.

Conſcientias noſtras, quæſumus Domine, viſitando purifica: ut veniens Ieſus Chriſtus Filius tuus Dominus noſter cum omnibus Sanctis, paratam ſibi in nobis inveniat manſionem. Qui tecum.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Benedicamus Dño. ℟. Deo gratias. ℣. Fidelium animæ per miſericordiam Dei requieſcant in pace. ℟. Amen.

AD COMPLET.

Ave Maria.

℣. Converte nos Deus ſalutaris noſter. ℟. Et averte iram tuam à nobis.

℣. Deus in adjutorium meum intende. ℟. Domine ad adjuvandum me feſtina.

Gloria Patri. Alleluja.

Pſalmus 128.

Sæpe expugnaverunt me à juventute mea: dicat nunc Iſraël.

Sæpe expugnaverunt me à juventute mea: etenim non potuerunt mihi.

Supra dorſum meum fabricaverunt peccatores: prolongaverunt iniquitatem ſuam.

Dominus juſtus concidit cervices peccatorum: confundantur & convertantur retrorſum omnes qui oderunt Sion.

Fiant

Fiant ſicut fœnum tectorum: quod priuſquam evellatur exaruit.

De quo non implevit manum ſuam qui metit: & ſinum ſuum qui manipulos colligit.

Et non dixerunt qui præteribant, Benedictio Domini ſuper vos: benediximus vobis in nomine Domini. Gloria.

Pſalmus 129.

DE profundis clamavi ad te Domine: Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes: in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates obſervaveris Domine: Domine quis ſuſtinebit?

Quia apud te propitiatio eſt: & propter legem tuam ſuſtinui te Domine.

Suſtinuit anima mea in verbo ejus: ſperavit anima mea in Domino.

A cuſtodia matutina uſque ad noctem: ſperet Iſraël in Domino.

Quia apud Dominum miſericordia: & copioſa apud eum redemptio.

Et ipſe redimet Iſraël: ex omnibus iniquitatibus ejus. Gloria Patri.

Pſalmus 130.

DOmine non eſt exaltatum cor meum: neque elati ſunt oculi mei.

Neque ambulavi in magnis: neque in mirabilibus ſuper me.

Si non humiliter ſentiebam: ſed exaltavi animam meam.

Sicut ablactatus eſt ſuper matre ſua: ita retributio in anima mea.

Speret Iſraël in Domino: ex hoc nunc & uſque in ſæculum. Gloria Patri.

Hymnus.

MEmento ſalutis auctor,
Quod noſtri quondam corporis,
Ex illibata Virgine
Naſcendo, formã ſumpſeris,
Maria Mater gratiæ,
Mater miſericordiæ:
Tu nos ab hoſte protege,
Et hora mortis ſuſcipe.
Gloria tibi Domine. *ut ſupra* 4.

Ante & poſt Adventum.

CAPITVLVM. *Eccli.* 24.

EGo mater pulchræ dilectionis, & timoris, & magnitudinis, & ſanctæ ſpei. ℟. Deo gratias.

℣. Ora pro nobis ſancta Dei genitrix. ℟. Vt digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

In Adventu.

CAPITVLVM. *Iſaiæ* 7.

ECce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel: butyrum & mel comedet, ut ſciat reprobare malum, & eligere bonum. ℟. Deo gratias.

℣. Angelus Domini nuntiavit Mariæ. ℟. Et concepit de Spiritu ſancto.

Canticum Simeonis. Lucæ 2.

NVnc dimittis ſervum tuum Domine: ſecundum verbum tuum in pace.

Quia viderunt oculi mei: ſalutare tuum.

Quod paraſti: ante faciem omnium populorum.

Lumen ad revelationem gentium: & gloriam plebis tuæ Iſraël.

Gloria Patri, & Filio: & Spiritui ſancto.

Ante Adventum.

Antiph. Sub tuum præſidium confugimus ſancta Dei genitrix: noſtras deprecationes ne deſpicias in neceſſitatibus; ſed à periculis cunctis libera nos ſemper Virgo glorioſa & benedicta.

Tempore Paſchali autem dicitur, Regina cœli. *ut ſupra pag.* 27.

In

In Adventu.

Antiph. Spiritus ſanctus in te deſcendet, Maria: ne timeas, habebis in utero Filium Dei, alleluja.

Poſt Adventum.

Antiph. Magnum hæreditatis myſterium: templum Dei factus eſt uterus neſciens virum: non eſt pollutus ex ea carnem aſſumens: omnes gentes venient dicentes:

Gloria tibi Domine.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

Ante Adventum. Oratio.

Beatæ & glorioſæ, ſemperque Virginis Mariæ, quæſumus, Domine, interceſſio glorioſa nos protegat: & ad vitam perducat æternam. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum. ℟. Amen.

In Adventu. Oratio.

Deus, qui de B. Mariæ virginis utero verbum tuum, Angelo nunciante, carnem ſuſcipere voluiſti: præſta ſupplicibus tuis: ut, qui vere eam genitricem Dei credimus, ejus apud te interceſſionibus adjuvemur. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Poſt Adventum. Oratio.

Deus, qui ſalutis æternæ, B. Mariæ virginitate fecunda, humano generi præmia præſtitiſti: tribue quæſumus, ut ipſam pro nobis intercedere ſentiamus, per quam meruimus auctorem vitæ ſuſcipere, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum.

℟. Amen.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟ Et clamor meus ad te veniat.

℣. Benedicamus Domino. ℟. Deo gratias.

Benedictio. Benedicat & cuſtodiat nos omnipotens & miſericors Dominus, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus. ℟. Amen.

Deinde dicitur una ex Antiphonis, poſitis poſt Laudes, pro tempore, cum Verſiculo & Oratione, pag. 27. & dicto Verſ. Divinum auxilium, *dicitur ſecreto* Pater noſter. Ave Maria, *&* Credo.

SEPTEM PSALMI POENITENTIALES.

Antiph. Ne reminiſcaris Domine.

Pſalmus 6.

DOmine, ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me.

Miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum: ſana me Domine, quoniam conturbata ſunt oſſa mea.

Et anima mea turbata eſt valde: ſed tu Domine uſquequo?

Convertere Domine, & eripe animam meam: ſalvum me fac propter miſericordiam tuam.

Quoniam non eſt in morte qui memor ſit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?

Laboravi in gemitu meo, lavabo per ſingulas noctes lectum meum: lacrymis meis ſtratum meum rigabo.

Turbatus eſt à furore oculus meus: inveteravi inter omnes inimicos meos.

Diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem: quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei.

Exaudivit Dominus deprecationem meam: Dominus orationem meam ſuſcepit.

Erubeſcant & conturbentur vehementer omnes inimici mei: convertantur & erubeſcant valde velociter. Gloria Patri.

Pſalmus 31.

BEati quorum remiſſæ ſunt iniquitates: & quorum tecta ſunt peccata.

Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum: nec eſt in ſpiritu ejus dolus.

Quoniam tacui, inveteraverunt oſſa mea: dum clamarem tota die.

Quo-

Quoniam die ac nocte gravata eſt ſuper me manus tua: converſus ſum in ærumna mea, dum configitur ſpina.

Delictum meum cognitum tibi feci: & injuſtitiam meam non abſcondi.

Dixi, confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino: & tu remiſiſti impietatem peccati mei.

Pro hac orabit ad te omnis Sanctus: in tempore opportuno.

Verumtamen in diluvio aquarum multarum: ad eum non approximabunt.

Tu es refugium meum à tribulatione, quæ circumdedit me: exultatio mea, erue me à circumdantibus me.

Intellectum tibi dabo, & inſtruam te in via hac qua gradieris: firmabo ſuper te oculos meos.

Nolite fieri ſicut equus & mulus: quibus non eſt intellectus.

In camo & freno maxillas eorum conſtringe: qui non approximant ad te.

Multa flagella peccatoris: ſperantem autem in Domino miſericordia circumdabit.

Lætamini in Domino, & exultate juſti: & gloriamini omnes recti corde. Gloria.

Pſalmus 37.

DOmine ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me.

Quoniam ſagittæ tuæ infixæ ſunt mihi: & confirmaſti ſuper me manum tuam.

Non eſt ſanitas in carne mea à facie iræ tuæ: non eſt pax oſſibus meis à facie peccatorum meorum.

Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum: & ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me.

Putruerunt, & corruptæ ſunt cicatrices meæ: à facie inſipientiæ meæ.

Miſer factus ſum, & curvatus ſum uſque in finem: tota die contriſtatus ingrediebar.

Quoniam lumbi mei impleti ſunt illuſionibus : & non eſt ſanitas in carne mea.

Afflictus ſum , & humiliatus ſum nimis : rugiebam à gemitu cordis mei.

Domine, ante te omne deſiderium meum : & gemitus meus à te non eſt abſconditus.

Cor meum conturbatum eſt,dereliquit me virtus mea: & lumen oculorum meorum , & ipſum non eſt mecum.

Amici mei , & proximi mei : adverſum me appropinquaverunt, & ſteterunt.

Et qui juxta me erant de longe ſteterunt : & vim faciebant qui quærebant animam meam.

Et qui inquirebant mala mihi,locuti ſunt vanitates : & dolos tota die meditabantur.

Ego autem tanquam ſurdus non audiebam : & ſicut mutus non aperiens os ſuum.

Et factus ſum ſicut homo non audiens: & non habens in ore ſuo redargutiones.

Quoniam in te Domine ſperavi : tu exaudies me Domine Deus meus.

Quia dixi , Nequando ſupergaudeant mihi inimici mei : & dum commoventur pedes mei , ſuper me magna locuti ſunt.

Quoniam ego in flagella paratus ſum : & dolor meus in conſpectu meo ſemper.

Quoniam iniquitatem meam annuntiabo:& cogitabo pro peccato meo.

Inimici autem mei vivunt , & confirmati ſunt ſuper me : & multiplicati ſunt qui oderunt me inique.

Qui retribuunt mala pro bonis , detrahebant mihi : quoniam ſequebar bonitatem.

Ne derelinquas me Domine Deus meus : ne diſceſſeris à me.

Intende in adjutorium meum Domine Deus ſalutis meæ. Gloria.

Pſalmus 50.

MIſerere mei Deus : ſecundum magnam miſericordiam tuam.

Et ſecundum multitudinem miſerationum tuarum : dele iniquitatem meam.

Amplius lava me ab iniquitate mea : & à peccato meo munda me.

Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco : & peccatum meum contra me eſt ſemper.

Tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci : ut juſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cum judicaris.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum : & in peccatis concepit me mater mea.

Ecce enim veritatem dilexiſti : incerta & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi.

Aſperges me hyſſopo, & mundabor : lavabis me, & ſuper nivem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium & lætitiam : & exultabunt oſſa humiliata.

Averte faciem tuam à peccatis meis: & omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me Deus : & ſpiritum rectum innova in viſceribus meis.

Ne projicias me à facie tua: & ſpiritum ſanctum tuum ne auferas à me.

Redde mihi lætitiam ſalutaris tui : & ſpiritu principali confirma me.

Docebo iniquos vias tuas : & impii ad te convertentur.

Libera me de ſanguinibus Deus, Deus ſalutis meæ : & exultabit lingua mea juſtitiam tuam.

Domine, labia mea aperies : & os meum annuntiabit laudem tuam.

Quoniam ſi voluiſſes ſacrificium, dediſſem utique : holocauſtis non delectaberis.

Sacri-

Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies.

Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion: ut ædificentur muri Ieruſalem.

Tunc acceptabis ſacrificium juſtitiæ, oblationes, & holocauſta: tunc imponent ſuper altare tuum vitulos. Gloria.

Pſalmus 101.

DOmine exaudi orationem meam: & clamor meus ad te veniat.

Non avertas faciem tuam à me: in quacunque die tribulor, inclina ad me aurem tuam.

In quacunque die invocavero te: velociter exaudi me.

Quia defecerunt ſicut fumus dies mei: & oſſa mea ſicut cremium aruerunt.

Percuſſus ſum ut fœnum, & aruit cor meum: quia oblitus ſum comedere panem meum.

A voce gemitus mei adhæſit os meum carni meæ.

Similis factus ſum pelicano ſolitudinis: factus ſum ſicut nycticorax in domicilio.

Vigilavi: & factus ſum ſicut paſſer ſolitarius in tecto.

Tota die exprobrabant mihi inimici mei: & qui laudabant me, adverſum me jurabant.

Quia cinerem tanquam panem manducabam: & potum meum cum fletu miſcebam.

A facie iræ & indignationis tuæ: quia elevans alliſiſti me.

Dies mei ſicut umbra declinaverunt: & ego ſicut fœnum arui.

Tu autem Domine in æternum permanes: & memoriale tuum in generationem & generationem.

Tu exurgens miſereberis Sion: quia tempus miſerendi ejus, quia venit tempus.

Quoniam placuerunt ſervis tuis lapides ejus: & terræ ejus miſerebuntur.

Et

Et timebunt gentes nomen tuum Domine: & omnes reges terræ gloriam tuam.

Quia ædificabit Dominus Sion: & videbitur in gloria ſua.

Reſpexit in orationem humilium: & non ſprevit precem eorum.

Scribantur hæc in generatione altera: & populus qui creabitur, laudabit Dominum.

Quia proſpexit de excelſo ſancto ſuo: Dominus de cœlo in terram aſpexit.

Vt audiret gemitus compeditorum: ut ſolveret filios interemptorum.

Vt annuntient in Sion nomen Domini: & laudem ejus in Ieruſalem.

In conveniendo populos in unum: & reges ut ſerviant Domino.

Reſpondit ei in via virtutis ſuæ: paucitatem dierum meorum nuncia mihi.

Ne revoces me in dimidio dierum meorum: in generationem & generationem anni tui.

Initio tu Domine terram fundaſti: & opera manuum tuarum ſunt cœli.

Ipſi peribunt, tu autem permanes: & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent.

Et ſicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient.

Filii ſervorum tuorum habitabunt: & ſemen eorum in ſæculum dirigetur. Gloria.

Pſalmus 129.

DE profundis clamavi ad te Domine: Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes: in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates obſervaveris Domine: Domine quis ſuſtinebit?

Quia

Quia apud te propitiatio eſt : & propter legem tuam ſuſtinui te Domine.

Suſtinuit anima mea in verbo ejus : ſperavit anima mea in Domino.

A cuſtodia matutina uſque ad noctem : ſperet Iſraël in Domino.

Quia apud Dominum miſericordia : & copioſa apud eum redemptio.

Et ipſe redimet Iſraël : ex omnibus iniquitatibus ejus.

Glòria.

Pſalmus 142.

DOmine exaudi orationem meam, auribus percipe obſecrationem meam : in veritate tua exaudi me, in tua juſtitia.

Et non intres in judicium cum ſervo tuo: quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens.

Quia perſecutus eſt inimicus animam meam: humiliavit in terra vitam meam.

Collocavit me in obſcuris ſicut mortuos ſæculi : & anxiatus eſt ſuper me ſpiritus meus, in me turbatum eſt cor meum.

Memor fui dierum antiquorum,meditatus ſum in omnibus operibus tuis:in factis manuum tuarum meditabar.

Expandi manus meas ad te: anima mea ſicut terra ſine aqua tibi.

Velociter exaudi me Domine : defecit ſpiritus meus.

Non avertas faciem tuam à me, & ſimilis ero deſcendentibus in lacum.

Auditam fac mihi mane miſericordiam tuam : quia in te ſperavi.

Notam fac mihi viam, in qua ambulem : quia ad te levavi animam meam.

Eripe me de inimicis meis Domine,ad te confugi: doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.

Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam : propter

propter nomen tuum Domine vivificabis me in æquitate tua.

Educes de tribulatione animam meam: & in miſericordia tua diſperdes omnes inimicos meos.

Et perdes omnes qui tribulant animam meam: quoniam ego ſervus tuus ſum. Gloria.

Antiph. Ne reminiſcaris, Dñe, delicta noſtra, vel parentum noſtrorum; neque vindictam ſumas de peccatis noſtris.

LITANIÆ.

Kyrie eleiſon.
Chriſte eleiſon.
Kyrie eleiſon.
Chriſte audi nos.
Chriſte exaudi nos.
Pater de cœlis Deus, Miſerere nobis.
Fili redemptor mundi Deus, Miſerere nobis.
Spiritus ſancte Deus, Miſerere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, Miſerere nobis.
Sancta Maria, Ora pro nob.
Sancta Dei genitrix, ora.
Sancta Virgo virginũ, ora.
Sancte Michael, ora.
Sancte Gabriel, ora.
Sancte Raphael, ora.
Omnes S. Angeli & Archangeli, orate pro nobis.
Omnes ſancti beatorum Spirituum ordines, orate pro nobis.
Sancte Ioannes Baptiſta, ora pro nobis.
Sancte Ioſeph, ora.
Omnes ſancti Patriarchæ, & Prophetæ, Orate.
Sancte Petre, Ora pro nob.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andrea, ora.
Sancte Iacobe, ora.
Sancte Ioannes, ora.
Sancte Thoma, ora.
Sancte Iacobe, ora.
Sancte Philippe, ora.
Sancte Bartholomæe, ora.
Sancte Matthæe, ora.
Sancte Simon, ora.
Sancte Thaddæe, ora.
Sancte Matthia, ora.
Sancte Barnaba, ora.
Sancte Luca, ora.
Sancte Marce, ora.
Omnes ſancti Apoſtoli & Euangeliſtæ, orate.
Omnes ſancti Diſcipuli Domini, orate.
Omnes ſancti Innocentes, orate.

Sancte

Sanɗte Stephane, ora.
Sanɗte Laurenti, ora.
Sanɗte Vincenti, ora.
Sanɗti Fabiane & Sebaſtiane, orate.
Sanɗti Ioannes & Paule, orate.
Sanɗte Coſma & Damiane, orate.
Sanɗti Gervaſi & Protaſi, orate.
Omnes ſanɗti Martyres, orate.
Sanɗte Silveſter, ora.
Sanɗte Gregori, ora.
Sanɗte Ambroſi, ora.
Sanɗte Auguſtine, ora.
Sanɗte Hieronyme, ora.
Sanɗte Martine, ora.
Sanɗte Nicolae, ora.
Omnes ſanɗti Pontifices & Confeſſores, orate.
Omnes S. Doɗtores, orat.
Sanɗte Antoni, ora.
Sanɗte Benediɗte, ora.
Sanɗte Bernarde, ora.
Sanɗte Dominice, ora.
Sanɗte Franciſce, ora.
Omnes ſanɗti Sacerdotes & Levitæ, orate.
Omnes ſanɗti Monachi & Eremitæ, orate.
Sanɗta Maria Magdalena, ora.
Sanɗta Agatha, ora.
Sanɗta Lucia, ora.
Sanɗta Agnes, ora.
Sanɗta Cæcilia, ora.
Sanɗta Catharina, ora.
Sanɗta Anaſtaſia, ora.
Sanɗta Vrſula cum Sodalibus, ora.
Sanɗta Anna, ora.
Omnes ſanɗtæ Virgines & Viduæ, orate.
Omnes Sanɗti & Sanɗtæ Dei, Intercedite pro nobis.
Propitius eſto, Parce nobis Domine.
Propitius eſto, Exaudi nos Domine.
Ab omni malo, Libera nos Domine.
Ab omni peccato, libera.
Ab ira tua, lib.
A ſubitanea & improviſa morte, libera.
Ab inſidiis diaboli, libera.
Ab ira,& odio,& omni mala voluntate, libera.
A ſpiritu fornicationis, lib.
A fulgure & tempeſtate,lib.
A morte perpetua, libera.
Per myſterium ſanɗtæ Incarnationis tuæ, libera.
Per adventum tuum, lib.
Per Nativitatem tuam, lib.
Per Baptiſmum,& ſanɗtum Iejunium tuum, libera.

Per

Per Crucem & Paſſionem tuam, libera.
Per Mortem & Sepulturam tuam, libera.
Per ſanctam Reſurrectionem tuam, libera.
Per admirabilem Aſcenſionem tuam, libera.
Per adventum Spiritus ſancti paracliti, libera.
In die Iudicii, libera.
Peccatores, Te rogamus audi nos.
Vt nobis parcas, te rog.
Vt nobis indulgeas, te rog.
Vt ad veram pœnitentiam nos perducere digneris, te rogamus.
Vt Eccleſiam tuam ſanctam regere & conſervare digneris, te rogamus.
Vt domnum Apoſtolicam & omnes Eccleſiaſticos ordines in ſancta religione conſervare digneris, te rogamus.
Vt inimicos ſanctæ Eccleſiæ humiliare digneris, te rogamus.
Vt Regibus & Principibus Chriſtianis pacem & veram concordiam donare digneris, te rogamus.
Vt cuncto populo Chriſtiano pacem & unitatem largiri digneris, te rog.
Vt nosmetipſos in tuo ſancto ſervitio confortare & conſervare digneris, te rogamus.
Vt mentes noſtras ad cœleſtia deſideria erigas, te rogamus.
Vt omnibus benefactoribus noſtris ſempiterna bona retribuas, te rog.
Vt animas noſtras, fratrum, propinquorum, & benefactorum noſtrorum, ab æterna damnatione eripias, te rogamus.
Vt fructus terræ dare & conſervare digneris, te rogamus.
Vt omnibus fidelibus Defunctis requiem æternam donare digneris, te rog.
Vt nos exaudire digneris, te rogamus.
Fili Dei, te rogamus.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Miſerere nob.
Chriſte audi nos. Chriſte exaudi nos.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter.
℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo.

Pſalmus 69.

DEus in adjutorium meum intende: Domine ad adjuvandum me feſtina.

Confundantur & revereantur: qui quærunt animam meam.

Avertantur retrorſum, & erubeſcant: qui volunt mihi mala.

Avertantur ſtatim erubeſcentes: qui dicunt mihi, Euge, euge.

Exultent & lætentur in te omnes, qui quærunt te: & dicant ſemper, Magnificetur Dominus, qui diligunt ſalutare tuum.

Ego vero egenus & pauper ſum: Deus adjuva me.

Adjutor meus, & liberator meus es tu: Domine ne moreris. Gloria Patri.

℣. Salvos fac ſervos tuos. ℟. Deus meus ſperantes in te.
℣. Eſto nobis Domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici.
℣. Nihil proficiat inimicus in nobis. ℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.
℣. Domine, non ſecundum peccata noſtra facias nobis.
℟. Neque ſecundum iniquitates noſtras retribuas nobis.
℣. Oremus pro Pontifice noſtro N. ℟. Dominus conſervet eum, & vivificet eum, & beatum faciat eum in terra; & non tradat eum in animam inimicorum ejus.
℣. Oremus pro benefactoribus noſtris. ℟. Retribuere dignare Domine omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum vitam æternam. Amen.
℣. Oremus pro fidelibus Defunctis. ℟. Requiem æternam dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis.
℣. Requieſcant in pace. ℟. Amen.

℣. Pro

℣. Pro fratribus noſtris abſentibus. ℟. Salvos fac ſervos tuos, Deus meus, ſperantes in te.

℣. Mitte eis Domine auxilium de ſancto. ℟. Et de Sion tuere eos.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus. *Oratio.*

DEus cui proprium eſt miſereri ſemper, & parcere; ſuſcipe deprecationem noſtram: ut nos, & omnes famulos tuos, quos delictorum catena conſtringit, miſeratio tuæ pietatis clementer abſolvat.

EXaudi, quæſumus Domine, ſupplicum preces, & confitentium tibi parce peccatis: ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus & pacem.

INeffabilem nobis Domine, miſericordiam tuam clementer oſtende: ut ſimul nos & à peccatis omnibus exuas, & à pœnis, quas pro his meremur, eripias.

DEus, qui culpa offenderis, pœnitentia placaris: preces populi tui ſupplicantis propitius reſpice: & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis noſtris meremur, averte.

OMnipotens ſempiterne Deus, miſerere famulo tuo Pontifici noſtro N. & dirige eum ſecundum tuam clementiam in viam ſalutis æternæ: ut te donante tibi placita cupiat, & tota virtute perficiat.

DEus, à quo ſancta deſideria, recta conſilia, & juſta ſunt opera: da ſervis tuis illam, quam mundus dare non poteſt, pacem: ut & corda noſtra mandatis tuis dedita, & hoſtium ſublata formidine, tempora ſint tua protectione tranquilla.

URe igne ſancti Spiritus renes noſtros, & cor noſtrum, Domine: ut tibi caſto corpore ſerviamus, & mundo corde placeamus.

FIdelium Deus omnium conditor & redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum remiſſio-

nem cunctorum tribue peccatorum : ut indulgentiam, quam ſemper optaverunt, piis ſupplicationibus conſequantur.

ACtiones noſtras, quæſumus Domine, aſpirando præveni, & adjuvando proſequere: ut cuncta noſtra oratio & operatio à te ſemper incipiat, & per te cœpta finiatur.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui vivorum dominaris ſimul & mortuorum, omniumque miſereris, quos tuos fide & opere futuros eſſe prænoſcis: te ſupplices exoramus, ut pro quibus effundere preces decrevimus, quoſque vel præſens ſæculum adhuc in carne retinet, vel futurum jam exutos corpore ſuſcepit, intercedentibus omnibus Sanctis tuis, pietatis tuæ clementia, omnium delictorum ſuorum veniam conſequantur. Per Dominum noſtrum.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Exaudiat nos omnipotens & miſericors Dominus. ℟. Amen.

℣. Et fidelium animæ per miſericordiam Dei requieſcant in pace. ℟. Amen.

LITANIÆ DE NOMINE IESV.

KYrie eleiſon.
Chriſte eleiſon.
Kyrie eleiſon.
Chriſte audi nos.
Chriſte exaudi nos.
Pater de cœlis Deus, Miſerere nobis.
Fili redemptor mundi Deus, Miſerere nobis.
Spiritus ſancte Deus, Miſerere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, Miſerere nobis.
Ieſu Fili Dei vivi, miſer.
Ieſu potentiſſime, miſer.
Ieſu fortiſſime, miſer.
Ieſu perfectiſſime, miſer.
Ieſu glorioſiſſime, miſer.

Ieſu

Ieſu mirifice, miſer.
Ieſu jucundiſſime, miſer.
Ieſu chariſſime, miſer.
Ieſu clarior Sole, miſer.
Ieſu pulchrior Luna, miſer.
Ieſu ſplendidior ſtellis, miſ.
Ieſu admirabilis, miſer.
Ieſu delectabilis, miſer.
Ieſu honorabilis, miſer.
Ieſu humillime, miſer.
Ieſu pauperrime, miſer.
Ieſu mitiſſime, miſer.
Ieſu patientiſſime, miſer.
Ieſu obedientiſſime, miſer.
Ieſu caſtiſſime, miſer.
Ieſu amator caſtitatis, miſ.
Ieſu amator pacis, miſer.
Ieſu amor noſter, miſer.
Ieſu ſpeculum vitæ, miſer.
Ieſu exemplar virtutũ, miſ.
Ieſu decus morum, miſer.
Ieſu zelator animarum, miſ.
Ieſu refugium noſtrum, miſ.
Ieſu Pater pauperum, miſ.
Ieſu conſolatio afflictorum, miſerere nobis.
Ieſu theſaurus fidelium, miſ.
Ieſu gemma pretioſa, miſ.
Ieſu armarium perfectionis, miſerere nobis.
Ieſu bone paſtor oviũ, miſ.
Ieſu ſtella maris, miſer.
Ieſu lux vera, miſer.
Ieſu ſapientia æterna, miſ.
Ieſu bonitas infinita, miſ.
Ieſu gaudium Angelorum, miſerere nobis.
Ieſu Rex Patriarcharum, miſerere nobis.
Ieſu inſpirator Prophetarum, miſerere nobis.
Ieſu magiſter Apoſtolorum, miſerere nobis.
Ieſu doctor Euangeliſtarum, miſerere nobis.
Ieſu fortitudo Martyrum, miſerere nobis.
Ieſu lumen Confeſſorum, miſerere nobis.
Ieſu ſponſe Virginum, miſ.
Ieſu corona Sanctorum omnium, miſerere.
Propitius eſto, Parce nobis Ieſu.
Propitius eſto, Exaudi nos Ieſu.
Ab omni malo, Libera nos Ieſu.
Ab omni peccato, Libera nos Ieſu.
Ab ira tua, libera.
Ab inſidiis diaboli, lib.
A peſte, fame, & bello, lib.
A transgreſſione mandatorum tuorum, lib.
Ab incurſu omnium malorum, libera.
Per Incarnationẽ tuam, lib.
Per Adventum tuum, lib.
Per Nativitatem tuam, lib.

Per circumciſionem tuam, libera.
Per dolores tuos, lib.
Per flagella tua, lib.
Per mortem tuam, lib.
Per Reſurrectionem tuam, libera nos Ieſu.
Per Aſcenſionem tuam, lib.
Per gaudia tua, lib.
Per gloriam tuam, lib.
Per dulciſſimam Virginem matrem tuam, lib.
Per interceſſionem omniũ Sanctorum tuorum, lib.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce nobis Ieſu.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Ieſu.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Miſerere nobis Ieſu.
Ieſu Chriſte audi nos.
Ieſu Chriſte exaudi nos.
Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.
Pater noſter. Ave Maria.

℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oratio.

DEus, qui glorioſiſſimum nomen Ieſu Chriſti filii tui Domini noſtri feciſti fidelibus tuis ſummo ſuavitatis affectu amabile, & malignis ſpiritibus tremendum atque terribile: concede propitius, ut omnes qui hoc nomen IESV devote venerantur in terris, ſanctæ conſolationis dulcedinem in præſenti percipiant, & in futuro gaudium exultationis & interminabilis beatitudinis obtineant in cœlis. Per eundem Dominum, *&c.* ℟. Amen.

LITANIÆ DE B. VIRGINE.

KYrie eleiſon.
Chriſte eleiſon.
Kyrie eleiſon.
Chriſte audi nos.
Chriſte exaudi nos.

Pater de cœlis Deus, Miſerere nobis.
Fili redemptor mundi Deus, Miſerere nobis.
Spiri-

Spiritus ſancte Deus, Miſerere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, Miſerere nobis.
Sancta Maria, Ora pro nobis.
Sancta Dei genitrix, Ora.
Sancta Virgo virginum, ora.
Mater Chriſti, ora.
Mater divinæ gratiæ, ora.
Mater puriſſima, ora.
Mater caſtiſſima, ora.
Mater inviolata, ora.
Mater intemerata, ora.
Mater amabilis, ora.
Mater admirabilis, ora.
Mater Creatoris, ora.
Mater Salvatoris, ora.
Virgo prudentiſſima, ora.
Virgo veneranda, ora.
Virgo prædicanda, ora.
Virgo potens, ora.
Virgo clemens, ora.
Virgo fidelis, ora.
Speculum juſtitiæ, ora.
Sedes ſapientiæ, ora.
Cauſſa noſtræ lætitiæ, ora.
Vas ſpirituale, ora.
Vas honorabile, ora.
Vas inſigne devotionis, ora.
Roſa myſtica, ora.
Turris Davidica, ora.
Turris eburnea, ora.
Domus aurea, ora.
Fœderis arca, ora.
Ianua cœli, ora.
Stella matutina, ora.
Salus infirmorum, ora.
Refugium peccatorum, ora.
Conſolatrix afflictorũ, ora.
Auxilium Chriſtianorum, ora pro nobis.
Regina Angelorum, ora.
Regina Patriarcharum, ora.
Regina Prophetarum, ora.
Regina Apoſtolorum, ora.
Regina Martyrum, ora.
Regina Confeſſorum, ora.
Regina Virginum, ora.
Regina Sanctorum omnium, ora pro nobis.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Miſerere nob.
Chriſte audi nos. Chriſte exaudi nos.

Kyrie eleïſon. Chriſte eleïſon. Kyrie eleïſon. Pater noſter.

℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

INterveniat pro nobis quæſumus Domine Ieſu Chriſte nunc, & in hora mortis noſtræ apud tuam clementiam glorioſa virgo Maria mater tua: cujus ſacratiſſimam animam in hora mortis & Paſſionis tuæ doloris gladius pertranſivit.

PRotege Domine famulos ſubſidiis pacis: & beatæ Mariæ ſemper Virginis patrociniis confidentes, à cunctis hoſtibus redde ſecuros. Per Chriſtum Dominum. Amen.

PRÆPARATIO AD MISSAM.

Pro opportunitate Sacerdotis facienda.

NE reminiſcaris Domine delicta noſtra, vel parentum noſtrorum, neque vindictam ſumas de peccatis noſtris.

Pſalmus 83.

QVam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini.

Cor meum & caro mea: exultaverunt in Deum vivum.

Etenim paſſer invenit ſibi domum: & turtur nidum ſibi, ubi ponat pullos ſuos.

Altaria tua Domine virtutum: rex meus, & Deus meus.

Beati qui habitant in domo tua Domine; in ſæcula ſæculorum laudabunt te.

Beatus vir, cujus eſt auxilium abs te: aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit in valle lacrymarum, in loco quem poſuit.

Etenim benedictionem dabit legislator: ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion.

Domine

Domine Deus virtutum exaudi orationem meam: auribus percipe Deus Iacob.

Protector noſter aſpice Deus: & reſpice in faciem Chriſti tui.

Quia melior eſt dies una in atriis tuis: ſuper millia.

Elegi abjectus eſſe in domo Dei mei: magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.

Quia miſericordiam & veritatem diligit Deus: gratiam & gloriam dabit Dominus.

Non privabit bonis eos qui ambulant in innocentia: Domine virtutum, beatus homo qui ſperat in te. Gloria.

Pſalmus 84.

BEnedixiſti Domine terram tuam: avertiſti captivitatem Iacob.

Remiſiſti iniquitatem plebis tuæ: operuiſti omnia peccata eorum.

Mitigaſti omnem iram tuam: avertiſti ab ira indignationis tuæ.

Converte nos Deus ſalutaris noſter: & averte iram tuam à nobis.

Numquid in æternum iraſcêris nobis? aut extendes iram tuam à generatione in generationem?

Deus, tu converſus vivificabis nos: & plebs tua lætabitur in te.

Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam: & ſalutare tuum da nobis.

Audiam quid loquatur in me Dominus Deus: quoniam loquetur pacem in plebem ſuam.

Et ſuper ſanctos ſuos: & in eos qui convertuntur ad cor.

Verumtamen prope timentes eum ſalutare ipſius: ut inhabitet gloria in terra noſtra.

Miſericordia & veritas obviaverunt ſibi: juſtitia & pax oſculatæ ſunt.

Veritas de terra orta eſt: & juſtitia de cœlo proſpexit.

Etenim Dominus dabit benignitatem : & terra noſtra dabit fructum ſuum.

Iuſtitia ante eum ambulabit : & ponet in via greſſus ſuos. Gloria Patri.

Pſalmus 85.

INclina Domine aurem tuam, & exaudi me; quoniam inops & pauper ſum ego.

Cuſtodi animam meam, quoniam ſanctus ſum : ſalvum fac ſervum tuum, Deus meus, ſperantem in te.

Miſerere mei Domine, quoniam ad te clamavi tota die : lætifica animam ſervi tui, quoniam ad te Domine animam meam levavi.

Quoniam tu Domine ſuavis & mitis : & multæ miſericordiæ omnibus invocantibus te.

Auribus percipe orationem meam : & intende voci deprecationis meæ.

In die tribulationis meæ clamavi ad te : quia exaudiſti me.

Non eſt ſimilis tui in diis Domine : & non eſt ſecundum opera tua.

Omnes gentes quaſcumque feciſti, venient, & adorabunt coram te Domine : & glorificabunt nomen tuum.

Quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia : tu es Deus ſolus.

Deduc me Domine in via tua, & ingrediar in veritate tua : lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum.

Confitebor tibi Domine Deus meus in toto corde meo : & glorificabo nomen tuum in æternum.

Quia miſericordia tua magna eſt ſuper me : & eruiſti animam meam ex inferno inferiori.

Deus, iniqui inſurrexerunt ſuper me : & ſynagoga potentium quæſierunt animam meam, & non propoſuerunt te in conſpectu ſuo.

Et tu Domine Deus miſerator & miſericors : patiens, & multæ miſericordiæ & verax.

Reſpice

Reſpice in me, & miſerere mei: da imperium tuum puero tuo, & ſalvum fac filium ancillæ tuæ.

Fac mecum ſignum in bonum, ut videant qui oderunt me, & confundantur: quoniam tu Domine adjuviſti me, & conſolatus es me. Gloria Patri.

Pſalmus 115.

CRedidi, propter quod locutus ſum: ego autem humiliatus ſum nimis.

Ego dixi in exceſſu meo: Omnis homo mendax.

Quid retribuam Domino: pro omnibus quæ retribuit mihi?

Calicem ſalutaris accipiam: & nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus: pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum ejus.

O Domine quia ego ſervus tuus: ego ſervus tuus & filius ancillæ tuæ.

Dirupiſti vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis: & nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam in conſpectu omnis populi ejus; in atriis domus Domini in medio tui Ieruſalem. Gloria Patri.

Pſalmus 129.

DE profundis clamavi ad te Domine: Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes: in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates obſervaveris Domine: Domine quis ſuſtinebit?

Quia apud te propitiatio eſt: & propter legem tuam ſuſtinui te Domine.

Suſtinuit anima mea in verbo ejus: ſperavit anima mea in Domino.

A cuſtodia matutina uſque ad noctem, ſperet Iſraël in Domino.

Quia

Quia apud Dominum miſericordia: & copioſa apud eum redemptio.

Et ipſe redimet Iſraël: ex omnibus iniquitatibus ejus.

Gloria Patri.

Antiph. Ne reminiſcaris Domine delicta noſtra, vel parentum noſtrorum, neque vindictam ſumas de peccatis noſtris.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter.

℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo.

℣. Ego dixi, Domine, miſerere mei. ℟. Sana animam meam, quia peccavi tibi.

℣. Convertere Domine aliquantulum. ℟. Et deprecare ſuper ſervos tuos.

℣. Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos. ℟. Quemadmodum ſperavimus in te.

℣. Sacerdotes tui induantur juſtitiam. ℟. Et Sancti tui exultent.

℣. Ab occultis meis munda me Domine. ℟. Et ab alienis parce ſervo tuo.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

AVres tuæ pietatis, mitiſſime Deus, inclina precibus noſtris, & gratia ſancti Spiritus illumina cor noſtrum: ut tuis myſteriis digne miniſtrare, teque æterna charitate diligere mereamur.

DEus, cui omne cor patet & omnis voluntas loquitur, & quem nullum latet ſecretum: purifica per infuſionem ſancti Spiritus cogitationes cordis noſtri: ut te perfecte diligere, & digne laudare mereamur.

VRe igne ſancti Spiritus renes noſtros, & cor noſtrum, Domine: ut tibi caſto corpore ſerviamus, & mundo corde placeamus.

Mentes

MEntes noſtras, quæſumus Domine, Paraclitus qui à te procedit, illuminet: & inducat in omnem ſicut tuus promiſit Filius, veritatem.

ADſit nobis, quæſumus Domine, virtus Spiritus ſancti, quæ & corda noſtra clementer expurget, & ab omnibus tueatur adverſis.

DEus, qui corda fidelium ſancti Spiritus illuſtratione docuiſti: da nobis in eodem Spiritu recta ſapere, & de ejus ſemper conſolatione gaudere.

COnſcientias noſtras, quæſumus Domine, viſitando purifica, ut veniens Dominus noſter Ieſus Chriſtus filius tuus, paratam ſibi in nobis inveniat manſionem. Qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Receſſus ab altari.

Antiph. Trium puerorum cantemus hymnum: quem cantabant ſancti in camino ignis benedicentes Dominum.

Canticum trium puerorum.

BEnedicite omnia opera Domini Domino: laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula.

Benedicite Angeli Domini Domino: benedicite cœli Domino.

Benedicite aquæ omnes, quæ ſuper cœlos ſunt, Domino: benedicite omnes virtutes Domini Domino.

Benedicite ſol & luna Domino: benedicite ſtellæ cœli Domino.

Benedicite omnis imber & ros Domino: benedicite omnes ſpiritus Dei Domino.

Benedicite ignis & æſtus Domino: benedicite frigus & æſtus Domino.

Benedicite rores & pruina Domino: benedicite gelu & frigus Domino.

Benedicite glacies & nives Domino: benedicite noctes & dies Domino.

Benedicite lux & tenebræ Dño: benedicite fulgura & nubes Dño.

Bene-

Benedicat terra Dominum: laudet & ſuperexaltet eum in ſæcula.

Benedicite montes & colles Domino: benedicite univerſa germinantia in terra Domino.

Benedicite fontes Domino: benedicite maria & flumina Domino.

Benedicite cete, & omnia quæ moventur in aquis, Domino: benedicite omnes volucres cœli Domino.

Benedicite omnes beſtiæ & pecora Domino: benedicite filii hominum Domino.

Benedicat Iſraël Dominum: laudet & ſuperexaltet eum in ſæcula.

Benedicite ſacerdotes Domini Domino: benedicite ſervi Domini Domino.

Benedicite ſpiritus & animæ juſtorum Domino: benedicite ſancti & humiles corde Domino.

Benedicite Anania, Azaria, Miſael, Domino: laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula.

Benedicamus Patrem & Filium cum ſancto Spiritu: laudemus & ſuperexaltemus eum in ſæcula.

Benedictus es Domine in firmamento cœli: & laudabilis & glorioſus, & ſuperexaltatus in ſæcula.

Pſalmus 150.

LAudate Dominum in ſanctis ejus: laudate eum in firmamento virtutis ejus.

Laudate eum in virtutibus ejus: laudate eum ſecundum multitudinem magnitudinis ejus.

Laudate eum in ſono tubæ: laudate eum in pſalterio & cithara.

Laudate eum in tympano & choro: laudate eum in chordis & organo.

Laudate eum in cymbalis beneſonantibus, laudate eum in cymbalis jubilationis: omnis ſpiritus laudet Dominum.

Gloria Patri, & Filio.

Dein-

Deinde repetitur Antiphona.

Trium puerorum cantemus hymnum, *&c.*

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Pater noſter.

℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo.

℣. Confiteantur tibi Domine omnia opera tua. ℟. Et ſancti tui benedicant tibi.

℣. Exultabunt ſancti in gloria. ℟. Lætabuntur in cubilibus ſuis.

℣. Non nobis Domine, non nobis. ℟. Sed nomini tuo da gloriam.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

DEus, qui tribus pueris mitigaſti flammas ignium, concede propitius, ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum.

ACtiones noſtras, quæſumus Domine, aſpirando præveni, & adjuvando proſequere, ut cuncta noſtra oratio, & operatio à te ſemper incipiat, & per te cœpta finiatur.

DA nobis quæſumus Domine, vitiorum noſtrorum flammas extinguere: qui beato Laurentio martyri tuo, tribuiſti tormentorum ſuorum incendia ſuperare. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

ORATIONES ante Celebrationem & Communionem.

Oratio S. Ambroſii.

DIE DOMINICA.

SVmme ſacerdos & vere Pontifex Ieſu Chriſte, qui te obtuliſti Deo Patri hoſtiam puram & immaculatam in ara crucis pro nobis miſeris & peccatoribus, & qui dediſti nobis carnem tuam ad manducandum, & ſangui-

ſanguinem tuum ad bibendum, & poſuiſti myſterium iſtud in virtute Spiritus ſancti tui, dicens: Hæc quotieſcumque feceritis, in mei memoriam facietis: Rogo per eumdem ſanguinem tuum, magnum ſalutis noſtræ pretium: rogo per hanc miram & ineffabilem charitatem, qua nos miſeros, & indignos ſic amare dignatus es, ut lavares nos à peccatis noſtris in ſanguine tuo: Doce me, ſervum tuum indignum, quem inter cetera dona tua etiam ad officium ſacerdotale vocare dignatus es, nullis meis meritis, ſed ſola dignatione miſericordiæ tuæ: doce me quæſo per Spiritum ſanctum tuum, tantum tractare myſterium ea reverentia & honore, ea devotione & timore, quibus oportet & decet. Fac me per gratiam tuam ſemper illud de tanto myſterio credere & intelligere, ſentire & firmiter tenere, dicere & cogitare, quod tibi placet, & expedit animæ meæ. Intret ſpiritus tuus bonus in cor meum, qui ſonet ibi ſine ſono, & ſine ſtrepitu verborum loquatur omnem veritatem. Profunda quippe ſunt nimis, & ſacro tecta velamine. Propter magnam clementiam tuam concede mihi Miſſarum ſolemnia mundo corde & pura mente celebrare. Libera cor meum ab immundis & nefandis, vanis & noxiis cogitationibus. Muni me beatorum Angelorum pia & fida cuſtodia, ac tutela fortiſſima, ut hoſtes omnium bonorum confuſi diſcedant. Per virtutem tanti myſterii, & per manum ſancti Angeli tui repelle à me, & à cunctis ſervis tuis, duriſſimum ſpiritum ſuperbiæ & cenodoxiæ, invidiæ & blaſphemiæ, fornicationis & immunditiæ, dubietatis & diffidentiæ. Confundantur qui nos perſequuntur, pereant illi qui nos perdere feſtinant.

Feria ij.

REx virginum, & amator caſtitatis & integritatis, cœleſti rore benedictionis tuæ extingue in corpore meo fomitem ardentis libidinis: ut maneat in me tenor caſtitatis corporis & animæ. Mortifica in membris meis carnis

carnis ſtimulos, omneſque libidinoſas commotiones, & da mihi veram & perpetuam caſtitatem cum ceteris donis tuis, quæ tibi placent in veritate, ut ſacrificium laudis caſto corpore & mundo corde valeam tibi offerre. Quanta enim cordis contritione, & lacrymarum fonte, quanta reverentia & tremore, quanta corporis caſtitate, & animæ puritate iſtud divinum & cœleſte ſacrificium eſt celebrandum, ubi caro tua in veritate ſumitur, ubi ſanguis tuus in veritate bibitur, ubi ima ſummis, terrena divinis junguntur, ubi adeſt ſanctorum Angelorum præſentia, ubi tu es ſacrificium & ſacerdos mirabiliter & ineffabiliter conſtitutus?

Feria iij.

QVis digne hoc celebrare poterit, niſi tu Deus omnipotens offerentem feceris dignum? Scio Domine, & vere ſcio, & idipſum pietati tuæ confiteor, quia non ſum dignus accedere ad tantum myſterium propter nimia peccata mea, & infinitas negligentias meas. Sed ſcio, & veraciter ex toto corde meo credo, & ore confiteor, quia tu potes me facere dignum, qui ſolus potes facere mundum de immundo conceptum ſemine, & de peccatoribus juſtos & ſanctos. Per hanc omnipotentiam tuam te rogo Deus meus, ut concedas mihi peccatori hoc ſacrificium celebrare cum timore & tremore, cum cordis puritate, & lacrymarum fonte, cum lætitia ſpiritali, & cœleſti gaudio. Sentiat mens mea dulcedinem beatiſſimæ præſentiæ tuæ, & excubias ſanctorum Angelorum tuorum in circuitu meo.

Feria iv.

EGo enim, Domine, memor venerandæ Paſſionis tuæ accedo ad altare tuum, licet peccator, ut offeram tibi ſacrificium, quod tu inſtituiſti, & offerre præcepiſti in commemorationem tui, pro ſalute noſtra. Suſcipe illud quæſo, ſumme Deus, pro Eccleſia ſancta tua, & pro populo quem acquiſiſti ſanguine tuo. Et quoniam

me peccatorem inter te & eumdem populum tuum medium eſſe voluiſti, licet in me aliquod boni operis teſtimonium non agnoſcas, officium ſaltem diſpenſationis creditæ non recuſes; nec per me indignum eorum ſalutis pereat pretium, pro quibus victima ſalutaris dignatus es eſſe redemptio. Profero etiam Domine (ſi digneris propitius intueri) tribulationes plebium, pericula populorum, captivorum gemitus, miſerias orphanorum, neceſſitates peregrinorum inopiam debilium, deſperationes languentium, defectus ſenum, ſuſpiria juvenum, vota virginum, lamenta viduarum.

Feria v.

TV enim miſereris omnium Domine: & nihil odiſti eorum quæ feciſti. Memorare quæ ſit noſtra ſubſtantia: quia tu Pater noſter es, quia tu Deus noſter es, ne iraſcaris ſatis, neque multitudinem viſcerum tuorum ſuper nos contineas. Non enim in juſtificationibus noſtris proſternimns preces ante faciem tuam, ſed in miſerationibus tuis multis. Aufer à nobis iniquitates noſtras: & ignem ſancti Spiritus in nobis clementer accende. Aufer cor lapideum de carne noſtra: & da nobis cor carneum, quod te amet, te diligat, te delectetur, te ſequatur, te perfruatur. Oramus Domine clementiam tuam, ut ſereno vultu familiam tuam, ſacri tui nominis Officia præſtolantem, aſpicere digneris: ut & nullius ſit irritum votum, nullius vacua poſtulatio, tu nobis preces ſuggere, quas ipſe propitius audire, & exaudire delecteris.

Feria vj.

ROgamus etiam te, Domine ſancte Pater, & pro ſpiritibus fidelium defunctorum: ut ſit illis ſalus, ſanitas, gaudium, & refrigerium, hoc magnum pietatis ſacramentum. Domine Deus meus, ſit illis hodie magnum & plenum convivium de te pane vivo, qui de cælo deſcendiſti, & das vitam mundo, de tua carne ſan-

cta & benedicta, Agni videlicet immaculati, qui tollis peccata mundi, quæ de ſancto & glorioſo beatæ Virginis Mariæ utero eſt aſſumpta, & de Spiritu ſancto concepta: ac de illo pietatis fonte, qui per lanceam militis ex tuo ſacratiſſimo latere emanavit: ut exinde refecti & ſatiati, refrigerati & conſolati exultent in laude & gloria tua. Peto clementiam tuam Domine, ut deſcendat ſuper panem tibi ſacrificandum plenitudo tuæ benedictionis; & ſanctificatio tuæ divinitatis. Deſcendat etiam Domine illa ſancti Spiritus tui inviſibilis, incomprehenſibiliſque majeſtas, ſicut quondam in patrum hoſtias deſcendebat, qui & oblationes noſtras corpus & ſanguinem tuum efficiat, & me indignum ſacerdotem doceat tantum tractare myſterium cum cordis puritate, & lacrymarum devotione, cum reverentia & tremore, ita ut placide ac benigne ſuſcipias ſacrificium de manibus meis ad ſalutem omnium tam vivorum, quam defunctorum.

Sabbato.

ROgo etiam te Domine, per ipſum ſacroſanctum myſterium Corporis & Sanguinis tui, quo quotidie in Eccleſia tua paſcimur & potamur, abluimur & ſanctificamur, atque unius ſummæ divinitatis participes efficimur; da mihi virtutes tuas ſanctas, quibus repletus, bona conſcientia ad altare tuum accedam, ita ut hæc cœleſtia Sacramenta efficiantur mihi ſalus & vita. Tu enim dixiſti ore tuo ſancto & benedicto: Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita. Ego ſum panis vivus, qui de cœlo deſcendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Panis dulciſſime, ſana palatum cordis mei, ut ſentiam ſuavitatem amoris tui. Sana illud ab omni languore, ut nullam præter te ſentiam dulcedinem. Panis candidiſſime, habens omne delectamentum, & omnem ſaporem, qui nos ſemper reficis, & nunquam in te deficis: comedat te cor meum; &

dulcedine ſaporis tui repleantur viſcera animæ meæ. Manducat te Angelus ore pleno, manducet te peregrinus homo pro modulo ſuo, ne deficere poſſit in via, tali recreatus viatico. Panis ſancte, panis vive, panis munde, qui deſcendiſti de cœlo, & das vitam mundo, veni in cor meum, & munda me ab omni inquinamento carnis & ſpiritus. Intra in animam meam, ſana & munda me interius & exterius. Eſto tutamen, & continua ſalus animæ & corporis mei. Repelle à me inſidiantes mihi hoſtes: recedant procul à præſentia potentiæ tuæ, ut foris & intus per te munitus, recto tramite ad tuum regnum perveniam, ubi non in myſteriis, ſicut in hoc tempore agitur, ſed facie ad faciem te videbimus, cum tradideris regnum Deo & Patri, & erit Deus omnia in omnibus. Tunc enim me de te ſatiabis ſatietate mirifica, ita ut nec eſuriam, nec ſitiam in æternum. Qui cum eodem Deo Patre, & Spiritu ſancto, vivis & regnas per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Alia Oratio ante Miſſam.

AD menſam dulciſſimi convivii tui, pie Domine Ieſu Chriſte, ego peccator de propriis meritis, nihil præſumens, ſed de tua confidens miſericordia & bonitate, accedere vereor & contremiſco. Nam cor & corpus habeo multis criminibus maculatum, mentem & linguam non caute cuſtoditam. Ergo, ô pia Deitas, ô tremenda majeſtas, ego miſer inter anguſtias deprehenſus, ad te fontem miſericordiæ recurro, ad te feſtino ſanandus, ſub tuam protectionem fugio: & quem judicem ſuſtinere nequeo, ſalvatorem habere ſuſpiro. Tibi Dñe plagas meas oſtendo, tibi verecundiam meam detego. Scio peccata mea multa & magna, pro quibus timeo. Spero in miſericordias tuas, quarum non eſt numerus. Reſpice ergo in me oculis miſericordiæ tuæ, Domine Ieſu Chriſte, Rex æterne, Deus & homo, crucifixus propter hominem. Exaudi me ſperantem in te: miſerere mei, pleni miſeriis & peccatis;

tu

tu qui fontem miſerationis numquam manare ceſſabis. Salve ſalutaris victima, pro me & omni humano genere in patibulo crucis oblata. Salve nobilis & pretioſe Sanguis, de vulneribus crucifixi Domini mei Ieſu Chriſti profluens, & peccata totius mundi abluens. Recordare Domine creaturæ tuæ, quam tuo ſanguine redemiſti. Pœnitet me peccaſſe, cupio emendare quod feci. Aufer ergo à me, clementiſſime Pater, omnes iniquitates & peccata mea: ut purificatus mente & corpore, digne deguſtare merear ſancta ſanctorum; & concede, ut ſancta prælibatio Corporis & Sanguinis tui, quam ego indignus ſumere intendo, ſit peccatorum meorum remiſſio, ſit delictorum perfecta purgatio, ſit turpium cogitationum effugatio, ac bonorum ſenſuum regeneratio; operumque tibi placentium ſalubris efficacia, animæ quoque & corporis, contra inimicorum meorum inſidias, firmiſſima tuitio. Amen.

Oratio S. Thomæ Aquinatis.

OMnipotens ſempiterne Deus, ecce accedo ad ſacramentum unigeniti Filii tui Domini noſtri Ieſu Chriſti: accedo tanquam infirmus ad medicum vitæ, immundus ad fontem miſericordiæ, cæcus ad lumen claritatis æternæ, pauper & egenus ad Dominum cœli & terræ. Rogo ergo immenſæ largitatis tuæ abundantiam, quatenus meam curare digneris infirmitatem, lavare fœditatem, illuminare cæcitatem, ditare paupertatem, veſtire nuditatem: ut panem Angelorum, Regem regum, Dominum dominantium, tanta ſuſcipiam reverentia & humilitate, tanta contritione & devotione, tanta puritate & fide, tali propoſito & intentione, ſicut expedit ſaluti animæ meæ. Da mihi, quæſo, Dominici corporis & ſanguinis non ſolum ſuſcipere ſacramentum, ſed etiam rem & virtutem ſacramenti. O mitiſſime Deus, da mihi corpus unigeniti Filii tui Domini noſtri Ieſu Chriſti, quod traxit de virgine Maria, ſic ſuſcipere, ut corpori

ſuo myſtico merear incorporari ; & inter ejus membra connumerari. O amantiſſime Pater, concede mihi dilectum Filium tuum, quem nunc velatum in via ſuſcipere propono, revelata tandem facie perpetuo contemplari. Qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

ORATIONES

Poſt celebrationem & communionem dicendæ.

Oratio S. Thomæ de Aquino.

GRatias tibi ago Domine ſancte Pater omnipotens, æterne Deus; qui me peccatorem, indignum famulum tuum, nullis meis meritis, ſed ſola dignatione miſericordiæ tuæ ſatiare dignatus es pretioſo Corpore & Sanguine Filii tui Domini noſtri Ieſu Chriſti. Et precor, ut hæc ſancta Communio non ſit mihi reatus ad pœnam, ſed interceſſio ſalutaris ad veniam. Sit mihi armatura fidei, & ſcutum bonæ voluntatis. Sit vitiorum meorum evacuatio; concupiſcentiæ & libidinis exterminatio; charitatis & patientiæ, humilitatis & obedientiæ, omniumque virtutum augmentatio: contra inſidias inimicorum omnium, tam viſibilium, quam inviſibilium, firma defenſio: motuum meorum, tam carnalium, quam ſpiritualium perfecta quietatio: in te uno ac vero Deo firma adhæſio, atque finis mei felix conſummatio. Et precor te, ut ad illud ineffabile convivium me peccatorem perducere digneris: ubi tu cum Filio tuo & Spiritu ſancto, Sanctis tuis es lux vera, ſatietas plena, gaudium ſempiternum, jucunditas conſummata, & felicitas perfecta. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Alia Oratio Sancti Bonaventuræ.

TRansfige, dulciſſime Domine Ieſu, medullas & viſcera animæ meæ ſuaviſſimo ac ſaluberrimo amo-

ris tui vulnere, vera, ſerenaque & Apoſtolica ſanctiſſima charitate, ut langueat & liqueſiat anima mea ſolo ſemper amore & deſiderio tui, te concupiſcat, & deficiat in atria tua, cupiat diſſolvi, & eſſe tecum. Da, ut anima mea te eſuriat, panem Angelorum, refectionem animarum ſanctarum, panem noſtrum quotidianum, ſuperſubſtantialem, habentem omnem dulcedinem & ſaporem, & omne delectamentum ſuavitatis: te, in quem deſiderant Angeli proſpicere, ſemper eſuriat & comedat cor meum, & dulcedine ſaporis tui repleantur viſcera animæ meæ: te ſemper ſitiat, fontem vitæ, fontem ſapientiæ & ſcientiæ, fontem æterni luminis, torrentem voluptatis, ubertatem domus Dei: te ſemper ambiat, te quærat, te inveniat, ad te tendat, ad te perveniat: te meditetur, te loquatur, & omnia operetur in laudem & gloriam nominis tui; cum humilitate & diſcretione, cum dilectione & delectatione, cum facilitate & affectu, cum perſeverantia uſque in finem: & tu ſis ſolus ſemper ſpes mea, tota fiducia mea, divitiæ meæ, delectatio mea, jucunditas mea, gaudium meum, quies & tranquillitas mea, pax mea, ſuavitas mea, odor meus, dulcedo mea, cibus meus, refectio mea, refugium meum, auxilium meum, ſapientia mea, portio mea, poſſeſſio mea, theſaurus meus, in quo fixa & firma & immobiliter ſemper ſit radicata mens mea, & cor meum. Amen.

Rhythmus S. Thomæ ad ſacram Euchariſtiam.

ADoro te devote, latens Deitas,
Quæ ſub his figuris vere latitas:
Tibi ſe cor meum totum ſubjicit,
Quia te contemplans, totum deficit.
Viſus, tactus, guſtus in te fallitur,
Sed auditu ſolo tuto creditur.
Credo quidquid dixit Dei Filius,
Nil hoc verbo veritatis verius.

In cruce latebat ſola Deitas,
At hic latet ſimul & humanitas:
Ambo tamen credens atque confitens,
Peto quod petivit latro pœnitens.
Plagas, ſicut Thomas, non intueor,
Deum tamen meum te confiteor.
Fac me tibi ſemper magis credere,
In te ſpem habere, te diligere.
O memoriale mortis Domini,
Panis vivus, vitam præſtans homini:
Præſta meæ menti de te vivere,
Et te illi ſemper dulce ſapere.
Pie Pelicane Ieſu Domine,
Me immundum munda tuo Sanguine:
Cujus una ſtilla ſalvum facere
Totum mundum quit ab omni ſcelere.
Ieſu, quem velatum nunc aſpicio,
Oro fiat illud, quod tam ſitio,
Vt te revelata cernens facie,
Viſu ſim beatus tuæ gloriæ. Amen.

PSALTERIVM

Tempore Belli, & publicæ calamitatis uſurpandum.

Ex verbis S. Scripturæ juxta Petitiones Orationis Dominicæ contextum.

Pater noſter, qui es in cœlis.

Pſalmus I.

PAter miſericordiarum, & Deus totius conſolationis: Ad te levamus oculos noſtros qui habitas in cœlis.

Pater Orphanorum, & Iudex viduarum Domine: tibi revelamus cauſſam noſtram cum fiducia.

Quoniam tu Pater ſuavis, & mitis, & multæ miſericordiæ filiis invocantibus te.

In tribulatione noſtra invocamus te: Pater noſter es tu, DEVS noſter, & ſuſceptor ſalutis noſtræ.

Vt

Vt quid derelinquis Domine plebem tuam? quare claudis viſcera tua ſuper filios uteri tui?

Filii deſertores Matris noſtræ pugnant contra nos: accelerant ſpoliare funiculum hæreditatis noſtræ.

Averſi ſunt à via veritatis tuæ filii alieni: projecerunt à ſe jugum Eccleſiæ Matris ſuæ.

Vane gloriantur, ſe Patrem habere DEVM: in ſuperbia ſua elegerunt viam mendacii.

Tu autem in excelſis Pater noſter: ſedens ſuper Cherubim, & alta à longe cognoſcens.

Emitte manum tuam de alto, & libera nos de manu filiorum alienorum.

Obumbra ſuper capita noſtra in die belli: Quoniam tu Pater noſter es, Domine DEVS exercituum, DEVS Iſraël.

Quomodo miſeretur Pater filiorum, ſic miſerere, Domine, timentium te, quoniam tu cognoſcis tribulationem noſtram. Gloria Patri.

℣. *Salvos fac filios tuos.*

℟. *Pater noſter ſperantes in te.*

℣. *Indue nos virtute ex alto.*

℟. *Protege nos ſub umbra alarum tuarum.*

℣. *Domine exaudi orationem meam.*

℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

Oremus.

Sancte Pater, omnipotens ſempiterne Deus: qui cœleſtia ſimul, & terrena moderaris: ſupplicationes filiorum tuorum clementer exaudi, & pacem tuam noſtris concede temporibus. Per Dominum.

Sanctificetur nomen tuum.

Pſalmus 2.

SAncte DEVS, Sancte fortis, Sancte, & immortalis, miſerere nobis.

Ecce venerunt gentes in hæreditatem tuam: polluerunt templa ſancta tua.

Extulerunt caput ſuper populum ſanctificationis tuæ: populum quærentem gloriam ſancti Nominis tui.

Sancta tua, Domine, conculcata, & contaminata ſunt: Sacerdotes tui facti ſunt in luctum, & in humilitatem.

Pro eo, ut ſanctificent te, & dent gloriam nomini tuo inimici noſtri: veniunt in furore ſuo ad blaſphemandum Deum viventem.

Dixerunt in corde ſuo cognatio eorum ſimul: quieſcere faciamus omnes dies feſtos Dei à terra.

Vſquequò Deus improperabunt inimici? irritant adverſarii Nomen tuum in finem?

Propter gloriam ſancti Nominis tui libera nos: neque facias nobis contumeliam ſolii gloriæ tuæ.

Ne patiaris claudi ora laudantium, & ſanctificantium te: neque extingui gloriam templi, & altaris tui.

Memor eſto congregationis tuæ, quam elegiſti & poſſediſti hucuſque ab initio.

Reſpice, Domine, in minas hoſtium noſtrorum; qui ponunt in cœlum os ſuum, & exprobrare audent agminibus Dei viventis.

Vindica ſanguinem Vnigeniti tui, qui pollutus ducitur, & conculcatur ab inimicis tuis.

Ne dicant in Gentibus, Vbi eſt Deus eorum? ſurgat & opituletur eis: Ecce vana facta eſt ſpes eorum.

Fac nobiſcum ſignum in bonum, ut videant qui oderunt nos, & confundantur, quoniam tu Domine adjuviſti nos, & conſolatus es nos.

Vt confiteamur Nomini Sancto tuo: & gloriemur in laude tua. Gloria Patri.

℣. *Non nobis, Domine, non nobis,*

℟. *Sed Nomini ſancto tuo da gloriam.*

℣. *Memento Domine teſtamenti tui,*

℟. *Vt permaneat domus tua in ſanctificatione.*

℣. *Domine exaudi orationem meam.*

℟. *Et clamor meus, &c.*

Oremus.

Oremus.

Eſto, quæſumus Domine, Eccleſiæ tuæ Sanctificator, & cuſtos, ut fideles populi tui ab omni ſacrorum profanatione ſecuri: nomen tuum in veritate ſanctificent. Per Dominum, &c.

Adveniat regnum tuum.

Pſalmus 3.

COllaudamus te, Deus Rex: & invocamus potentiam Principatus tui.

Quoniam aſtiterunt Reges terræ: & Principes convenerunt in unum.

Vt dimicent adverſus electum puerum Chriſtum tuum: adverſus filios Regni tui.

Dixerunt unanimiter: diſperdamus eos de gente: exſcindamus uſque ad radicem gloriam regni eorum.

O Domine, tu es ipſe Rex noſter, & DEVS noſter: qui mandas ſalutes Iacob.

Memor eſto pacti tui nobiſcum: quando dediſti Eccleſiæ tuæ claves regni cœlorum.

Et ædificaſti eam ſuper petram: ut portæ inferi non prævaleant adverſus eam.

Qui habitas in cœlis, irride inimicos noſtros: inſurgentes contra Regnum tuum ſubſanna eos.

Rege eos in virga ferrea: tanquam vas figuli confringe eos.

Diſſipa Domine conſilia Gentium, reproba cogitationes populorum: qui nolunt te regnare ſuper eos.

Stet regnum Eccleſiæ tuæ in ſæculum ſæculi: ſint ſagittæ tuæ acutæ in corda inimicorum Regis.

Gloria Patri.

℣. *Regnum Eccleſiæ tuæ, Domine, regnum omnium ſæculorum:*

℟. *Protege eam à potentatu inimicorum noſtrorum.*

℣. *Contere eos in virga furoris tui.*

℟. *Qui volunt deſtruere domum tuam fundatam ſupra petram.*

℣. *Do-*

℣. *Domine exaudi orationem meam.*

℟. *Et clamor meus*, &c.

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, in cujus manu ſunt omnium poteſtates & omnium jura regnorum, reſpice ad Romanum benignus Imperium, ut hæretici, qui in ſua feritate confidunt, potentiæ tuæ dextera comprimantur. Per Dominum, *&c.*

Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo, & in terra.

Pſalmus 4.

O Domine, nonne voluntati tuæ ſubjecta erit anima noſtra: & in beneplacito tuo voluntas noſtra?

Sic utique voluntatem timentium te facies, & deprecationem eorum exaudies, & ſalvos facies eos.

Benigne fac Domine in bona voluntate tua: ut defendas muros Ieruſalem Eccleſiæ Sanctæ tuæ.

O Domine, ſicut fuerit voluntas tua, expugna impugnantes nos Domine: irruat ſuper inimicos noſtros formido, & pavor.

Sicut fuerit voluntas tua, conclude exercitus rebelles in manu fidelis populi tui: confundantur & avertantur retrorſum, qui volunt nobis mala.

Sicut fuerit voluntas tua: tabeſcere facias audaciam virtutis eorum: allide potentiam hoſtium noſtrorum.

Sicut fuerit voluntas tua, dejice rebelles gladio diligentium te: & collaudent te omnes, qui noverunt nomen tuum.

Sicut fuerit voluntas tua, erige brachium tuum, ſicut ab initio: cadat virtus inimicorum noſtrorum in iracundia tua.

Sicut fuerit voluntas tua, infatua conſilia malignantium contra nos: reproba conſilia Principum.

Sicut fuerit voluntas tua, diſſipa Gentes quæ bella volunt; exultent & lætentur, qui volunt pacem ſervorum tuorum.

O Domine

O Domine ſicut fuerit voluntas in cœlo, ita fiat: ut ſine timore de manu inimicorum noſtrorum liberati ſerviamus tibi. Gloria Patri, *&c.*

℣. *Viſita Domine plebem tuam in beneplacito tuo.*
℟. *Amore à nobis virgam furoris tui.*
℣. *Fiat voluntas tua, ut eruas nos.*
℟. *Et fugiant retrorſum, qui nos perſequuntur.*
℣. *Domine exaudi orationem meam,*
℟. *Et clamor meus,* &c.

Oremus.

Deus, cujus Sanctiſſimæ voluntati nullus reſiſtere poteſt, extende ſuper nos ſceptrum clementiæ tuæ, ut ab hæreticorum inſidiantium tyrannide liberati, tranquillo imperio gubernemur. Per Dominum, &c.

Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.

Pſalmus 5.

DOminus regit nos, & nihil nobis deerit, in loco paſcuæ ibi nos collocavit.

Ecce oculi tui, Domine, ſuper metuentes te: & in eis, qui ſperant ſuper miſericordia tua.

Vt eruas à morte animas eorum: & alas eos in fame.

Oculi omnium in te ſperant Domine, & tu das illis eſcam in tempore opportuno.

Quare igitur conturbatæ ſunt gentes, & inclinata ſunt regna: contritio, & vaſtitas irruunt ſuper nos?

Vt quid manum ſuam extendit hoſtis ad omnia deſiderabilia populi tui: ut dent urbes noſtras in direptionem, & rapinam?

Cur à facie conculcantium ſqualebunt agri: cum viris armatis veniet egeſtas ſuper terram?

Luxit humus, quoniam devaſtatum eſt triticum; Confuſi ſunt agricolæ ſuper frumento & hordeo, quia periit meſſis agri.

Fiet populus tuus, velut arietes non invenientes paſcua:

ſcua: Ibunt luridi, & abſque fortitudine à facie perſequentis!

Parvuli petent panem, & non erit qui frangat eis; præ inopia deficient, quaſi vulnerati in plateis.

Pellis eſurientium, quaſi clibanus exuretur: à facie tempeſtatum famis.

Exurge Domine, eripe inopem de manu fortiorum ejus: egenos, & pauperes à diripientibus eos.

Contere in fortitudine tua inimicos noſtros: arma & ſcuta combure igni, ut fugiant à finibus noſtris gladius, & peſtilentia, & fames. Gloria Patri, *&c.*

℣. *Memoriam fac mirabilium tuorum miſericors, & miſerator Domine.*

℟. *Eſcam dona timentibus te.*

℣. *Fugiant à terminis noſtris gladius & vaſtitas.*

℟. *Cuſtodi nos à tribulatione famis.*

℣. *Domine exaudi*, &c.

℟. *Et clamor*, &c.

Oremus.

Da nobis, quæſumus, Domine, piæ ſupplicationis effectum, & bellum, famemque à nobis propitiatus averte: ut temporalibus alimentis foveantur, quos dignaris æternis vegetare myſteriis. Per Dominum, &c.

Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.

Pſalmus 6.

PEccavimus cum patribus noſtris, injuſte egimus, iniquitatem fecimus:

Ideo apprehenderunt nos hæc mala: ideo cadunt exercitus noſtri ante faciem inimicorum noſtrorum.

Sed uſquequo Domine iraſcêris in finem? accendetur, velut ignis, zelus tuus?

Ne memineris iniquitatum noſtrarum antiquarum: cito anticipent nos miſericordiæ tuæ, quia pauperes facti ſumus nimis.

Væ nobis, quia receſſimus à viis juſtitiæ tuæ: & in furore tuo congregaſti ſuper nos flagella.

Adjuva nos DEVS ſalutaris noſter, & propter gloriam nominis tui libera nos: & propitius eſto peccatis noſtris propter nomen tuum.

Ne forte dicant filii alieni Matris noſtræ: error apprehendit eos; non eſt ſanctitudo, & veritas in Eccleſia eorum.

Domine DEVS virtutum converte nos: dele ut nubem iniquitates noſtras.

Amplius lava nos à peccatis noſtris: in ſpiritu contrito ſuſcipe populum tuum humiliatum. Gloria Patri.

℣. *Propitius eſto, Domine, peccatis noſtris.*

℟. *Nequando dicant gentes: ubi eſt* DEVS *eorum?*

℣. *Si iniquitates obſervaveris, Domine,*

℟. *Domine, quis ſuſtinebit!*

℣. *Domine exaudi*, &c.

℟. *Et clamor meus*, &c.

Oremus.

Tuere, Domine, populum tuum, & ab omnibus peccatis clementer emunda: quia nulla ei nocebit adverſitas, ſi nulla ei dominetur iniquitas. Per Dominum, *&c.*

Et ne nos inducas in tentationem.

Pſalmus 7.

EXurge DEVS, & diſſipentur inimici tui: & fugiant, qui oderunt te, à facie tua.

Sicut deficit fumus, deficiant: ſicut fluit cera à facie ignis, ſic pereant impii à facie tua, DEVS.

Cadat virtus hoſtium noſtrorum in iracundia tua: qui minantur violare Sancta, & polluere tabernaculum nominis tui.

Fiat via illorum tenebræ, & lubricum: & Angelus Domini perſequens eos.

Quare facti ſumus opprobrium vicinis noſtris; ſubſan-

ſannatio, & illuſio his, qui ſunt in circuitu noſtro?

Ne relinquas virgam peccatorum ſuper ſortem juſtorum, ut non extendant juſti ad iniquitatem manus ſuas.

Effunde iram tuam in populos deſertores: vindictam tuam in ſynagogas errantium, qui ſcientiam viarum tuarum nolunt.

Ne forte moveantur pedes fidelium, & effundantur greſſus ſervorum tuorum, & apprehendat eos tentatio inimici.

Quare proſperatur via bellantium inique: cadunt in gladio præliantes prælia Domini DEI Exercituum?

Annon eſt ſcientia, nec providentia in excelſis: fruſtra humiliavimus nos, & effudimus animas noſtras ante conſpectum Altiſſimi?

O Domine, leva manus tuas in ſuperbias inimicorum noſtrorum: libera nos à tentatione maligna. Gloria Patri, *&c.*

℣. *Libera nos Domine à cogitatione maligna.*
℟. *A puſillanimitate ſpiritus, & tempeſtate.*
℣. *Accelera, ut eruas filios diffidentiæ.*
℟. *Tentatio mala ne ſubmergat eos.*
℣. *Domine exaudi orationem meam.*
℟. *Et clamor meus*, &c.

Oremus.

Succurre Domine populo tuo, de tribulatione ſua ad te clamanti, ut corda noſtra de malarum tentationibus cogitationum citius liberentur. Per Dominum, *&c.*

Sed libera nos à malo.

Pſalmus 8.

VIde Domine, ne ſileas, quoniam apprehenderunt nos mala, quorum non eſt numerus.

Inimici noſtri convenerunt in unum: cogitaverunt mala adverſus Sanctos tuos.

Hære-

Hæreſis, impietas, & gladius inundaverunt ſuper terram: ſeditio, & rebellio exarſit in circuitu noſtro.

Nationes populorum factæ ſunt in ruinam: juſtitia, & pax procul à finibus noſtris.

Quid dicemus, aut quid reſpondebis nobis cum tu ipſe feceris?

Cum ſanctis Sanctus eris, & cum perverſis perverteris.

Sed quam bonus Iſraël DEVS! Quoniam non DEVS volens iniquitatem tu es.

Nos autem fecimus malum in conſpectu tuo, Domine; & tu inducis malum in diebus noſtris.

Iuſtus es, Domine, & rectum omne judicium tuum.

Sed non intres in judicium cum ſervis tuis, & non ſecundum peccata noſtra facias nobis.

Domine cuſtodi nos ab omni malo. Eſto nobiſcum in die tribulationis.

Vt non accedat ultra ad nos malum: & flagellum non appropinquet tabernaculis noſtris.

Tabeſcunt ſervi tui à formidine malorum, & dolore: quia inimici noſtri grandia loquuntur ſuper nos.

Exurge DEVS, judica cauſam tuam: accelera Liberator in die malorum, & tribulatione.

Perſequere inimicos noſtros, & comprehende illos: & ne convertere, donec deficiant.

Confringe illos, nec poterunt ſtare: cadent ſubtus pedes noſtros, qui auſi ſunt blaſphemare caſtra DEI viventis. Gloria Patri, *&c.*

℣. *Vide Domine, quoniam veniunt ſuper nos mala.*

℟. *Tribulatio, & afflictio irruunt ſuper nos.*

℣. *Exſpectatio Iſraël, Salvator ejus in die malorum.*

℟. *Feſtina, ut liberes à malo populum tuum.*

℣. *Domine exaudi*, &c.

℟. *Et clamor*, &c.

Oremus.

Concede, quæſumus, omnipotens Deus, ut, qui protectionis tuæ gratiam quærimus, liberati à malis omnibus ſecura tibi mente ſerviamus. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate, *&c.*

ORATIO

Sereniſſimi & Reverendiſſimi Principis

FERDINANDI,

Archiepiſcopi & Elect. Colon. juſſu & auctoritate ante complures annos pro communibus Reipub. Chriſti neceſſitatibus edita, & nunc ex Germanico tranſlata.

OMnipotens ſempiterne Deus, Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, ad Te nos miſeri peccatores, in anguſtiis & neceſſitatibus noſtris humiliter confugimus; Etenim gravibus miſeriis, & calamitatibus populus Chriſtianus premitur; variis plagis ac tribulationibus affligitur; ſectæ & hæreſes turbant Eccleſiam, rebelliones adverſus Magiſtratus, tum Eccleſiaſticum, tum Civilem excitantur: bella, ſeditiones, tumultus, innoxii ſanguinis effuſiones per univerſam Chriſtianam Remp. paſſim graſſantur, adeoque multæ animarum myriades pretioſiſſimo Sanguine unigeniti tui IESV Chriſti redemptæ temporalis pariter ac æternæ ſalutis jacturam miſere patiuntur.

Nos vero quid dicemus ad hæc ô ſumme Deus? Iuſtus es Domine & rectum judicium tuum: omnia quæ nobis immittis adverſa, non niſi juſtiſſimæ iræ tuæ flagella eſſe agnoſcimus: viſitas enim in virga iniquitates noſtras, & in verberibus peccata noſtra, quibus divinam Majeſtatem tuam tam graviter offendimus: peccavimus in cœlum ô Domine, & malum coram te fecimus: unde indi-

indignos nos quoque fatemur, qui compareamus ante conſpectum tuum, aut oculos noſtros in cœlum ad te levemus.

Verum ô Domine, noli ſic attendere malitiam noſtram, ut obliviſcaris bonitatem tuam; Iuſtus quidem es Domine, ſed miſerationes tuæ ſuper omnia opera tua; Si enim iniquitates obſervaveris, quis ſuſtinebit? Mitiga ergo, ô clementiſſime Deus, rigorem juſtitiæ tuæ, & non ſecundum peccata noſtra facias nobis, neque ſecundum iniquitates noſtras retribuas nobis, ſed ſecundum multitudinem miſerationum tuarum, averte faciem tuam à peccatis noſtris.

Pœnitet nos tam graviter in te peccaſſe, & indignationem tuam tam enormiter in nos provocaſſe; ideoque corde contrito & humiliato ad Thronum gratiæ & bonitatis tuæ confugimus; & coram te, non quidem noſtris meritis, ſed tuis multis miſerationibus confidentes humillime procumbimus, petimuſque, ut avertas iram tuam à nobis; & non tradas beſtiis animas confitentium tibi, neque ſanctam & electam hæreditatem tuam propter transgreſſiones noſtras hoſtium faucibus objici patiaris.

Reſpice in faciem Chriſti tui, qui illam ſibi effuſione pretioſiſſimi Sanguinis ſui acquiſivit: memor eſto promiſſionis tuæ, & fœderis tui, quod cum electis tuis iniiſti, quodque per pretioſam dilectiſſimi Filii tui IESV Chriſti Redemptoris noſtri mortem, & purpureum ejus Sanguinem conſignatum eſt. Reſpice ad honorem Nominis tui, quod ſuper ſanctam Civitatem tuam, & populum tuum invocatum eſt, quodque in eodem agnoſcitur, & collaudatur; at vero ab inimicis tuis, per ſummum nefas, violatur, deſpicitur, & prophanatur.

Quia vero ex nobis ipſis digni haud ſumus, qui clementiæ tuæ curam & opem ſentiamus, ſaltem oſtende nobis miſericordiam tuam propter temetipſum ô Do-

mine, & propter gloriam Nominis tui libera nos, & propter inexhauſtum bonitatis tuæ fontem propitius eſto peccatis noſtris: moveat te quæſumus amor ille, qui te movit, ut Filium tuum Vnigenitum nobis redimendis totum impenderes.

Per hunc ipſum Filium tuum Ieſum Chriſtum rogamus, per acerbiſſimam paſſionem ac mortem ejus: per merita quoque, & patrocinia ſanctiſſimæ Matris, ac Virginis Mariæ, omniumque Electorum tuorum, inclina aurem tuam, & exaudi clamorem noſtrum: aperi oculos tuos, & vide afflictionem populi tui: hoſtium tuorum doloſa, & ſuperba conſilia deſtrue, quibus indeſinenter lethiferum animarum virus ubique ſpargere, & avitam religionem noſtram funditus evellere conantur: Leva manus tuas in ſuperbias eorum, qui ſuper populum tuum malignaverunt conſilium, & cogitaverunt adverſus ſanctos tuos, ne forte dicant in gentibus: ubi eſt Deus eorum; ſed cognoſcant, quoniam tu adjutor, & protector noſter es, ulciſcens in omnes adinventiones eorum. Reſpice de cœlo ſancto tuo, & hominum corda fraude diabolica in varias ſectas, miſerabiliter diſtracta, in unione fidei paciſque conjunge: Provide Eccleſiæ tuæ, totique Reipublicæ Chriſtianæ Prælatos fideles & irreprehenſibiles, ſub quorum fide ac tutela, in exteriore pariter, & interiore tranquillitate ſanctum Nomen tuum invocare & prædicare poſſimus.

Præſerva nos à gravibus & inteſtinis bellis, ſeditionibus, & tumultibus, & iniquiſſima innocentum cæde. Da omnibus Chriſtianis Principibus, Regibus, Monarchis, veram ac ſinceram inter ſe concordiam, adde impavidum infractumque animum, ut Eccleſiam tuam totamque Rempublicam Chriſtianam conſtantiſſime defendant, ac tandem de hoſtibus fidei glorioſiſſime triumphent.

E contra vero effunde iram tuam in gentes, quæ te

non

non noverunt, & in regna, quæ nomen tuum non invocarunt; quæ venerunt in hæreditatem tuam, & polluerunt Templum ſanctum tuum. Exſurge Deus, judica cauſam tuam, memor eſto improperiorum tuorum; diſſipa gentes quæ bella volunt, hoſtileſque conatus in nihilum redige, ut ab omnibus inimicorum inſidiis, bellorumque moleſtiis liberi, & in protectionis tuæ ſecuritate conſtituti, in tua ſemper laude perſeveremus.

Sed quia gratiæ tuæ muneribus indigni per peccata efficimur, excita in nobis timorem tuum, & honorem Nominis tui, ut ab omni peccato diligentiſſime caveamus; illumina nos per virtutem Spiritus ſancti, & dirige greſſus noſtros in ſemitis tuis,ut non tam noſtris viribus, quam tuis ſubſidiis innixi viam mandatorum tuorum inoffenſo pede curramus, donec metam ipſam, & præmia, quæ præparaſti diligentibus te, aſſequamur per Vnigenitum Filium tuum Dominum noſtrum IESVM Chriſtum, qui tecum, & cum Spiritu ſancto, *&c.*

FINIS.

· Lisa & Leonard Baskin ·